

1817
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE

DISSERTATIONES

IN

PRIMAM ÆTATEM

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ.

DISSERTATIONES

SELECTÆ

IN

PRIMAM ÆTATEM

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

AUCTORE

Charles

P. Carolo DE SMEDT, S. J.

EX PROFESSORE HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ NUNC SOCIO BOLLANDIANO.

Gandavi

EXCUDEBAT C. POELMAN, TYPOGRAPHUS ILL^{mi} EPISCOPI.

Lovanii C. FONTEYN. | **Brugis** C. BEYAERT.

Parisiis

V. PALMÉ.

1876.

APPROBATIO.

Librum cui titulus « Dissertationes selectæ in Primam Ætatem Historiæ Ecclesiasticæ, » auctore Carolo De Smedt Societatis Jesu presbytero, debite examinatum et approbatum, typis vulgari libenter permittimus.

J. JANSSENS S. J.
Præp. Provinc. Belg.

Bruxellis, 24 *Augusti* 1876.

IMPRIMATUR.

Gandæ, 18 *Sept.* 1876.

† HENRIC. *Episc. Gandaven.*

BENEVOLO LECTORI AUCTOR

S. P. D.

Quo consilio has dissertationes conscribere instituerim, in Præfatione Introductionis Generalis ad historiam ecclesiasticam critice tractandam *hoc ipso anno editæ uberius exposui quam ut rursus nunc explicare necesse fuerit. Imprimis memor fui, opus meum destinari iis qui docti fieri volunt. Itaque hanc constanter rationem tenui, ut in procemio ad dissertationes singulas, quænam apud eruditos circa propositam quæstionem sint certa, quæ vero controversa, qui fontes ad eam tractandam præsto sint, quæ subsidia commode possint adhiberi, distincte indicarem. Neque his contentus, quo facilius conclusionum nostrarum*

robur dijudicarent historicæ scientiæ tirones magisque assuescerent ipsos fontès diligenter perlustrare, hos simul collectos, quantum in hac brevitate fieri potuit, Appendicum loco ob oculos ponere, experientia doctus peropportunum duxi. Sic instructos non jucunda minus quam facili opera ad particularia principalis quæstionis capita discutienda progressuros confido nec imparatos fore ut si quid jam deinceps, quod novæ opinionis speciem præ se ferat, circa eadem proponatur, ipsi per se illud secure perpendere valeant.

Eosdem denique rursus rogatos velim, si quidem copiosæ bibliothecæ eis opportunitas data fuerit, suis ipsi oculis quæ a nobis citata passim antiquorum scriptorum testimonia offenderint, in horum libris inspicere ne graventur. Propterea fere ad Patrologias latinam et græcam Parisiis apud Migne editas, utpote quæ frequentius ad manum esse soleant, in alleganda veterum auctoritate lectorem remittendum arbitratus sum. Quæ vero ex Actis Conciliorum afferenda erant, ea ex Mansiana editione, quæ omnium locupletissima est, decerpsi. Ceterum quibus non hu-

jus collectionis, sed Labbeanæ (cum supplemento Baluzii) vel alius cujusdam copia fuerit, haud difficile ex temporis ratione, inspecto indice unicuique tomo præfixo, documentum a nobis indicatum reperient.

Vale.

Scribebam Bruxellis, die Assumptæ in cœlum Virgini sacro, decimo octavo Kalendas Septembres anno millesimo octingentesimo septuagesimo sexto.

DISSERTATIO I.

DE ROMANO S. PETRI EPISCOPATU.

PROŒMIUM.

1. Antiqua fuit traditio, Petrum, postquam per angelum e carcere ereptus fuisset, Hierosolymis profectum, aliquamdiu Antiochenam rexisse ecclesiam, et deinde per Pontum, Galatiam, Cappadociam et Bithyniam in Occidentem transgressum, tandem substitisse Romæ et ecclesiæ ibidem constitutæ præfuisse usque ad gloriosam necem, quam martyr fidei perpessus est Nerone imperatore. Huic traditioni quoad præcipuam ejus partem, Petri scilicet in Urbe commorationem et pontificatum, primi contradixere seculo XIII Waldenses, teste MONETA, illius temporis scriptore, nullo tamen alio argumento nixi quam quod illa omnia non memorantur in evangelio (1); deinde, seculo XIV, MARSILIUS PATAVINUS (2), seculo autem XVI,

(1) MONETA, O. P. *Adv. Catharos et Waldenses* (Romæ 1743. fol.) p. 411.

(2) In suo *Defensor pacis* (Ed. Basil. 1522. fol. Francof. 1612. 8.) Ap. GOLDAST, *Monarch. S. R. I.* t. II. p. 157.

majori critico apparatu, Udalricus VELENUS (1) Lutheranus; quem et alii Protestantes secuti sunt, præcipue Fridericus SPANHEIM junior (2). Eamdem nova aliquatenus methodo impugnare aggressi sunt recentiores Protestantes rationalistæ, speciatim F. C. BAUR (3) et R. A. LIPSIUS (4). Antiquiorum vero argumenta nostris temporibus recoxerunt VAN VOLKOM (5), TAILLEFER (6), And. BLANC (7), J. O. ELLENDORF (8), A. SCHELER (9), GAVAZZI (10), ROLLER (11), Thom. Collins SIMON (12), J. H. BROWN (13), C. HOOLE (14).

2. Attamen, inter ipsos Protestantes, doctiores plerique Catholicis consensere, sin minus quoad Romanum Petri episcopatum, quem fere negarunt (15) aut silentio prætermiserunt, at certe quoad ejus in Urbe prædicationem : quam tamen defendendo, præcipua et vix non omnia adversariorum argumenta, contra utrumque simul prolata, refutare coacti sunt. Citari jam potuerunt a FOGGINIO (16) G. CAVE, HAMMONDUS,

(1) *Tractatus, quo XVIII argumentis adseritur Petrum nunquam Romæ fuisse.* 1520. 4.

(2) *Dissert.* ed. Lugduni Batav. 1629, et Opp. (ed. ibid. 1700) t. II. p. 331.

(3) *Kirchengesch. der drei ersten Jahrh.* (Ed. III. Tübingen 1863).

(4) *Chronologie der röm. Bisch.*, etc. Kiel 1869. 8. Cfr. ejusdem *Die Quellen der römischen Petrus-sage.* Kiel 1872. 8.

(5) *De Protestant*, t. X. p. 497.

(6) Genève 1833. Paris 1846 et 1872.

(7) Paris 1838. 8.

(8) Darmstadt 1841. 8.

(9) Sub pseudonymo UDALRIC DE SAINT-GALL. Bruxelles 1845. 18.

(10) Firenze 1869. 8.

(11) In Periodico *Revue Chrétienne* (Mars 1872).

(12) London 1852. 8.

(13) London 1861. 12.

(14) Oxford 1873. 8.

(15) Ita speciatim Salom. VAN TIL, *De Petro Romæ martyre, non Pontifice.* Lugd. Batav. 1710. 4.

(16) Op. mox citand. p. 9.

Pearson, Grotius, Usserius, Blondellus, Patricius Junius, Joseph Scaliger, Joan. Pappius, Bebelius, Thom. Ittigius, Joannes Clericus, Sam. Basnagius, Is. Newton. Quibus addi possent non pauci recentiores, speciatim Wieseler (1), Bleeck (2), Olshausen (3), Gieseler (4).

3. Catholicis vero liberum non est, absolute negare Romanum Petri pontificatum, utpote factum dogmaticum, quod scilicet in professione fidei ecclesiasticæ semper intime connexum reperitur cum doctrina primatus Romani Pontificis in ecclesiam universam. Sed et in scientiæ ordine idem factum necessario affirmandum est omnibus iis qui ex revelatis fontibus perspexerunt primatum in ecclesiam a Christo Domino collatum esse Petro ut perpetuo perseveraret in ea tamquam præcipuum unitatis vinculum : quibus nimirum confitendum est vel primatum jamdudum interiisse, quod utique cum infallibili efficacia promissionis Christi constare non potest, vel illum residere apud Romanos Pontifices, non alio sane titulo quam successorum Petri. — Examinandum itaque superest quatenus, si præscindatur a doctrina fidei et conclusionibus scientiæ theologicæ, ex solis testimoniis historicis certum appareat, Petrum Romam venisse ibique pontificatus munere perfunctum esse ad obitum usque. Præterea

(1) Ad calcem sui operis *Chronologie des apostolischen Zeitalters*. Göttingen 1848.

(2) In Periodico *Theol. Studien und Kritiken*, an. 1836. p. 1061.

(3) Ibid. an. 1838. p. 916.

(4) *Lehrb. der Kirchengesch.* t. I (Ed. IV. Bonn 1844) p. 101-103.

altero dissertationis nostræ capite, quæstionem inter ipsos catholicos olim satis controversam tractabimus, quamdiu nempe Romanæ ecclesiæ episcopatum gesserit apostolorum princeps. Ac denique capite tertio breviter attingemus argumenta quibus nixi nonnulli scriptores catholici Paulum simul cum Petro episcopi Romani titulo et munere ornatum fuisse, vel contra, opinati sunt.

4. De ea autem materia disseruerunt præcipue, præter scriptores historiæ ecclesiasticæ vel pontificiæ universæ et theologos in tractatu de Summo Pontifice, scriptores catholici

JOANNES (FISHER) Roffensis episc. *Convulsio calumniarum Ulrichi Veleni, quibus cavillatur Petrum nunquam Romæ fuisse*. Paris 1522. 4. — COCHLÆUS (J.) *Petrum Romæ fuisse*. Moguntiæ 1525. 4. — FABER AB HAIBRUNNA (J.) *Testimonium Scripturæ et Patrum, B. Petrum Romæ fuisse*, etc. Dilingæ 1553. 24. — CORTESE (G.) *Tractatus adversus negantes, Petrum Romæ fuisse*. Venetiis 1573. 4. (Auct. ed. V. A. CONSTANTIUS) Romæ 1770. 8. — AGRICOLA (F.) *Attestatio ex Patribus, Petrum Romæ fuisse et Romanos ad fidem convertisse*. Coloniæ 1605. 8. — PTOLOMÆUS seu TOLOMEI (Card.) *De Romano B. Petri pontificatu*. Ed. Romæ 1867. 8. — FOGGINI (P. F.) *De Romano divi Petri itinere et episcopatu*. Florentiæ 1742. 4. — BIANCHI (J. A.) *Della venuta di S. Pietro in Roma*. Ap. ZACCARIA, *Raccolta di diss. di st. eccl.* t. III. p. 238.

MEZZADRI (B.) *De viginti quinque annis Romanæ Petri cathedræ.* Romæ 1750. 4. — *Ueber den Aufenthalt des Apostels Petrus zu Rom* (in Periodico Tubingensi *Theologische Quartalschrift*, an. 1820. (p. 567). — STENGLEIN, *Ueber den 25jährigen Episkopat des hl. Petrus* (Ibid. an. 1840. p. 231). — KUNSTMANN, de eadem materia in Periodico Moguntino *Historisch-Politische Blätter.* 1857. II. p. 596. (1)

Præterea nostris temporibus, adversus repetitas Protestantium et incredulorum impugnationes, traditionem catholicam vindicarunt, nullis tamen novis argumentis alicujus momenti prolatis,

WINDISCHMANN (F.) *Vindiciæ Petrinæ.* Ratisbonæ 1836. 8. — L'HERVILLIERS (E. C. DE) *Preuves de la venue et du séjour de saint Pierre à Rome* (in Periodico *Annales de Philos. chrét.* tt. LIX, LX seu an. 1859, t. II et 1860, t. I). — HAGEMANN (H.) *Die Römische Kirche*, etc. (Freiburg in Breisg. 1864. 8) p. 627 (2). — M'CORRY (J. S.) *St. Peter at Rome.* London 1851. 16. — PERRONE (J. B.) *S. Pietro in Roma.* Roma 1864. 8. — TRAMA, *Il viaggio di S. Pietro a Roma.* Napoli 1866. — SANGUINETTI, *De sede romana S. Petri.* Romæ 1867. 8. — *Resoconto autentico della disputa avvenuta in Roma le sere del 9 e 10 febbraio 1872, fra sacerdoti cattolici e ministri evangelici intorno*

(1) Quæ dissertationes præcipue versantur circa durationem Romani pontificatus S. Petri.

(2) § 30. *Die Gründung der römische Kirche durch Petrus.*

alla venuta di san Pietro in Roma. Roma 1872. 16. (1). — CAPRARA (C.) *La venuta di S. Pietro in Roma dimostrata*, etc. Roma 1872. 8. — CERRI (B.) *Trionfo di S. Pietro Apostolo sopra di Roma pagana.* Torino 1872. 8 — CIOLLI (A.) *Prove del pontificato di S. Pietro a Roma.* Firenze 1872. 8.—CORNOLDI (G. M.) *S. Pietro a Roma.* Roma 1872. 16. — MONTEBENE (P. A. DA) *San Pietro tre volte è stato a Roma.* Firenze 1872. — RIESS, *Der hl. Petrus in Rom* (in Periodico *Stimmen aus Maria-Laach*, 1872. Fasc. 6). — CONTESTIN (G.) *Saint Pierre à Rome* (in Periodico *Revue des sciences ecclésiastiques* tt. XXV et XXVII). — MARTIN (P.) *Saint Pierre, sa venue et son martyre à Rome* (in Periodico *Revue des questions historiques*, t. XIII). Et *Saint Pierre et Saint Paul dans l'Eglise Nestorienne* (in Periodico *Revue des sc. eccl.* tt. XXXI et XXXII). — GUARDUCCI (E.) *De Petri in urbem Romam adventu.* Bononiæ 1875. 16.

(1) Ejusdem controversiæ relatio ex parte Protestantium edita est ab HUDRY-MÉNOS, *Saint Pierre a-t-il été à Rome? Compte rendu de la controverse engagée à Rome les 9 et 10 Février 1872, entre prêtres catholiques et ministres évangéliques.* Genève 1872. 8.

CAPUT I.

UTRUM S. PETRUS ROMÆ EVANGELIUM PRÆDICAVERIT, EJUSQUE URBIS EPISCOPATUM GESSERIT USQUE AD MORTEM SUAM.

ARTICULUS I.

ARGUMENTA SENTENTIÆ AFFIRMANTIS.

1. I. Petri Romæ prædicationem, non quidem disertis verbis, probabilissime tamen, indicarunt Patres Apostolici CLEMENS Romanus et IGNATIUS Antiochenus (1). Quippe in priori testimonio vix dubium esse potest ultimis verbis designari Christianos qui in persecutione Neronis et deinde Domitiani Romæ (*inter nos*) martyrium passi sunt; hos autem a Petro et Paulo institutos ait Clemens (2). Ignatius autem ad Romanos scribens cur Petri et Pauli apostolorum, et horum solum, mentionem injecerit tamquam præcipua auctoritate gaudentium apud illos, nulla alia ratio apparet nisi quod per eos apostolos Romana ecclesia

(1) V. Append. pag. 1.

(2) Ex testimonio Clementis desumitur prætereа argumentum minus directum magnæ efficaciæ: quod vide paulo infra N. 3, post init.

condita est. — Deinde vero luculenter illud affirmant Papias, Dionysius Corinthius, Irenæus, Clemens Alexandrinus, etc. (1).

2. II. Ecclesiam Romanam a Petro conditam ac seriem episcoporum urbis ab ipso inchoandam esse perspicue affirmant Irenæus, Tertullianus, auctor Carminis adversus Marcionem, auctor libri adversus Artemonis hæresim, Caius, Hippolytus seu auctor primæ partis Catalogi Liberiani, Cyprianus, Firmilianus (2). Posteriores autem afferre supervacaneum videtur, quum nemini sit dubium quin inde a medio seculo III illud in universo orbe christiano ab omnibus admissum fuerit, nullo veterum contradicente.

3. III. Denique Petrum Romæ martyrio obiisse diserte testantur Origenes, Tertullianus, Caius et auctor primæ partis Catalogi Liberiani (3). Idem jure concludi potest ex testimoniis Joannis Apostoli in Evangelio suo (4) et Clementis Romani ac Dionysii Corinthii supra citatis. Ex his siquidem habetur Petri martyrium omnibus Christianis notissimum fuisse jam extremo seculo I. Porro, quum ecclesiæ tanta cura memoriam præcipuorum suorum martyrum servare consueverint, prorsus incredibile est ecclesiam illam quæ principis apostolorum martyrio illustrata fuit adeo in hac re fuisse negligentem ut tantum decus oblivione obrui sivisset, quin imo non maxime prædi-

(1) Append. pag. 2-5.
(2) Ibid.
(3) Ibid. pag. 3-4.
(4) Joan. XXI. 18, 19.

casset. Jam vero sola ecclesia Romana illud sibi attribuit, et ita quidem ut extremo seculo II tropæa seu monumenta publica illius ibidem exstarent (1); nulla autem usquam vel obscurissima traditio affertur qua ecclesia alia de hac re cum ea contendisse supponi possit.

4. Superest ut paucis dicamus de aliis argumentis quæ in hanc rem præterea afferuntur. Et primo quidem de eo quod desumitur ex verbis Petri in fine suæ primæ epistolæ : « Salutat vos ecclesia, quæ est in Babylone coelecta. » Ubi nomine Babylonis Romam designari existimant non pauci; idque probant ***a.*** ex testimonio Papiæ (2) et aliorum veterum; ***b.*** ex eo quod supponi nequit hic sermonem esse de Babylone in Ægypto, quod non erat nisi oppidulum seu statio militaris, nec de Babylone illa Assyriorum juxta Euphraten, quam eo tempore a Judæis omnino desertam fuisse concludunt ex verbis Fl. Josephi *Antiq. Jud.* XVIII. 9. ***c.*** Cur autem Petrus Romam hoc nomine significarit, facile explicari aiunt, tum ex opulentia et vitiis illius civitatis (unde et Joannes eodem nomine ad eam designandam usus est in Apocalypsi) (3), tum quia cavendum erat apostolo, ne et ipse et fideles Romani idololatris manifestarentur, si forte (quod facile fieri potuit) epistola sua in eorum manus veniret. — Verum hæc ultima ratio ostendit quidem eam interpretationem non esse positive improbabilem, non autem posi-

(1) V. Testim. Caii, Append. pag. 4.

(2) Append. pag. 2.

(3) Capp. XVII et XVIII.

tive probabilem efficit. Ex aliis argumentis, primum ita efficax est ut rem quidem suadeat illi qui ex testimonio Papiæ et aliorum jam admittit Petrum Romæ commoratum esse, non autem item illi qui hoc ipsum ex his testimoniis non satis certum arbitratur. Quoad secundi vero partem posteriorem, quæ ex loco quodam (1) Flavii Josephi desumebatur, vereor ut ex hujus scriptoris narratione (2) jure concludere liceat quod volunt, nullos omnino post mortem Caii Imp. Judæos Babylone remansisse (3), vel certe paucissimos, ut

(1) *Antiq. Jud.* l. XVIII. Cap. 9. N. 8. Ubi agit de iis quæ Judæis in Babylonia acciderunt circa tempus mortis Caii Caligulæ Imperatoris (quam refert cap. præc.), die 24 Januarii an. 41 occisi, postquam annos 3 et menses circiter 10 imperium tenuisset.

(2) Hæc autem est hujusmodi. Postquam scilicet Anilæum Judæorum ducem, qui magnam sibi existimationem conciliaverat, a Babyloniis occisum retulit, ita pergit Josephus : « Babylonii autem gravi Anilæi metu » liberati (illis enim obstabat quo minus suum in Judæos odium effunderent)... in Judæos impetum faciunt. » Illi vero graviter ferentes Babyloniorum injurias, cum neque aliquid » possent contra illos in acie neque » simul cum illis vivere sustinerent, » migrabant Seleuciam, urbem illius » regionis præcipuam... In illam itaque se recipiunt Judæi, et per quinquennium nihil mali illis accidit. » Sexto autem anno post priorem cladem, pestis in eos grassata est Babyloniæ, et ex [illa] urbe novæ factæ » sunt migrationes; et quod in Seleuciam se contulerint, sane major eos » occupat calamitas. » Græci scilicet cum Syris Seleuciam incolentibus adversus Judæos conspirarunt, « eosque » ex improviso aggressi supra quinquaginta hominum millia occidunt : » atque omnes perierunt, præter eos » qui amicorum aut vicinorum misericordia evaserunt. Illi autem Ctesiphonta migrarunt... » Deinde vero, quum neque hic secure se degere posse confiderent, « plerique Nearda » ac Nisibin se receperunt, in firmitate et munitionibus urbium [istarum] securitatem suam reponentes : » accedente quod viri bellicosi universi illic habitarint. »

(3) Adverti etiam potest non ita præcise a Josepho tempus indicatum fuisse quo omnia citato capite narrata acciderunt ut cuncta ante Caii mortem seu ante annum 41 accidisse asserendum sit. Petrus autem forte anno 41 vel 42 Romam tendens postquam Hierosolymis e carcere liberatus fuisset, per eam regionem transivit.

proinde ecclesiam efformasse censeri non possint; præsertim quum necesse non sit ut omnes hujus ecclesiæ fideles Judæi fuisse supponantur. — Unde tandem ex citato testimonio Petri argumentum efficax a ceteris supra allatis distinctum desumi non posse censendum videtur.

5. Alii testibus supra allatis addunt HEGESIPPUM. Non quod ulla verba ejus circa rem nostram uspiam citata reperiantur, sed quia ex iis quæ de ipso narrat Eusebius (1) omnino colligitur illum successionem Romanorum episcoporum accurate in suis commentariis consignasse : quibus quum Eusebius usus sit, qui Petrum Romanæ ecclesiæ conditorem et primum episcopum non semel memoret, id apud Hegesippum etiam ab eo repertum esse omnino censendum est. Quod si secus fuisset, certe id notare non omisisset Cæsariensis.

6. Præterea proferri possunt testimonia ex apocryphis, Evangelio Petri scilicet, Actis Petri, Prædicatione Petri, Pseudo-Clementis Recognitionibus et Clementinis et ex Constitutionibus Apostolicis. Quorum consensus quum ab adversariis traditionis catholicæ tamquam efficax ad hanc refutandam objectio afferri soleat, de iis iterum sermo erit infra.

(1) Relata in *Introd. spec. ad* 1m *Æt.* ubi de Hegesippo.

ARTICULUS II.

DE ARGUMENTIS SENTENTIÆ NEGANTIS A PROTESTANTIBUS ANTIQUIORIBUS PROLATIS.

7. Inter patronos hujus sententiæ distinguere juvabit Protestantes antiquiores seu non rationalistas et recentiores seu rationalistas. De priorum argumentis tantummodo sermo erit in hoc articulo. Admittunt illi authentiam et auctoritatem Actuum Apostolorum et Epistolarum, earum saltem quæ inter libros protocanonicos N. T. habentur, et etiam operum quæ vulgo attribuuntur Patribus Apostolicis. Fidem Romæ primo prædicatam aiunt per advenas Romanos qui primæ Petri prædicationi Hierosolymis die Pentecostes adfuerunt (1), aut forte per Aquilam illum et Priscillam, apud quos Roma exules Corinthi commoratus est Paulus, et qui inde eum in prædicando evangelio adjuvisse leguntur (2). Triplici autem argumentorum genere traditionem catholicam de Romano Petri itinere et episcopatu impugnant, primo scilicet et præcipue argumento negativo multiplici, deinde eludere nitendo vim testimoniorum supra allatorum, denique argumentis contrariis. Jam ad singula.

8. I. Argumentum negativum desumunt :

1° Ex silentio Actuum Apostolorum. Quorum auctor quamvis singulari studio ea quæ Petrus in Judæa egit

(1) *Act.* II. 10.

(2) *Act.* XVIII. 2, 18, 26. *Rom.* XVI. 3-5.

notarit, *a.* nihil indicat de ejus itinere Romam, *b.* speciatim, dum adventum Pauli memorat, qui secundum traditionem catholicam diu post Petrum illuc venit, fratres Paulo occurrisse refert usque ad Appii forum et Tres Tabernas (1), nulla vero mentio habetur Petri.

2° Ex silentio Pauli in epistola ad Romanos, ubi (2) multis salutem dici jubens ne verbo quidem meminit Petri : quem sane, si Romæ morabatur, in primis salutari oportebat.

3° Ex ejusdem silentio in epistolis suis Romà scriptis (3). Ubi non solum nusquam de Petro loquitur, sed et ea profert quæ Petro, si Romæ versaretur, maxime contumeliosa fuissent (4).

4° Ex silentio Flavii Josephi. Qui quum Jesu Christi meminerit et Joannis Baptistæ et Jacobi fratris Domini, certe Petrum a Nerone occisum non prætermisisset in ea saltem historia quam de bello Judaico Romæ exaravit, ubi de Neronis crudelitate sermo est (5).

9. II. Secundi generis argumentum conficiunt adver-

(1) *Act.* XXVIII. 15.

(2) *Rom.* XVI. 3-15.

(3) Ad Philippenses, ad Colossenses, ad Ephesios, ad Hebræos, ad Philemonem, ad Timotheum secunda.

(4) Sic *Phil.* II. 20, 21. « Neminem » enim habeo [sicut Timotheum] tam » unanimem.... Omnes enim quæ sua » sunt quærunt, non quæ sunt Jesu » Christi. » — *Col.* IV. 10, 11. « Salutat vos Aristarchus concaptivus » meus, et Marcus consobrinus Barnabæ... et Jesus, qui dicitur Justus: » qui sunt ex circumcisione : hi soli » sunt adjutores mei in regno Dei, » qui mihi fuerunt solatio. » — II. *Tim.* IV. 16. « In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes » me dereliquerunt. »

(5) *Bell. Jud.* l. IV. C. 9. N. 2.

tendo Papiam, teste Eusebio, mediocris fuisse ingenii; unde non multum fidendum esse ejus testimonio. Irenæus vero, Clemens Alexandrinus et alii scriptores citati forte ex Papia vel ex scripturis apocryphis (Cfr. supra N. 6) hauserint ea quæ apud ipsos de Petro ejusque Romano itinere consignata reperiuntur.

10. III. Argumenta autem contraria ad hæc reducuntur :

1° Paulus asserit apostolatum circumcisionis Petro concreditum fuisse, sibi vero apostolatum gentium (1). Jam vero non tot Judæi Romæ incolebant ut illuc se contulisse credatur Petrus ad apostolatum suum exercendum.

2° Paulus epistolam suam ad Romanos scripsit præcipue ad sedandas contentiones quæ in ea ecclesia exortæ erant, præsertim de vocatione ad fidem seu evangelii gratia, ut legenti facile constat. Quid autem opus fuisset tam prolixa epistola si Petrus apud Romanos versaretur? Vel qua ratione explicari potest quod Paulus neque ad ipsum neque ad doctrinam ab eo traditam uspiam Christianos Romanos remittit?

3° Ubi Paulus Romam veniens primos Judæorum convocavit, hi de Christiana ecclesia locuti sunt tamquam de secta ipsis ignota (2). Certe supponi non potest eos ita locutos fuisse, si Petrum jamdudum in urbe secum commorantem habuissent.

(1) *Gal.* II. 7-9. (2) *Act.* XXVIII. 21. 22.

11. His argumentis addunt quidam sequentia, quæ tamen a prudentioribus repudiantur. Videlicet

4° Secum invicem pugnant apostoli et episcopi munera, quum episcopus uni ecclesiæ sit affixus, apostoli autem apud omnes gentes doctrinam Christi spargere jussi sint (1).

5° Primi episcopi Romani post apostolorum tempora, Linus scilicet, Cletus et Clemens, discipuli Pauli fuerunt, ut colligitur ex hujus epistolis.

6° Christus dixit ad Judæos : « Ecce ego mitto ad » vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis » occidetis, et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in » synagogis vestris. » (2) In quem locum Hieronymus (3) : « Lapidatus est (ait) Stephanus, Paulus occi- » sus, crucifixus Petrus, flagellati in Actibus Aposto- » lorum discipuli. » Et Chrysostomus (4) : « Intelligit » apostolos et qui cum apostolis fuerunt. » Ergo Petrus a Judæis necatus est Hierosolymis, non Romæ a Nerone.

7° Extremo seculo XVIII prope Joppen Syriæ detecta esse fertur lapis sepulcralis, hanc inscriptionem exhibens : « Simon Petrus discipulus Jesu hic jacet. »

12. Hæc argumenta jam perpendamus. Et quidem,

I. Quod ad primum genus attinet, ex silentio aucto-

(1) MATTH. XXVIII. 19. MARC. XVI. 15. *Act.* I. 8.

(2) MATTH. XXIII. 34.

(3) *Comm. in Matth.* l. II (P. L. t. XXVI. p. 173).

(4) *In Matth.* hom. 74 (al. 75) n. 2 (P. G. t. LVIII. p. 682).

ris Actuum Apostolorum et Pauli in epistolis suis, ad summum inde confirmari posset sententia eorum qui Petrum ultimo tantum vitæ suæ anno Romam venisse censent (1), ac proinde nullum inde argumentum habetur adversus ejus in Urbe saltem per aliquot menses commorationem. Præterea ad singula responderi potest. Videlicet

Ad 1m R. Lucas in Actibus satis accurate quidem usque ad cap. XII exordia ecclesiæ christianæ in Judæa et Syria exponit. Sed inde a cap. XIII jam solos labores et itinera Pauli describit, de aliis autem apostolis non refert nisi ea quæ cum Pauli historia connexa sunt. Imo et non pauca omisit ad ipsius Pauli historiam pertinentia. Sic nihil habet de Pauli post conversionem suam in Arabiam secessione, de ejus reditu Damascum et congressu cum apostolis Hierosolymis; nihil de tot flagellis et naufragiis aliisque discriminibus; nihil de reprehensione Cephæ coram ecclesia Antiochena : quæ omnia a Paulo ipso commemorantur (2). Quod autem Petrus Paulo Romam advenienti obviam non iverit, præter alias rationes quæ afferri possunt, illa sufficiat quod forte tunc Roma aberat. Quamvis enim, secundum opinionem quæ videtur probabilior, Petrus vigesimo sexto ante obitum suum anno Romam venerit ejusque ecclesiæ episcopatum susceperit, nequaquam tamen ex testimoniis allatis

(1) De qua re Cap. seq.

(2) *Gal.* I. 17, 18. — II. *Cor.* XI. 23-26. — *Gal.* II. 11 sqq.

colligere licet eum multo et continuo tempore Romæ moratum esse, sed potuit sæpe inde in alias civitates et regiones excurrere.

13. Ad 2^m R. ***a.*** Si vis aliqua inesset huic argumento, sequeretur ex eo Timotheum non fuisse Ephesinæ ecclesiæ episcopum : ejus siquidem non meminit Paulus ad Ephesios scribens. Neque in epistolis ad Corinthios, ad Galatas, ad Thessalonicenses aliosque, eorum episcopis salutem dici jussit. Unde ***b.*** pronum est conjicere a Paulo peculiares ad hos episcopos litteras missas fuisse per eumdem qui epistolam ipsius ad ecclesiam deferebat.

14. Ad 3^m R. Præterquam quod Petrus tunc Roma abesse potuit; satis constat *το omnes* non ita stricto sensu sumendum esse locis allatis (1). — Ceterum, si ex silentio Pauli de Petro in epistolis quas Roma scripsit inferre liceret Petrum tunc Romæ non fuisse, eodem jure inferre liceret nec ipsum tunc ibi adfuisse Paulum : nam in illis epistolis nulla de Urbe vel de Romana ecclesia habetur mentio (2).

15. Ad 4^m R. Ipse Josephus scribit (3) a Nerone matrem et Octaviam uxorem, multosque viros illustres fuisse occisos, sed ejus scelera silentio se præterire voluisse, quod de illis dicere molestum fore arbitraretur, multique jam e Græcis et Romanis ea scripto

(1) Cfr. *Phil.* I. 12-16. II TIM. IV. 11.

(2) Nam neque *Sancti de domo Cæsaris* (*Phil.* IV. 22), sicut nec ipse Cæsar, semper Romæ versabantur.

(3) Loc. cit. et l. II. c. 13. n. 1.

tradidissent; ac tandem quod admodum breviter ea quæ ab opere suo aliena erant attingere constituerit. Et re ipsa nihil habet de incendio Urbis, de nece Senecæ et multis aliis quæ narrant Suetonius et Tacitus.

16. II. Ad secundi generis argumentum facile R. *a.* Papiam mediocris fuisse ingenii non aliunde videtur asseruisse Eusebius nisi quia erraverit circa interpretationem loci illius Apocalypsis ubi assertus videri potest millenarismus (1). Ceterum antiquas traditiones sedulo ab ipso collectas et fideliter relatas idem Eusebius prædicat (2). Non est igitur cur in re facti Papiæ testimonium respuamus. — Præterea

b. Gratuito et improbabiliter omnino dicuntur alii Patres, ortu et sede tam diversi, ex Papiæ scriptis hausisse quæ tam diserte asseruerunt de Petri Romano pontificatu. Neque etiam tanta fuit apocryphorum apud primævos Christianos auctoritas ut circa rem adeo publicam et tanti momenti (3) omnes ecclesiæ per illa in errorem inductæ supponi probabiliter possint:

c. Quod autem apocrypha illa antiquissima tam unanimiter Petri Romanum iter commemorant, inde manifestum magis fit quam certo et universim traditio illa in ecclesiis recepta esset. Contra vero difficillime ratio reddi valeret cur in illo itinere fingendo omnes apocryphorum scriptores consensissent.

(1) Apoc. XX. 3-6.

(2) Cfr. *Introd. spec. ad* Iᵐ *Æt.* ubi de Papia.

(3) Cfr. dicta supra N. 3.

17. III. Quoad tertium vero genus :

Ad 1m R. *a.* Hæc divisio apostolatus non ita stricta et constans erat. Nam et Paulus in suis itineribus fere ubique primo Judæis annuntiavit evangelium. Petrus vero et primum gentilium Cornelium in ecclesiam recepit, et in Concilio apostolorum ita ceteros allocutus est : « Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis » diebus Deus in nobis elegit per os meum audire » gentes verbum evangelii et credere » (1). Ceterum *b.* Judæi exordio imperii Claudii magno numero Romæ erant, teste Dione Cassio (2). Quos quidem urbe expulit imperator ille (3), anno nono vel, ut alii volunt, duodecimo sui imperii. Sed postea, vel Claudio superstite vel Nerone imperante, multi Judæi Romam rediere (4), ibique satis secure habitabant (5) : unde et Paulus Romam veniens eorum primores convocavit (6).

18. Ad 2m R. Hujus rei quidem non ita perspicue ratio reddi potest (7). Forte Petrus tunc a multo tem-

(1) *Act.* XV. 7.

(2) Qui de primis Claudii institutis agens : « Quum Judæi (ait) adeo ite- » rum Romæ frequentes essent ut » difficulter sine tumultu propter » multitudinem urbe possent arceri, » non ejecit quidem eos : patriis legi- » bus vitam tolerantes vetuit conve- » nire. » *Hist. Rom.* l. LX.

(3) *Act.* XVIII. 2.

(4) Inter quos Aquila et Priscilla. *Rom.* XVI. 3.

(5) Teste PERSIO Sat. 5 : « Herodis » venere dies, unctaque fenestra Dis- » positæ pinguem nebulam vomuere » lucernæ. »

(6) *Act.* XXVIII. 17.

(7) Quidam ad hoc et alia argumenta negativa respondent allegando rationem prudentiæ, similem illi quæ Petrum Roma scribentem impulit ut hanc urbem nomine Babylonis designaret (Cfr. supra N. 4). Omnino scilicet curandum fuisse ut Petrum Romæ adesse ethnicis non innotesceret, idque forte ex odio concepto adversus illum propter certamina ejus cum Simone mago. Quorum certaminum

pore Roma aberat, aut ab eo rogatus scripsit Paulus epistolam suam, quia nota illius scientia veteris legis multum conferre poterat ut a Judæis conversis libentius in hac re audiretur et facilius cederent ejus auctoritati. Ceterum facile apparet quam parum roboris habeat argumentum ex hac obscuritate petitum ad vim testimoniorum allatorum infringendam.

19. Ad 3^{m} R. ***a.*** Judæos non paucos, antequam Paulus Romam venisset, illic Christo nomen dedisse manifeste colligitur ex ipsius epistola ad Romanos, ubi celebrem eorum ecclesiam jam tunc fuisse significat (1), ac præterea satis ex ea epistola indicatur multos inter fideles Romanos origine fuisse Judæos. Nihilominus autem ***b.*** facile fieri potuit ut primores Judæorum pro superbia sua Petrum prædicantem aspernati fuerint, Paulum autem, quem in lege eruditum admodum esse norant, cuperent audire de religione Christiana deque

et ipsius Simonis historia quamvis tenebris involuta omni ex parte sit, saltem illud ex diversis traditionibus circa hæc vulgatis colligendum videtur, Simonem apud populum Romanum et apud ipsum Imperatorem multum gratia valuisse et deinde post certamina cum Petro recessisse. Unde magnum odium hunc suscepisse apud idololatras et latere coactum fuisse, et studiose inde cavisse Christianos scriptores et Petrum ipsum, ne in scriptis, quæ in manus ethnicorum venire poterant, quidquam insereretur unde indicaretur ejus commoratio Romæ. Et hanc speciatim fuisse rationem cur Lucas (qui Romæ, quum Paulus primum illuc fuisset adductus ut judicium Cæsaris subiret, Actus Apostolorum scripsit, idque eo forte consilio ut ea scriptio tamquam apologia quædam Pauli Judæis et ipsis ethnicis exhiberetur), postquam Petri in Judæa apostolatum tam fuse descripsisset (usque ad Cap. XII), deinceps omnino de eo siluerit et reliqua ejus gesta his paucis verbis, quæ soli Christiani satis intelligere possent, concluserit : « Et egressus abiit *in alium locum* » (*Act.* XII. 17).

(1) *Rom.* I. 8.

ejus concordia cum Mosaica disserentem. Alia præterea ratio assignari potest cur a Paulo vocati ad eum plurimi e Judæorum primoribus convenirent, quia scilicet is quum civis Romanus esset et a Judæis accusatus ad Cæsarem provocasset, timere poterant ne iterum adversus eos severum edictum ab imperatore ederetur.

20. Ad 4m R. Quamvis apostolorum collegio commissum fuisset munus docendi omnes gentes et singuli inde jurisdictionem universalem, seu quam ubique exercere poterant, a Christo accepissent, nihil tamen obstabat quominus particularem aliquam ecclesiam regendam susciperent. Et ita Jacobus apostolus Hierosolymorum fuisse episcopus perhibetur ab Hegesippo et Clemente Alexandrino (1), et Petrus primo Antiochenam rexisse ecclesiam. Sed et Petro præcipua erat ratio cur particulari cuidam ecclesiæ ita adhæreret, ut scilicet successores designaret primatus sibi a Christo collati et usque ad finem seculorum in ecclesia exercendi.

21. Ad 5m R. Transeat, quamvis id non satis probetur. Sed quid inde? Quum præsertim secundum traditionem catholicam ambo apostoli simul ecclesiæ Romanæ condendæ allaborarint.

22. Ad 6m R. Ipsum Hieronymum non ita stricte interpretatum esse verba Christi ex eo patet quod in libro suo *De viris illustribus* (2) diserte tradit Petrum

(1) Ap. Euseb. *H. E.* II. 1, 23 (P. G. t. XX. pp. 135, 195).

(2) Cap. 1 (P. L. t. XXIII. p. 607).

per crucis supplicium Romæ martyrium subiisse sub Nerone. — Ceterum Christi prædictio impleta est in Stephano, quem Judæi lapidaverunt, et in Jacobo majori, quem Herodes in gratiam Judæorum occidit gladio, et in Jacobo minori, quem Judæi ipsi e pinna templi dejecerunt, ac tandem in Simeone, qui Jacobo majori in sede Hierosolymitana successit et Hierosolymis crucifixus est (1).

23. Ad 7m R. Hujus inscriptionis authentiam nullo idoneo argumento aut auctoritate comprobari (2).

ARTICULUS III.

DE SYSTEMATE RATIONALISTARUM RECENTIORUM.

24. Novum quoddam circa exordia ecclesiæ catholicæ systema historicum excogitarunt nostris temporibus Protestantes nonnulli rationalistæ, ea exordia nimirum ad imaginem quamdam suæ sectæ, qualis jam hisce temporibus apparet, confingentes. Illud exponendum et defendendum susceperunt præcipue professores quidam Academiæ Tubingensis, inter quos eminet Ferd. Christ. Baur, theologiæ in illa Academia lector; cujus jam commenta (3) breviter hic exponenda sunt.

(1) Euseb. *H. E.* III. 32 (P. G. t. XX. p. 281).

(2) Videsis Perrone, *Prælect. Theolog.* t. VIII (Tract. *de Summo Pontif.*) not. ad Num. 560.

(3) Ex opere indicato supra Proœm. N. 1.

25. Secundum hunc auctorem itaque, mox post mortem Christi duæ inter ejus discipulos exortæ sunt factiones invicem oppositæ, aliis scilicet obligationem legis Judaicæ, per Christum tamen completæ et auctæ, permanere affirmantibus, aliis e contra legem veterem abrogatam contendentibus et solam legem seu potius fidem Christi omnibus æque, Judæis ac Gentibus, esse propositam. Illorum ducem se professus est Petrus, horum Paulus : unde duæ sectæ, quarum altera Judæo-Christiana, altera Ethnico-Christiana dici possunt, jure etiam *Petrinismi* et *Paulinismi* nominibus designantur. Vehementer eæ inter se dimicarunt usque ad medium circiter seculum II et, utraque magis in dies ab altera recedente, tandem ad extremas illas contrariarum doctrinarum rationes devenerunt quæ postea *Ebionitismus* et *Marcionitismus* appellatæ sunt. Interea tamen utrimque prodierunt etiam viri quidam moderatioris ingenii, qui dissensum illum tollere et unam Christianæ doctrinæ sectatorum ecclesiam constituere sunt aggressi. Quem in finem, quum discordiæ caput in hoc haberi cernerent quod Paulinistæ salutis humanæ principium constituerent in *fide* redemptionis per Christi mortem et resurrectionem procuratæ, Petrinistæ vero in *operibus* legis, qualis hæc per Christum proposita, explicata et perfecta erat, formulam quamdam conciliatoriam adinvenerunt quæ utriusque doctrinæ summam complecteretur, ut scilicet salus humana non per solam fidem neque per sola opera obtinenda diceretur, sed per *fidem cum operibus*. Ad

eam formulam quum non pauci accessissent, circa medium seculum II, intermedia illa schola, *Catholicæ* ecclesiæ nomine assumpto, ut quæ doctrinam Christi profiteretur in quam universi consentire possent, jam vehementius agere cœpit adversus dissidentes seu *hæreticos*, qui scilicet aliquam ex particularibus doctrinis jam in universalem conflatis cum exclusione alterius præfracte ut sibi propriam tenere præsumèrent, eosque tamquam adversarios Christi ejusque doctrinæ corruptores traducere et persequi. Ad felicem autem incepti successum maxime intererat ut priorum discordiarum ipsa memoria tolleretur apud Christianos, quorum alteri scilicet Petri, alteri Pauli traditionem admodum venerabantur. Neque hoc aggredi veriti sunt illius scholæ duces. Quum itaque haberentur Pauli epistolæ quatuor, una nempe ad Galatas, duæ ad Corinthios et una ad Romanos (quæ solæ, præter quasdam hujus ultimæ partes, ex omnibus qui feruntur libris N. T. authenticæ habendæ sunt), alias tum Pauli et Petri ac Jacobi epistolas, tum Joannis et aliorum scripturas supposuerunt quas finxerunt divinitus inspiratas, ut omnes apostoli illam fidei formulam professi et Christus eam tradidisse viderentur. Supposuerunt etiam epistolas Ignatii Antiocheni et alia quæ dicuntur Patrum Apostolicorum opera. Antiquiorum autem traditionum monumenta studiose suppresserunt, quorum inde nulla ad nos pervenerunt, præter libellos petrinisticos Pseudo-Clementis qui *Recognitiones* et *Clementina* leguntur inscripti; ubi Paulus

sub nomine Simonis magi exhibetur tamquam caput omnium hæreticorum et idololatriæ etiam sceleris reus, quem ubique doctrinam suam spargentem ubique persecutus Petrus, publice maxima illius confusione devicerit. Præcipuus vero callidæ illius suppositionis fœtus est liber Actuum Apostolorum, ubi Simon magus jam diversus a Paulo introducitur, Petri vero et Pauli historia ita accommodata est scholæ conciliatoriæ placitis ut numquam invicem dissensisse, sed summa concordia eidem doctrinæ spargendæ allaborasse appareant. Ex iisdem molitionibus repetenda est origo traditionis quæ Romanam ecclesiam (jam tunc forte inter ceteras præstantem, quod facile explicatur tum ex ipsius urbis in ceterum orbem civili primatu, tum quod ad eam undique confluerent viri præcipuo ingenio et doctrina conspicui, quique maxime statuendæ illi unioni seu conciliationi oppositarum factionum operam dederint) a Petro et Paulo conditam asserebat et utriusque martyrio decoratam; quam proinde, quum utriusque etiam traditionem servaret, maxima apud omnes veneratione gaudere et auctoritate pollere æquum erat.

26. Jam 1° Totum hoc systema, et speciatim admissio suppositionis omnium librorum N. T. præter quatuor epistolas, nititur præjudicio illo, quo ex Gal. II apparere aiunt apertam et implacabilem inimicitiam extitisse inter Petrum et Paulum et sententias invicem contrarias quoad doctrinam de justificatione et quoad obligationem observandæ legis Judaicæ Chri-

stianis imponendam; itemque alias quæ Paulo attribuuntur epistolas, sicut et epistolas catholicas et Actus Apostolorum, cum quatuor illis omnino conciliari non posse. Hoc autem præjudicium manifeste falsum demonstratur.

27. 2° Cetera autem omnia meræ hypotheses sunt, ex sola intrinseca illa et subjectiva critica statutæ, quam recens pauci excogitarunt ut sua commenta venditarent. Quarum si vel una evertatur, ut recte advertit HAGEMANN (1), jam totius ædificii moles ruit.

28. 3° Jam vero, etiamsi præscindatur ab auctoritate testimoniorum illis contradicentium, earum quasdam per se admodum gratuitas, imo omnino impossibiles esse, facile apparet. Sic, ut alia omittamus, *a.* Quam incredibile sit acerrima illa certamina inter factiones religiosas adversas brevissimo tempore (etenim Baur censet ecclesiam Romanam Judaico-Christianam seu Petrinisticam fuisse usque ad extremum seculum II) ita potuisse sedari ut utraque suam doctrinam aliqua ratione servans, eam tamen ad alterius doctrinam accommodaret : quam incredibile, inquam, illud sit, vel ex ipsorum Protestantium historia intelligere licet, quorum conatus ad formulam aliquam doctrinæ omnibus suis sectis communem constituendam, quamvis id omnes summopere cuperent, semper in cassum cesserunt.

(1) Quem de hoc systemate fusius disserentem adisis Diss. cit. supra Proœm. N. 4.

b. Magis etiam incredibile est, historiam præcedentium certaminum ita potuisse deleri per suppositionem complurium documentorum apocryphorum ut nullum ejus vestigium vel etiam suspicio circa illam appareat in monumentis historicis inde ab ineunte seculo III.

c. Omnem autem fingendi audaciam superat quod supponunt Baur et alii Tubingensis scholæ asseclæ, librum Actuum Apostolorum post medium seculum II conscriptum esse *Romæ* ad reconciliationem factionum adversariarum perficiendam, unde et primatus ecclesiæ Romanæ stabilitus fuisset, quum tamen nihil in eo libro habeatur de Petri Romæ commoratione et episcopatu : quam certe traditionem hoc tempore et Romæ et in aliis ecclesiis receptam fuisse et monumenta historica aperte demonstrant, nec ipse, credo, diffitetur Baur. — Hæc ad illius systematis refutationem affatim sufficere videntur.

29. Ex dictis toto hoc capite concludere licet, Romanum Petri iter et episcopatum secundum historicæ criticæ regulas ut simpliciter certum admittendum esse. Nolim tamen cum quibusdam scriptoribus contendere tale illud esse factum quo nihil sit certius (de sola certitudine historica hic semper sermonem esse suppono, non autem de illa quæ ex revelatione vel ex connexione cum revelatis oriri potest. Cfr. supra Procem. N. 3 init.). Etenim summum historicæ certitudinis gradum ea tantum attingunt quæ testimoniis disertis ac indubiis testium oculatorum firmata sunt. At in re nostra, quod ad Romanum Petri episcopatum

spectat, testem antiquiorem non proferimus Irenæo, qui nonnisi centesimo circiter post Petri obitum anno floruit; isque præterea non tam diserte Petrum ecclesiæ Romanæ episcopum quam conditorem asserit : unde (quum non adeo certa sit ætas Carminis adversus Marcionem) usque ad scriptores seculi tertii progrediendum foret. Ea vero quæ attulimus testimonia, ac traditio universalis et constans subsequentium seculorum, quum præsertim nullum alicujus momenti argumentum in partem contrariam afferatur, ita rem certam faciunt ut nullum jam prudens dubium quoad ejus veritatem superesse possit : qua certitudine majorem nemo jure requiret, etiam circa ea facta quæ fundamenta fidei nostræ constituere unanimi theologorum consensu asseruntur.

CAPUT II.

QUAMDIU PETRUS ROMANUM PONTIFICATUM GESSERIT.

—

1. Quatuor præcipuæ circa hanc quæstionem distingui possunt sententiæ. Prima scilicet, quæ est Baronii, Henschenii, Tillemontii et aliorum complurium catholicorum, quamque recentius defenderunt Stenglein et Kunstmann, Petrum amplius viginti quinque annis Romanam Sedem tenuisse statuit. Altera, Ant. Pagii (1), quem sequitur Fr. Pagius (2), Petrum exordio imperii Neronis Romam venisse ac duodecim circiter annos ibidem episcopali munere functum esse censet. Tertia, quæ auctorem habet Papebrochium (3), a Petro Romanæ ecclesiæ pontificatum susceptum existimat circa annum nostræ æræ 50 (Claudii 10), ac proinde quindecim circiter annos retentum. Quarta denique, quam admittunt Sam. Basnagius, Wieseler (4), et alii quidam (plerique Protestantes), Petrum nonnisi

(1) *Critic. in Baron.* ad an. 43 (secundum Baron. 45) nn. 2, 3.

(2) In *Breviario Hist. SS. PP.*

(3) In *Conatu chronico-historico ad Catal. SS. PP.* Diss. II.

(4) Diss. cit. supra Procem. N. 2. — Eamdem opinionem secutus est et scriptor lucubrationis insertæ Periodico Tubingensi, *Theol. Quartalschr.* an. 1820 (cit. supra Procem. N. 4).

paucis mensibus ante obitum suum Romam venisse ac proinde minus anno integro illic versatum esse arbitratur.

ARTICULUS I.

DE ARGUMENTIS PRIMÆ SENTENTIÆ.

2. Hæc sententia sequentibus nititur testimoniis :

1. Eusebius in *Chronico* ad an. Caii Calig. 3 (Chr. 40) : « Petrus apostolus (ait), cum primum » Antiochenam ecclesiam fundasset, Romam mittitur, ibique evangelium prædicans XXV annis ejusdem urbis episcopus perseverat. » (1)

(1) Ita quidem editio Romana (seu tertia) Eusebiani Chronici (P. G. t. XIX. p. 539). Prima autem (Mediolanensis) habet XX *annis;* secunda vero (Veneta), *viginti* [*quinque*] : quod posterius verbum ita uncinis inclusum est tum in latina versione, tum in ipso textu armeniaco. Quidnam autem adduxerit Card. Maium ad substituendum XXV pro XX, ipse non significat; sed ex præfatione ejus ad hanc editionem Romanam suspicio esse potest, hanc lectionem admissam fuisse propter Hieronymi auctoritatem. Ceterum eam genuinam esse suaderi potest ex eo quod Eusebius verba quæ citavimus scripsit ad an. Abrahæ 2055, seu Caii Caligulæ 3; postea vero, ad an. Abrahæ 2082 seu Neronis 12, hæc leguntur : « Petro in Romanæ ecclesiæ episcopatum succedit Linus » (Edit. Mediol. p. 375). Et ad an. Abrahæ 2083, Neronis 13 : « Nero ad cetera scelera » persecutionem quoque Christianorum primus adjunxit, sub quo videlicet Petrus et Paulus Apostoli martyrium Romæ consummaverunt. » Inter an. autem Abrahæ 2083, ad quem refertur martyrium Petri, et an. 2055, ad quem refertur initium ejus episcopatus Romani, 27 vel 28 anni computantur : qui reducuntur ad 25 si, secundum veterum traditionem, adventum Petri Romam differas ad annum secundum Claudii. Hanc autem traditionem sequitur ipse Eusebius *H. E.* II. 14 : ubi adventum Petri Romam non ad Caii Caligulæ tempora, sed ad tempora imperii Claudii refert. Indicato scilicet successu præstigiorum Simonis magi Romæ : « Sed hæc (ait) non diu ex » voto illi fluxerunt. Confestim enim

2. HIERONYMUS *De viris illustr.* cap. 1 : « Simon « Petrus.... secundo Claudii anno ad expugnandum « Simon magum Romam pergit, ibique viginti quinque « annis cathedram sacerdotalem tenuit, usque ad ulti- « mum annum Neronis, id est decimum quartum. » (1)

3. OROSIUS *Hist.* VII. 6 : « Exordio regni Claudii « Petrus Apostolus Domini nostri Jesu Christi Romam « venit... » (2)

4. *Catalogus Liberianus* : « Petrus annis 25, mense 1, diebus 9. » — Eumdem numerum quoad annos assignant Inscriptio Basilicæ Paulinæ (3), Catalogus Felicis IV et omnes catalogi editi a Bianchinio et a Solesmensibus (numero circiter triginta) præter unum e ms. Corbeiensi, qui 20 tantum annos habet, et alterum item Corbeiensem, qui Petrum omittit. — Licet autem libenter fateamur vix ullum horum catalogorum constituere auctoritatem diversam ab auctoritate Catalogi Liberiani, attamen ille eorum consensus saltem ostendit non extitisse traditionem aliam quæ minorem numerum annorum Petri episcopatui tribueret.

3. Præterea confirmatur hæc sententia ex refutatione argumentorum secundæ sententiæ, de qua jam dicendum.

« ipsis Claudii Augusti temporibus, « benigna et clementissima Dei pro- « videntia fortissimum et maximum « inter apostolos Petrum.... Romam « adversus illam generis humani la- « bem ac pestem perducit » (P. G. t. XX. p. 171).

(1) P. L. t. XXXIII. p. 607. — Similia habet in Chronico ad an. Chr. 42 (P. L. t. XXVII. p. 577).

(2) P. L. t. XXXI. p. 1072.

(3) Infra Append. p. 95.

ARTICULUS II.

DE ARGUMENTIS SECUNDÆ SENTENTIÆ, QUÆ DUODECIM ANNOS TANTUM EIDEM ATTRIBUIT.

4. Hæc ita refert Ant. PAGIUS : « Eusebius [seu potius Hieronymus] in Chronico, Petri in urbem Romam adventum refert anno secundo Claudii, quam sententiam secutus est Baronius. Sed... sententia hæc refelli videtur [1°] ex Actibus Apostolorum, ex quibus constat, Petrum in Judæa ac Syria semper mansisse usque ad ultimum annum Agrippæ regis. Qui cum Hierosolymis Petrum in vincula conjecisset, paulo post, divina eum insequente justitia, extinctus est Cæsareæ, ut refert Lucas (1). Cum igitur anno quarto Claudii mortuus sit Agrippa, ut inter omnes convenit, Petrus ante hunc annum Romam proficisci non potuit. Sed [2°] Auctor *Chronici Alexandrini* adventum Petri in urbem Romam adhuc tardius refert. Scribit enim Paulum venisse Hierosolymam ob controversiam de circumcisione anno sexto Claudii; eoque anno celebratum esse Concilium Hierosolymitanum, apostolis nondum a se invicem disjunctis. Itaque ex ejus sententia Petrus non ante annum VII Claudii Romam profectus est (2). [3°] Denique Lactantius lib. *De mortibus perse-*

(1) *Act.* XII. 19 sqq.

(2) Potest ad hoc argumentum adjici confirmatio ex APOLLONIO scriptore sec. III qui (ap. EUSEB. *H. E.* V. 18 extr.) « tamquam ex veterum traditione refert, Dominum apostolis suis præcepisse, ne intra duodecim annos Hierosolymis excederent » (P. G. t. XX. p. 479). Quam traditionem jam extr. sec. II retulit

cutorum cap. 2. ait Petrum, cum jam Nero imperaret, Romam venisse, quæ opinio vero similior videtur. Neque enim in chronologia Pontificia Eusebio magna fides habenda.... Præstat hic Lactantii citati verba in medium afferre : « Apostoli per annos 25 usque ad » principium Neroniani imperii per omnes provincias » et civitates ecclesiæ fundamenta miserunt. Cumque » jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit, et editis » quibusdam miraculis, quæ virtute ipsius Dei data sibi » ab eo potestate faciebat, convertit multos ad justitiam, » Deoque templum fidele ac stabile posuit » (1). Ex his viginti quinque annis, qui ad prædicationem omnium apostolorum ex æquo pertinent, orta videtur opinio de 25 annis qui vulgo tribuuntur S. Petro in sede Romana. [4°] Qui Claudio imperante Petrum Romam venisse volunt, duplicem coguntur profectionem ejus in urbem, et duplex ejus cum Simone mago certamen comminisci, primo quidem temporibus Claudii, dein principatu Neronis; quod tamen a nullo veterum proditum. » Ita PAGIUS.

5. Verum ejus argumenta non ita difficile videntur solvi posse. Nimirum

CLEMENS Alexandrinus *Strom.* VI. 5 extr. « Propterea dicit Petrus Dominum dixisse apostolis : Si quis » ergo velit ex Israel duci pœnitentia, » et propter nomen meum credere in » Deum, remittentur ei peccata post » duodecim annos. Egredimini in » mundum, ne quis dicat : Non audivimus » (P. G. t. IX. p. 263). Ubi probabiliter monent Cave et Grabe hæc verba *post duodecim annos* non cum præcedentibus, sed cum sequentibus jungenda esse.

(1) P. L. t. VII. p. 195. — Et in confirmationem adduci possunt *Catalogus Felicis IV* seu *Liber Pontificalis* ubi legitur : « Petrus ingressus est in urbem Romam Nerone Cæsare. »

Ad I. R. Quamvis demus Petrum Romam profectum non esse nisi postquam ab Angelo e vinculis Herodis liberatus fuisset, probandum adhuc esset hoc ipsum contigisse anno ultimo regni Herodis Agrippæ. Neque enim id satis ostenditur ex eo quod Lucas mortem Herodis refert immediate post narrationem liberationis Petri. Nam, ut sæpius animadversum est, in primis Actuum capitibus, antequam scilicet veniret ad labores apostolicos Pauli enarrandos, non adeo curavit Lucas ut stricte servaret ordinem chronologicum, sed identidem ea conjunxit quæ aliquam invicem connexionem haberent. Facile igitur fieri potuit ut hoc loco, postquam ereptum e manibus Herodis Petrum retulisset, statim quasi appendicis loco subjunxerit qua ratione impius rex divinæ justitiæ pœnas dederit, quamvis id aliquo post tempore acciderit (1).

6. Ita autem rem se habere, et ea quæ in priori parte cap. XII (usque ad vers. 19) referuntur, evenisse anno secundo regni Herodis (qui fuit etiam secundus imperii Claudii), cetera vero anno tantum quarto, ex aliis fontibus, præcipue ex Flavio JOSEPHO, valde probabiliter colligimus. Etenim 1° teste SUETONIO (2), interfectus est Caligula nono Calendas Februarias seu 24 Januarii an. 41 æræ nostræ. Illi statim successit Claudius. Agrippa autem, ut narrat Josephus (3), Romæ tunc versabatur et Claudio familiaris erat, imo et ipsum in capessendo

(1) Adverte autem (ut objectioni occurratur) in græco textu (*Act.* XII. 19) non haberi *κατελθὼν τε*, sed *καὶ κατελθὼν*....

(2) *Vit. Calig.* cap. 58.

(3) *Antiq.* XIX. 4.

imperio multum adjuvit. Inde (1) Claudius inter primos sui imperii actus, « edictum proposuit quo et Agrippæ » imperium, quod ei dederat Caius [Caligula] confirma- » vit et ipsum laudibus ornabat : quin et adjiciebat » quidquid Judææ et Samariæ olim ad ejus avi Herodis » regnum pertinebat. » Et paulo post, exorta seditione Alexandriæ inter Judæos et Græcos, Claudius, rogantibus Agrippa et Herode fratre ejus, alterum edictum in gratiam Judæorum confecit. His expositis, ita pergit Josephus (2) : « His igitur edictis in Alexandriam » et totum terrarum orbem missis ostendit Claudius » Cæsar qua esset erga Judæos voluntate : moxque » Agrippam, regnum curaturum, splendidioribus auc- » tum honoribus dimisit.... Ille vero, id quod verisi- » mile erat homini facere cui prospere omnia cesserunt, » cum celeritate reversus est : cumque Hierosolymam » pervenisset, victimas pro gratiarum actione immo- » lavit, ita ut nihil a lege præscriptum omiserit. » Ex quibus ultimis verbis, sicut ex reliquis quæ refert Josephus cap. 7. n. 3-5, satis apparet quanto studio statim Agrippa in hoc intenderit ut Judæorum sibi animos conciliaret. Et Scriptura etiam testatur Petrum *ab* ipso apprehensum fuisse quia videbat se placere Judæis discipulos Christi persequendo (3). Jam vero credendumne est virum tam astutum tamque sollicitum ut gratiam suorum popularium iniret, credendumne est, inquam, illum usque ad quartum regni sui

(1) Ibid. cap. 5.
(2) Cap. 6.
(3) *Act.* XII. 1-3.

annum exspectasse ut illa ratione tam facili eorum benevolentiam sibi conciliandi uteretur? Nonne potius existimandum eum, quum certe optime nosset ex iis quæ paulo ante acciderant (1) quam infensum animum erga Christi apostolos gererent, statim initio sui regni hanc viam iniisse?

7. Sed et ex reliqua narratione Josephi multum roboris accedit ad nostram conjecturam : quia scilicet ex ea concludere possumus Agrippam an. 44 seu quarto sui regni ante Paschatis tempus e vivis excessisse. Refert enim Josephus (2) eum Hierosolymis descendisse Berytum, ubi « theatrum exædificavit.... » ut et amphitheatrum sumptuosum et magnificum... » Istis autem Beryti celebratis, in Tiberiadem Galileæ » urbem migravit » (3). Deinde paulo infra pergit Josephus (4) : « Tertius annus finierat ex quo Judææ regno » potiebatur cum in urbem Cæsareæ ingressus est » (5). Quum itaque tam præcise finem tertii anni seu initium quarti Josephus assignet adventui Agrippæ Cæsaream, non videntur jure posse addi duo vel tres menses, quod tamen necessarium esset si dicamus ipsum solummodo post Pascha se contulisse Cæsaream, præsertim si, ut videtur colligi ex narratione Josephi, antequam eo pervenerit, Beryti et Tiberiade aliquantum commoratus sit. — Et confirmatur hoc argu-

(1) *Act.* VI-VIII et IX. 23, 24, 29.
(2) Lib. XIX. cap. 7. n. 5.
(3) Cap. 8 in.
(4) Cap. 8. n. 2.
(5) Græce scilicet : Τρίτον ἔτος αὐτῷ βασιλεύοντι τῆς ὅλης Ἰουδαίας πεπλήρωτο.....

mentum *a.* ex eo quod Josephus narrationem ipsius mortis (1) ita concludit : « Vitam finivit, annum agens - ætatis quartum et quinquagesimum, regni vero *sep-* - *timum.* Quatuor namque sub Caio Cæsare annis - regnaverat... tribus porro reliquis sub Claudio Cæ- - sare exactis. » Quibus verbis significare videtur nullam adhuc partem quarti anni ipsius regni effluxisse. Præterea, *b.* quæ est altera nostri argumenti confirmatio, Agrippa Cæsareæ obiit dum solemnia festa celebrabat in honorem Claudii, teste eodem Josepho qui (2) : « Illic autem (ait) in honorem Cæsaris specta- - culum edebat, cum intelligeret pro illius salute hos - festos dies institutos fuisse. » Scimus autem quotannis bis in honorem Imperatorum spectacula edi solita esse, scilicet in eorum die natali et recurrente anniversario initi ab iis imperii. At vero Claudii natalis dies incidebat in mensem Augustum : non itaque, ut concluditur a fortiori ex verbis in argumento et priori confirmatione allatis, hujus natalis occasione ista spectacula ab Agrippa celebrata sunt. Restat igitur ut locum habuerint in anniversario evectionis Claudii ad imperium seu in fine mensis Januarii anno æræ nostræ 44 (3).

8. Ad Arg. II. R. Hæc sunt verba *Chronici Paschalis* ad annum 6 Claudii (æræ vulg. 45) : « Postea

(1) Quam eadem ratione qua Lucas, sed paulo fusius, refert.

(2) Cap. 8. n. 2.

(3) Quidam hæc spectacula celebrata esse putant occasione reditus Claudii e Britannia, qui contigit item mense Januario an. 44. Sed verba Josephi potius videntur indicare festa *pro* Imperatorum *salute* seu ad fausta eis adprecanda instituta.

» [Paulus] veniens Hierosolyma cum Barnaba, ibique » invento Petro ceterisque apostolis, cum Jacobo fra- » tre Domini, epistolam scribunt apostoli Antiochiam » Syriæ, ut ecclesiæ suæ fundamenta jacerent, quam » Paulus ipse et Barnabas Antiochiam deferunt, ut » habent Acta. Ex hoc plane colligitur apostolos ca- » tholicas suas epistolas scripsisse, antequam ii dis- » pergerentur, quantumvis Petrus, ut quidam volunt, » solus ipse Roma scripserit » (1). Itaque, ut cetera omittamus quæ in hunc locum adverti possent, apostolos hucusque disjunctos non fuisse non testatur auctor Chronici tamquam aliquid a se ex documentis vel traditione compertum, sed concludit illud ex eo quod Paulus apostolos Hierosolymis coactos invenit; imo fatetur traditionem ipsius assertioni contradicere.

9. Ad Confirm. autem R. Clemens Alexandrinus ea quæ hoc loco affert desumpsit, sicut et multa alia, ex apocrypha *Prædicatione Petri;* quum autem Apollonius illo posterior sit, ex eo fonte etiam hausisse suam traditionem supponi potest. — Ceterum ex Act. Apostolorum satis colligitur, Petrum cum Joanne se contulisse Samariam ante conversionem Pauli (2), imo et Petrum circa idem tempus visitasse ecclesias Judææ et Samariæ (3). Porro Petrus apprehensus est ab Herode *eodem tempore* quo Paulus et Barnabas Hierosolymas venerunt deferentes eleemosynas Antiochenorum

(1) P. G. t. XCII. p. 565.
(2) Capp. VIII, IX.
(3) *Act.* IX. 31, 32.

ad Judæos (1), postquam per *annum totum* conversati fuerant Antiochiæ (2); Paulus autem Antiochiam non venit nisi post tres annos a sua conversione (3). Itaque quadriennium saltem interfuit inter conversionem Pauli et Petri captivitatem : quæ cum contigerit ante an. 44 quo obiit Herodes, certe ante an. 40 apostoli Hierosolymis excesserant.

10. Ad Arg. III. R. Lactantius (vel quisquis est auctor libri *De mortibus persecutorum*) affirmat quidem Petrum venisse Romam cum jam Nero imperaret, non negat tamen ipsum antea huc venisse. Cur autem non loquatur de primo ejus illuc itinere, facile ratio reddi potest. Nam, ut ipse titulus ejus operis indicat, proposuit sibi referre scelera et funestum exitium illorum imperatorum qui ecclesiam Christi persecuti sunt. Cum igitur horum primus fuerit Nero, de eo agit scriptor exordio sui libri et quasi introductionis loco verba in argumento citata præmittit : nihil autem ipsum cogebat ut diceret vel etiam inquireret num Petrus ante Neronis tempora Romam venerit.

11. Et hæc responsio confirmari potest ex ipso loco *Libri Pontificalis* ubi Petrus Romam venisse dicitur « Nerone Cæsare, » quum scilicet eodem loco idem asseratur amplius viginti quinque annos Romæ sedisse (4).

(1) XI. 30 et XII. 1.

(2) XI. 26.

(3) *Gal.* I. 17-21.

(4) « Hic Petrus ingressus in urbem Romam sub Nerone Cæsare, ibique sedit cathedram episcopatus annos viginti quinque... » P. L. t. CXXVII. p. 1003.

Unde manifeste concludendum est verbis prius citatis commemoratum esse alterum Petri Romam adventum.

12. Ad Arg. IV. R. Imo ideo cogeremur duplex certamen Petri cum Simone in urbe admittere, quia veteres de duplici hoc certamine locuti sint. Sic de certamine sub Claudio diserte testatur EUSEBIUS *H. E.* II. 14; de certamine sub Nerone SULPITIUS SEVERUS, AUGUSTINUS et alii. — In duplici autem itinere admittendo nullum apparet incommodum, ut statim dicemus.

ARTICULUS III.

DE ARGUMENTIS TERTIÆ SENTENTIÆ, QUÆ PETRUM QUINDECIM CIRCITER ANNOS ROMANAM SEDEM TENUISSE STATUIT.

13. Hoc unum argumentum contra antiquam traditionem profert PAPEBROCHIUS, quod scilicet mirum videtur Petrum post constitutam suam cathedram Romæ anno secundo Claudii, anno sequenti reversum esse Hierosolymas ubi ab Herode in vincula conjectus est, ac deinde iterum septennio circiter post, quando interfuit Concilio Hierosolymitano. — Sed ad illud argumentum facile R. Primum iter Petri Romam anno secundo Claudii non esse necessario ponendum ante ejus captivitatem Hierosolymis, sed post eam, ut supra vidimus. — Quod autem Concilio Hierosolymitano interfuit (1) nihil mirum est, quum circa hoc

(1) *Act.* XV.

tempus omnes Judæi Roma exulare jussi sint (1) atque exinde Petrus coactus sit urbem ad aliquod tempus relinquere.

14. Sententiam autem suam, juxta quam non secundo Claudii anno, sed decimo (æræ vulg. 50) Petrus cathedram suam Romæ constituisse dicendus esset, probare nititur Papebrochius duplici conjectura. Altera scilicet, quod Petrus Romam venire potuit occasione ipsius edicti Claudii quo Judæi omnes Roma expellebantur, ut ipse, gentilibus minus notus, Christianos indigenas confirmaret. At hæc conjectura, quæ nullo monumento historico vel indirecte nititur, certe parum videtur probabilis, et multo probabilius est illud edictum causam fuisse cur Petrus, Urbe relicta, Orientem rursus inviserit, ibique manserit usque ad exordium imperii Neronis.

15. Debilior etiam videtur secunda conjectura quam ita profert Papebrochius : « Placet vero hic annus vel ideo magis, quod litteram Dominicalem habens D. habuerit 18 Januarii (2) in Dominica. Quia enim mox infra apparebit, ex consuetudine plurium consequenter seculorum, ordinationes episcoporum, præsertim Romanorum, semper in Dominica aut saltem in festo solemniori celebrari; hujusmodi observantia, cujus initium nullum ostenditur, credi potest ab apostolica institutione fluxisse, ipsumque Petrum ejus in se-

(1) *Act.* XVIII. 2.

(2) Quo die celebratur memoria Cathedræ S. Petri Romæ.

metipso fecisse exemplum. Et sane cum ordinationes illæ primis seculis... ex cleri et populi acceptatione penderent, rectissime ad easdem designabatur dies, quo populus ab opere feriatus consueverat ad sacra... peragenda convenire. » — Verum credendumne est ea solemnitate episcopatum Romæ susceptum fuisse a Petro qua postea a ceteris episcopis, atque ad ejus electionem concurrisse clerum (qui probabilissime nullus adhuc erat) et populum? Et iste ritus videturne tanti momenti esse ut apostolicæ institutioni tribui debeat? Certe hæc difficile suaderi poterunt.

ARTICULUS IV.

DE ARGUMENTIS QUARTÆ SENTENTIÆ, QUÆ PETRUM PAUCOS TANTUM ANNOS VEL MENSES ROMÆ COMMORATUM ESSE AIT.

16. Horum summa ad hoc reducitur quod, quum Petrus anno 50 Concilio apostolorum interfuerit Hierosolymis, ante hoc tempus e Palæstinæ et Syriæ partibus discessisse censeri non potest, imo nec ante annum 54, quo Paulus ipsum Hierosolymis convenit (1). Deinde ex silentio Pauli de Petro in sua epistola ad Romanos anno 58 scripta ostenditur hunc eo tempore nondum Romam venisse (2). Idemque demonstratur quoad annum 61 ex silentio scriptoris Actuum Apostolorum adventum Pauli Romam narrantis (3). Denique et quoad biennium insequens ex ipsius Pauli silentio

(1) *Gal.* II. 1, 2, 9.
(2) Cfr. supra Cap. I. N. 8, 2°.
(3) Cfr. Ibid. 1° b.

in epistolis suis Roma scriptis (1). — Restat itaque ut Petrus non ante finem æstatis anni 63 Romam venisse dicatur.

17. Jam vero, ex dictis Cap. I in responsionibus ad argumenta negativa et hujus Capitis Art. II, facile constat argumenta modo indicata rem non evincere, sed ea omnia quibus nituntur optime conciliari posse cum testimoniis pro prima sententia allatis.

18. Itaque, ut paucis hanc disputationem concludamus, Petrum 25 annos Romanam cathedram tenuisse diserte testantur auctor primæ partis *Catalogi Liberiani*, EUSEBIUS, HIERONYMUS, OROSIUS et alii, nullo antiquo auctore vel monumento directe aut indirecte contradicente (2). Hanc sententiam igitur ut longe probabiliorem tenendam esse censemus (3).

(1) Cfr. Ibid. 3°.

(2) Opponet forte aliquis auctoritatem DIONYSII Corinthii scribentis Petrum et Paulum in Italiam *simul* profectos esse (Vid. Append. pag. 2, Test. 3. extr.). At 1° vox ὁμόσε, quam VALESIUS latine expressit *simul*, non minus probabiliter reddi potest *pariter*. 2° Etiamsi Valesius optime attigisset sensum Dionysii, facile is supponi potest (dum vinculum illud inter Romanos et Corinthios inde resultans quod utrique a Petro et Paulo evangelicam veritatem edocti erant, non ut historicus describit, sed in epistola obiter memorat) errasse circa circumstantiam temporis, quæ nihil ad scopum ab ipso intentum conferebat.

(3) Quod autem « ad confirmationem vulgaris opinionis de annis XXV dicitur (ait PAPEBROCHIUS Diss. cit. n. 8), Romano Pontifici accini in die coronationis suæ, *Non visurum annos Petri*, non docet quidem Ordo Romanus in ritibus ea occasione servari solitis, qualem habemus impressum Venetiis anno 1562, sed neque hodierna praxis, aut aliquis quem legerim auctor. »

CAPUT III.

UTRUM PETRUS SOLUS AN SIMUL CUM EO PAULUS ROMANAM ECCLESIAM REXERIT.

—

1. Plerique scriptores catholici vel hanc quæstionem negligunt vel Paulum Romanæ ecclesiæ præfuisse diserte negant. Hi autem sententiam suam comprobare nituntur afferendo auctoritatem veterum Catalogorum RR. PP. et Patrum qui Romanam sedem Petri sedem appellarunt et Pontifices Romanos hæredes Petri esse affirmarunt. « Præterea (ait PALMA) (1) monumenta quæ habentur de schismate a Novatiano in Romana ecclesia excitato quando Cornelius electus est; testimonia scriptorum quæ exstant de Liberii ad urbem reditu, ac de Felicis discessu, qui Liberio in exilium pulso se veluti Pontificem in urbe gesserat, satis clare demonstrant, apud Romanos persuasionem fuisse, ut in una eademque ecclesia duo simul episcopi esse non possint. Denique hanc ecclesiæ Romanæ sententiam fuisse ab omni antiquitate, inter cetera evincit Melchiadis Romani Pontificis agendi ac discernendi

(1) *Prælect.* tom. I. part. 1. cap. 7 extr.

ratio, ab eo adhibita postquam de Donatistarum causa judicavit, quam agendi et discernendi rationem tantopere laudat Augustinus..... »

2. Attamen viri quidam docti, inter quos PAPEBROCHIUS (1), Paulum vere et proprie Romanæ ecclesiæ episcopum fuisse putant. Idque probant præcipue ex testimoniis Irenæi (2), qui easdem omnino partes in condenda ecclesia Romana tribuit Petro et Paulo; atque Epiphanii qui *Hær.* 27. n. 6 : « Romæ (ait) » primi omnium Petrus et Paulus Apostoli pariter et » episcopi fuerunt. » Et paulo inferius : « Romanorum » Pontificum ista est successio : Petrus et Paulus, » Linus,.... » (3) — « Et ne quis offendatur (4) ac si duorum episcoporum societate ecclesiæ unitas et vetus disciplina læderetur, quæ suum cuique ecclesiæ episcopum eumque singularem præficit; observandum est hanc politiam Synodo Nicænæ deberi : quæ Canone lato, ne plures uni ecclesiæ præponerentur episcopi, prudenter, ad tollendas dissidiorum occasiones, prohibuit (5). Alius mos apostolorum temporibus vigebat, qui majoribus et insignioribus civitatibus plures presbyte-

(1) In *Conatu Chron.-Hist.* et in *Defensione contra Exhibit. errorum*, part. I. art. 7. ad accusat. 5.

(2) V. Append. pag. 2.

(3) P. G. t. XLI. p. 371.

(4) Ita pergit PAPEBROCHIUS in *Conatu*.

(5) Ad exempla autem apud PALMA relata, responderi potest Novatianum non fuisse legitime electum, inter Donatistas autem et Catholicos episcopos maximum adfuisse dissidiorum periculum. Præterea facile admitti potest etiam in sententia Papebrochii canonem Nicænum jamdudum ante istam Synodum consuetudine observatum esse, quin ideo referatur ad tempora apostolica.

ros sive episcopos præficiebant, ut mutuis auxiliis suffulti, ad propagandam in suburbanas regiones fidem sufficerent. Unde Pauli exhortatio ad presbyterium ecclesiæ Ephesinæ his verbis concipitur : « Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei » (1). Antiquum etenim illud presbyterium ex pluribus episcopis conflatum erat, sic exigente temporum ratione, ita tamen ut unus ceteris præemineret : quod ab apostolis ipsis introductum, qui tandem quoque solos presbyteros secundi gradus ad conflandum presbyterium, seu mavis ecclesiæ senatum, adhibuerunt : qua de re copiosius alibi a nobis disputatum. Interim ad præsentem quæstionem id observasse sufficit, non alienam esse a praxi apostolorum, plurium unius ecclesiæ episcoporum communionem... (2) Duo ergo in solidum Romanæ ecclesiæ episcopi, Petrus et Paulus : sed ita ut Petrus, collegii apostolici caput et princeps, suam quoque dignitatem tueretur. — Ex hoc episcopatu Pauli manavit, ut Hieronymus Damasum apostolos honore sequi dixerit, Romani quoque Pontifices inter cetera Sedis suæ decora, hoc quoque posuerunt, se vicarios esse Petri et Pauli, eorumque throni successores, ut loquitur Hadrianus I in Epist. ad Constantinum et Irenen Imperatores. Quem imitatus est Gregorius VII, qui se

(1) *Act.* XX. 28.

(2) Plures in eadem ecclesia episcopos passim fuisse tempore apostolorum asserit etiam et propugnat PETAVIUS *Dissertationum Ecclesiasticarum* lib. I. cap. 1-3. et *de Eccles. Hierarch.* lib. I. cap. 4. n. 3. lib. II. cap. 3. nn. 3, 8.

in Petri et Pauli throno sedere jactat in formula excommunicationis contra Henricum Imperatorem... Alioqui, nisi successio istæc auctoritatis a Paulo derivatæ admittatur, ægre ac ne vix quidem explicari potest formula illa, quam a temporibus Nicolai I... Summi Pontifices usurpant, cum aut excommunicatione reos defigunt, aut a peccatis clementer absolvunt : utrumque enim se auctoritate Petri et Pauli decernere testantur : quod nisi ex successione Pauli in episcopatu interpretationem recipiat, frigidius dictum videbitur. Labores enim ad erudiendam fundandamque ecclesiam Romanam a Paulo suscepti, et fusus in urbe Roma cruor, ut ad sedis dignitatem augendam ornandamque maxime conferunt, ita ad auctoritatem impertiendam nihil aut parum pertinere videntur. »

3. Hæc Papebrochius, qui deinde conatur refutare argumentum, quod ad statuendam præeminentiam Pauli supra Petrum acatholici deducunt ex veteribus imaginibus, ubi scilicet Paulus ad dexteram Petri visitur. Advertit nempe id quod latus dextrum videtur, si Pauli imago cum Petri imagine comparetur, esse latus sinistrum, si referatur ad inspicientes : ex qua relatione, ait, sæpe metiendus est honoris gradus in conventibus publicis : ejusque rei quædam exempla affert (1). Sed probabilius ipsa suppositio

(1) Alias illius (ut supponunt) antiquæ consuetudinis rationes videsis *Act. SS.* tom. VII. Jun. p. 161-167 et apud ARRINGHI, BOSIO, BOLDETTI (in ipsorum operibus de cœmeteriis Christianis).

hujus consuetudinis nimis facile admissa est. Etenim inter imagines quibus ornantur vitrei scyphi in cœmeteriis Romanis reperti, quasque descripsit P. Garrucci (1), plus triginta sunt ubi Petrus ad dexteram Pauli collocatus est et solummodo quatuor vel quinque ubi ad sinistram (2).

(1) In suo opere de vitris coloratis quæ in hypogèis reperta sunt.

(2) Ceteras autem, numero circiter quindecim, ubi uterque Apostolus depictus est, cum inscriptione careant vel hæc in medio spatio inter utriusque effigiem posita sit, tamquam dubias omisimus in hac recensione.

DISSERTATIO II.

DE CONTROVERSIA CIRCA CELEBRATIONEM PASCHATIS (EXTR. SEC. II).

PROŒMIUM.

1. Historiam hujus controversiæ satis dilucide exponit EUSEBIUS *Hist. Eccl.* lib. V. cap. 23-25 (1) : ubi et quædam citantur, sive ad verbum exscripta, sive summatim contracta, sive obiter tantum indicata, ex documentis coævis ad eam spectantibus.

2. Alia autem hujusmodi documenta certa jam non suppetunt nobis. Neque enim *a.* authentica asserere ausim *Acta Synodi Cæsariensis,* quorum versionem latinam exhibet opusculum seu fragmentum *De æquinoctio vernali* inter opera BEDÆ, et alteram BUCHERIUS inter appendices ad Commentarium *De doctrina temporum* ac BALUZIUS in *Nova Collectione Conci-*

(1) Cit. infra App. B. Test. 1 (pag. 6-9).

liorum, quæ in codicibus unde hi eam hauserunt indicabatur narratio esse cujusdam Philippi, aliunde ignoti. Quæ acta adeo inconcinne conscripta sunt ut rusticitatem potius seculi VIII vel IX quam antiquam illam simplicitatem referre videantur (1). ***b.*** Ea autem quæ ex MELITONE Sardensi retulit Eusebius (2), ad controversiam de qua hic agendum est non pertinere, constat vel ex tempore quo floruit Melito, circa medium scilicet seculi II. ***c.*** Neque ad eamdem pertinent aut quidquam subsidii afferunt ad solvendas quæstiones quæ circa eam agitari solent, excerpta ex Apollinari, Clemente Alexandrino, Hippolyto, Petro Alexandrino et forte aliis nonnullis quæ exordio lucubrationis suæ recitat auctor *Chronici Paschalis* (3).

3. Itaque Eusebii in *Hist. Eccl.* narrationi documentorum nomine adjungenda tantum videntur ea quæ circa celebrem illum eventum obiter attigerunt post medium seculum III ANATOLIUS Alexandrinus et FIRMILIANUS; seculo IV EUSEBIUS in suo *Chronico,* in ejusdem versione atque in libro *De viris illustribus* HIERONYMUS, et in opere suo adversus hæreses EPIPHANIUS Constantiensis; ac denique paulo fusius se-

(1) Solum eorum procemium in Appendice ad hanc Dissertationem (Test. **3.** pag. **9**) exscribendum duxi. Illud autem diu post habitam synodum conscriptum esse indicat citatum testimonium Eusebii Cæsariensis; quumque intime connectatur cum reliquis Actis, inde etiam suspecta redditur horum authentia. Ceterum post procemium nihil in iis reperitur ad historiam controversiæ spectans.

(2) App. **B.** Test. **2** (pag. **9**).

(3) Unde nec ea in Appendice citanda esse censui.

culo VI SOCRATES et SOZOMENUS (1). — Quæ vero apud alios antiquiores de eadem re commemorata reperiuntur, ex iis quos citavimus deprompta sunt.

4. Ex recentioribus vero, præter scriptores historiæ ecclesiasticæ vel Pontificum Romanorum aut Conciliorum generalis (2), materiam hanc præcipue tractarunt :

SCHELSTRAETE (E.) *Antiquitas illustrata.* Part. II. Diss. I. Cap. 3.

MASSUET (R.) *Diss. præv.* ad opp. S. Irenæi. Diss. II. Art. 1. n. 19-29 (3).

COUSTANT (P.) *Epist. RR. PP.* — Proleg. ad epist. S. Victoris.

DANIEL (G.) *De la discipline des Quartodécimans pour la célébration de la Pâque* (4).

ZACCARIA (F. A.) *Sulla controversia di Papa Vittore cogli Asiani*, etc. (5).

GORINI (S.) *Défense de l'Eglise*, etc. Tom. I. chap. 2. *Saint Irénée.* § 12-14.

HEUMANN (C. A.) *Vera descriptio priscæ contentionis inter Romam et Asiam de vero Paschate* (6).

(1) Horum omnium testimonia habes infra App. pag. **10-15**. Quibus etiam inserta sunt (pag. **11**) testimonia CONSTANTINI et ATHANASII, ubi indicantur ecclesiæ quæ ineunte seculo IV praxim quartodecimanorum adhuc observabant.

(2) Inter quos accuratissime omnium rem digessit. Ill. HEFELE, *Conciliengeschichte*, tom. I. § 37.

(3) P. G. t. VII. p. 192 sqq.

(4) In ejusdem *Recueil de divers ouvrages philosophiques, théologiques*, etc. Paris 1724. 4. Tom. III. p. 473.

(5) In ipsius *Raccolta di diss. di stor. eccl.* tom. VI. Diss. II.

(6) In ejusdem *Nova Sylloge dissertationum*, tom I. p. 156 sqq.

RETTBERG (F. W.) *Der Paschastreit der alten Kirche* (1).

WEITZEL (C. L.) *Der christlische Passafeier der drei ersten Jahrhunderte*. Pforzheim 1848. 8.

HILGENFELD (A. J.) *Der Paschastreit der alten Kirche*. Halle 1860. 8.

5. Non autem immorandum duximus in refutandis argumentis quibus historicam veritatem hujus controversiæ et authentiam documentorum ad eam spectantium inficiari conatus est M. MOLKENBUHR (2). Ista argumenta enim seu potius (ut recte ait PALMA) laboriosas conjecturas nullam vim habere, facile ea perlegenti apparet.

(1) In Periodico (ILLGEN) *Zeitschrift für historische Theologie*, an. 1832.

(2) *Dissertatio critica, quod duæ famosæ epistolæ Polycratis et Irenæi adversus S. Victorem Papam in causa Paschatis sint supposititiæ*. Monasterii Westphal. 1793. 4.

CAPUT I.

QUÆNAM IN HAC CONTROVERSIA IN DISCEPTATIONEM VOCARENTUR.

—

1. Recte advertit DANIEL errare eos qui putent Asianos (1) ideo a reliquis ecclesiis reprehensos fuisse quia

(1) De sensu hujus nominis in re præsenti observat Gorini (l. c. § 12) : « Rappelons-nous que la géographie ancienne élargissait et rétrécissait de bien des façons la signification du mot *Asie*. Cette expression lui servait à désigner la seconde partie du monde; puis la presqu'île occidentale de cette partie du globe, sous le nom d'Asie Mineure; ensuite, à l'extrémité ouest de cette presqu'île, le diocèse d'Asie; enfin, dans ce diocèse, la première de ses provinces, l'Asie proconsulaire, ancien royaume de Pergame, dont Ephèse était la capitale. L'Ecriture sainte elle-même nous montre saint Pierre et saint Luc donnant au mot *Asie* ce sens restreint (I. PET. I. 1. — *Act.* II. 9). — Or, l'Asie quatuordécimane était la province proconsulaire de ce nom, et la plus grande partie du reste du diocèse, mais non pas la péninsule entière, puisque le Pont, dans un concile tenu à ce sujet, déclara ses coutumes conformes à celles de Rome [EUS. *H. E.* V. 23]. Le foyer principal de l'opposition fut l'église d'Ephèse, gouvernée par Polycrate. Ce prélat, après avoir consulté ses suffragants à la demande du pape, protesta contre la pratique la plus répandue. Evidemment il n'était en cela l'organe ni de l'Asie, ni de l'Orient en général, comme ont semblé le croire MM. Ampère et Amédée Thiery; il ne représentait pas même l'Asie Mineure : les évêques de ces régions n'étaient ni tous présents à son concile, ni tous soumis à son autorité, ni tous partisans de sa façon de voir. — J'ai ajouté cependant que l'usage blâmé et relatif à la Pâque s'étendait au delà du territoire de Polycrate. Plusieurs considérations obligent à le conclure. 1° Victor, dans la sentence dont saint Irénée obtint l'annulation, frappait, comme

diem memoriæ resurrectionis Dominicæ sacrum eumdem statuerent quo Judæi Pascha suum agere solebant. Id certe neque a veterum quovis illis exprobratur neque ullam habet probabilitatem. Certum est enim Christum non resurrexisse luna decima quarta, qua Judæi Pascha suum ex præscripto legis celebrabant, sed biduo aut triduo post, seu luna decima sexta vel etiam decima septima. Neque profecto hoc Asiani negabant aut ignorabant : attamen ad Evangelium seu exemplum Domini provocabant ad defendendam suam consuetudinem, ut colligitur ex epistola Polycratis : qui, post citatos Philippum et Joannem apostolos, aliosque sanctos viros : « Hi omnes (ait) diem Paschæ » quarta decima luna *juxta Evangelium* observarunt : » nihil omnino variantes, sed regulam fidei constanter » sequentes » (1). — Prædictum autem errorem peperit, ut videtur, prava interpretatio vocabuli *Pascha*, quo nomine post Concilium Nicænum fere designatus

récalcitrants, Polycrate et les évêques des provinces voisines. 2° Les personnages dont l'exemple rassurait l'évêque d'Ephèse n'avaient pas tous siégé dans sa province; plusieurs avaient habité d'autres endroits de l'exarchat. 3° Les diverses provinces de l'exarchat devaient imiter Ephèse, puisque l'apôtre saint Jean avait pris un soin égal de toutes ces églises. Nous lisons au commencement de l'Apocalypse : « J'entendis derrière moi une voix éclatante comme une trompette, qui disait : Ecris dans un livre ce que tu aperçois et adresse-le aux sept églises qui sont en Asie : à Ephèse, à Smyrne, à Pergame, à Thyatire, à Sardes, à Philadelphie, à Laodicée » (cap. I. vv. 10, 11). C'est dans le diocèse d'Asie que ces villes se rencontrent. » — Itaque concludendum videtur nomen Asiæ hic non definite ad Asiam Minorem vel diœcesim Asianam vel Asiam proconsularem designandam ab Eusebio et aliis antiquis usurpatum esse, sed magis indefinite his locis indicatam regionem illam quæ nomine Asiæ vocari solebat.

(1) Append. pag. 7 med.

est dies quo celebratur memoria resurrectionis Dominicæ, antiquius autem non hæc vel saltem non hæc sola illi tribuebatur significatio (1). Quo igitur hujus litis ratio plenius intelligatur, ejus historia paulo altius videtur repetenda.

2. Apostoli, quamvis legem Moysis Christi lege abrogatam scirent, quosdam tamen ritus et mores Mosaicos retinuerunt, idque vel ad breve tempus, ad Judæorum videlicet offensionem vitandam, ut quum in concilio Hierosolymitano fidelibus abstinentiam a suffocatis et a sanguine præceperunt, vel etiam in perpetuum, Christiano sensu iis accommodato. Ita Paschalem festivitatem convivio et communione Eucharistiæ agere consueverunt : ad quem ritum servandum plures obviæ erant rationes, quod scilicet : 1° Ipse Dominus hoc modo Pascha cum discipulis celebraverat. 2° Ita memoriam recolebant sacræ cœnæ a Christo institutæ in fine Paschalis convivii. 3° Auctore Paulo (2) agnus paschalis Judæorum figura fuit Jesu Christi pro peccatis hominum immolati, ac proinde optime divinum hoc sacrificium in memoriam revocari et ante oculos veluti poni poterat per adumbrationem ejus ab ipso Deo in veteri lege præscriptam.

3. Attamen, sicut pro observatione sabbati substituta est brevi observatio diei Dominicæ, ita etiam festi-

(1) Quinimo duo distinguebant paschata, πάσχα σταυρώσιμον seu crucifixionis et πάσχα ἀναστάσιμον seu resurrectionis. Vid. SUICERUS, *Thesaur.* ad verb. πάσχα.

(2) I. *Cor.* v. 7.

vitas Paschalis translata est a luna decima quarta primi mensis, qua eam agebant Judæi, ad diem Dominicam proxime sequentem : tum, quod probabiliter conjicere licet, ut Christiani a Judæis discernerentur, eo tempore præsertim iisque in locis ubi jam non affulgebat spes Judæos ad Christianam fidem alliciendi ; tum quod hac ratione præcipua illa anni festivitas conjungebatur memoriæ resurrectionis Domini, quæ præcipuum prædicabatur religionis Christianæ fundamentum (1), quamque singulis Dominicis celebratam, speciatim ea Dominica qua locum habuit recolere par erat; tum denique quod magis deceret convivio celebrari memoriam resurrectionis Domini, non adeo ejus passionis, quæ potius jejunio et luctu agenda videbatur. Id autem non eodem tempore ubique inductum est. Nam in Romana ecclesia videtur ista disciplina jam ab ipso Petro instituta et inde in alias ecclesias Occidentales, sicut ipsa doctrina evangelica, manasse. Et forte in ecclesiis Palæstinæ et Syriæ, quas cum Romana in hac lite consensisse Eusebius refert, auctoritate etiam Petri et Pauli post concilium Hierosolymitanum introducta est. In ecclesiis vero Asiæ minoris nihil veteri ritui immutandum censuisse videntur Apostoli qui ibidem fidem propagarunt, quamquam Paulus Ephesi biennium commoratus est (2); sed forte propter contradictiones quas ibi expertus est abstinuit a præbenda Judæis illa nova offensionis causa (3).

(1) I. *Cor*. xv. 12-22.

(2) *Act*. xix. 10.

(3) Ex his ostendere conantur adversarii Catholicæ veritatis quam pa-

4. Asiani igitur epulum Paschale eodem cum Judæis die agebant, sicque jejunium majoris hebdomadæ interrumpebant. Finito autem hoc convivio, ad jejunium solemne redibant (1) illudque continuabant usque in tertiam diem, qua festum resurrectionis Dominicæ celebrabant, in quamcumque etiam incideret septimanæ diem. Christiani vero alii et festum resurrectionis Dominicæ agebant post lunam decimam quartam primi mensis et esum agni paschalis usque ad noctem quæ illam festivitatem præcedebat differebant.

5. Tria itaque videntur in illa controversia agitata esse, nimirum : 1° Num Christianis conveniret epulum

rum tribuendum sit illi regulæ fidei quam Catholici in apostolica traditione reponunt : etenim in præsenti controversia, aiunt, utraque pars æquo jure apostolicam traditionem prætendebat, Occidentales scilicet traditionem a Petro et Paulo acceptam, Asiani vero a Joanne et Philippo. Sed facile R. Hoc verbum *Traditio Apostolica* multiplici sensu usurpari potest. Scilicet 1° Strictiori sensu complectitur ea quæ in Scripturis non consignata, ab apostolis tamquam a Deo revelata et fide divina credenda fidelibus proposita sunt : et hæc sola est regula fidei. 2° Latiori sensu indicat ea quæ apostoli nomine suo et Spiritu Sancto quidem assistente, non tamen tamquam a Deo revelata, constituerunt et fidelibus proposuerunt vi auctoritatis peculiaris quam ex missione sua apostolica habebant. Quale videtur illud Pauli I. *Cor.* VII. 12 sqq. : « Ceteris ego dico, non Dominus. Si » quis frater uxorem habeat infidelem, et hæc consentit habitare cum » illo, non dimittat illam... Quod si » infidelis discedit, discedat. » 3° Tandem latissimo sensu dici possunt ex apostolica traditione haberi ea quæ ab apostolis observata vel etiam commendata aut laudata sunt. — Hujus ultimi generis erat traditio quam obtendebant Asiani, quidquid sit de illa qua nitebantur Occidentales, quam magis proprie, nempe secundo sensu, traditionem apostolicam dici debere aliqui (inter quos Nat. Alexander) contendunt.

(1) Quidam tamen existimant illo convivio apud Asianos jejunium quadragesimale non tantum interruptum, sed et omnino terminatum fuisse. Cui sententiæ utique videtur adstipulari Eusebius exordio narrationis suæ (Append. p. 6).

Paschale eodem cum Judæis die agere. 2° Num fas esset memoriam passionis Dominicæ cœna paschali recolere ac jejunium solemne ita interrumpere. 3° Num liceret alia quam Dominica die festum resurrectionis Christi celebrare.

CAPUT II.

DE CONTROVERSIIS QUÆ ANTE TEMPORA VICTORIS CIRCA EAM QUÆSTIONEM EXCITATÆ SUNT, ET UTRUM VICTOR PRUDENTER EGERIT IN EA DECIDENDA.

—

1. Disceptationes de die celebrandi Paschatis in ecclesia Romana jam exortas esse Pio I Summo Pontifice (an. 142-157) indicat *Catalogus Felicis IV* seu *Liber Pontificalis*, ubi de illo Pontifice hæc leguntur : « Sub hujus episcopatu frater ipsius Hermes librum » scripsit, in quo mandatum continetur quod ei præ» cepit Angelus Domini, cum venit ad eum in habitu » Pastoris, et *præcepit ei ut sanctum Pascha die Do*» *minica celebraretur* » (1).

2. Deinde Anicetus, Pii successor (an. 157-168), conatus est ecclesias Asianas ab ipsarum observantia deducere. Quod tamen persuadendo obtinere non potuit, nec rem ulterius urgendam duxit (2).

(1) P. L. t. CXXVII. p. 1213. — Sumpsit inde Pseudo-Isidorus argumentum epistolæ primæ quam Pio supposuit, qua scilicet præceptum illud a Pontifice promulgatum fingitur.

(2) Append. p. 8 extr. — *Libellus Synodicus* (cujus auctor historiam Conciliorum omnium, tum generalium tum provincialium, brevi compendio exaravit, extremo, ut videtur, sec. IX : desinit enim in Octava Sy-

3. Soterem autem, Aniceti successorem (an. 168-176) aliquid circa Paschatis celebrationem constituisse, videtur concludi posse ex verbis IRENÆI : « Sed et presbyteri illi (ait, ad Victorem scribens), qui *ante Soterem* ecclesiam, cui tu nunc præes, gubernarunt... neque ipsi unquam observarunt [Pascha more Asianorum], neque his qui cum ipsis erant ut id observarent permiserunt. Ipsi tamen cum hoc minime observarent, pacem nihilominus colebant cum iis qui ad se venissent ex ecclesiis in quibus id observabatur. *Atqui observantia, inter eos qui minime observabant, tanto magis contraria videbatur*. Nec ulli unquam ob ejusmodi consuetudinem rejecti sunt. Verum illi ipsi qui te præcesserunt presbyteri, quamvis id minime observarent, ecclesiarum presbyteris qui id observabant, eucharistiam transmiserunt » (1). Ex his ultimis verbis igitur colligi videtur, Soterem quidem, sicut et reliquos Victoris prædecessores, communionem servasse cum ecclesiis quæ Pascha XIV luna celebrabant; ex præcedentibus autem, ante Soterem potuisse

nodo Œcumenica CPoli an. 869-70 habita) concilium hac occasione Romæ celebratum refert : « Synodus divina et sancta provincialis (ait), Romæ congregata a beatissimo Aniceto, ejusdem urbis papa, et Polycarpo sancto martyre Smyrnæ episcopo, aliisque episcopis decem, contra eos qui Judaico more luna decima quarta divinum celebrabant pascha, aliisque ritibus et typis id ipsum perficiebant. Hæc igitur Synodus definivit tremendam et salutarem Domini nostri Jesu Christi et Dei passionem in sancta parasceve mystice celebrandam, resurrectionem autem vitæ auctricem ipsa celebri et magna dominica omni modo esse peragendam » (*Coll. Conc.* tom. I. ad an. 165). Sed hæc manifeste discrepant a narratione Irenæi.

(1) Append. pag. 8 post med.

fideles illarum ecclesiarum, qui forte Romæ essent tempore Paschalis festivitatis, eam secundum consuetudinem suam celebrare, Soterem vero id prohibuisse et injunxisse ut illam Romano more agerent (1).

4. Denique Eleuthero S. P. (an. 177-190) in ipsa urbe controversiam de celebratione Paschatis excitavit Blastus quidam hæresiarcha vel saltem schismaticus (2). De quo auctor coævus Catalogi hæreticorum TERTULLIANI libro *de præscriptionibus* subjecti : « Est » præterea (ait) his omnibus etiam Blastus accedens, » qui latenter judaismum vult introducere. Pascha » enim dicit non aliter custodiendum esse nisi secun- » dum legem Moysi XIV mensis » (3).

5. Non exiguæ itaque rationes Victorem impellebant ut tandem hanc quæstionem dirimeret. Etenim, præterquam quod maxime dedecebat illa varietas disciplinæ circa celebrationem jejunii et festivitatis Paschalis, eaque gentilibus irrisionis et scandali occasio esse poterat, eadem etiam causa dissensionis et controversiarum erat inter diversas ecclesias, imo et intra eas : adeo ut nuperrime occasio fuisset schismatis in ipsa ecclesia Romana. Et timeri merito poterat ne ex consuetudine hucusque tolerata quarumdam ecclesiarum argumentum desumerent hæretici judaizantes

(1) Non satis liquet utrum ejusdem cum aliis hic memoratis generis esset controversia qua eo fere tempore Laodicenam ecclesiam turbatam fuisse memorat MELITO (Append. pag. 9 extr.).

(2) EUSEB. *H. E.* V. 15, 20 (P. G. t. XX. pp. 463, 483).

(3) P. L. t. II. p. 72.

ad suas doctrinas confirmandas. — Injuria itaque Victorem arguunt MOSHEIM, DE POTTER et alii, quasi imprudenti nimis et impotenti animo hanc rem aggressus sit (1).

6. Sed et in ea decidenda maxima usus est prudentia. Neque enim statim sua auctoritate id egit, sed et ipse coegit synodum Rómæ et in aliis provinciis episcopos ad deliberandum de ratione varietatem istam tollendi convenire jussit (2). Quumque ab istis synodis responsiones accepisset quibus certior factus est omnes, præter Asianos, « uno consensu ecclesiasticam regulam universis fidelibus... tradidisse : ne videlicet ullo alio quam Dominico die mysterium resurrectionis Domini unquam celebretur; utque eo dumtaxat die Paschalium jejuniorum terminum observemus, » (3) tunc demum suum decretum, tot auctoritatibus confirmatum, ad Asianos direxit, jubens ut et ipsi huic regulæ se conformarent. Asiani autem illi resistendo non solum auctoritatem Pontificis Romani, sed et universæ ecclesiæ spreverunt (4).

(1) Imo Victorem non sua sponte illam aggressum esse, sed controversiam in ipsa Asia ejus tempore esse exortam indicare videtur EUSEBIUS in suo Chronico (Append. pag. 11 extr.) nec diffitetur exordio narrationis suæ in *Historia Ecclesiastica* (ibid. pag. 6).

(2) Concilia illa auctoritate Victoris coacta esse habetur ex verbis Polycratis : « Possem etiam episcoporum qui mecum sunt facere mentionem, *quos petiistis ut convocarem*, sicut et feci » (Append. pag. 7 extr.) — Præterea secus difficile explicatur quomodo factum sit ut tot concilia provincialia eodem tempore de eadem re deliberatura convenerint.

(3) Append. pag. 6 med.

(4) Et hinc satis apparet quam parum logice isto exemplo utantur quidam Gallicani ad suas doctrinas confirmandas : quum admittant et magno studio propugnent auctoritatem ecclesiæ, etiam dispersæ, omnino irrefragabilem esse.

CAPUT III.

UTRUM VICTOR ASIANOS PERVICACES EXCOMMUNICATIONI SUBJECERIT.

—

1. Negativam sententiam tuentur VALESIUS, Nat. ALEXANDER, SANDINUS, et alii, qui aiunt Victorem non processisse ultra minas. Affirmantem vero BARONIUS, MARCA (P. DE), SCHELSTRAETE, RONCAGLIA, PAGIUS, TILLEMONT, COUSTANT.

2. I. Priores autem hæc fere argumenta proferunt :

1° FIRMILIANUS, anno circiter 256 illam controversiam memorans, diserte : « Nec tamen (ait) *propter hoc ab ecclesiæ catholicæ pace atque unitate aliquando discessum est* » (1). Id utiqne non dixisset Firmilianus si ante sexaginta annos Asiani propter hoc dissidium de celebratione Paschatis a communione ecclesiastica fuissent separati.

3. 2° EUSEBIUS ait Victorem *conatum esse* Asiæ ecclesias a communi unitate amputare (2). Ergo rem non perfecit.

4. 3° Ceteri episcopi, post latam a Victore senten-

(1) Append. pag. 11 init. (2) Ibid. pag. 8 init.

tiam quam patroni opinionis contrariæ excommunicationis dicunt, illum « ex adverso hortati sunt ut ea » potius sentire vellet quæ paci et unitati, caritatique » erga proximum congruebant » (1). Jam vero (ait Nat. ALEX.) frustra Victorem adhortati essent episcopi ut pacis, concordiæ et charitatis erga proximos curam haberet, si jam pacis jura violasset, si concordiæ fregisset fœdera, si charitatis communionem abrupisset : immo ipsum adhortati fuissent ut Asiaticos ecclesiasticæ restitueret unitati; sed Victorem adhortabantur ut pacis, concordiæ et charitatis ageret curam : credere igitur par est, Victorem hæsisse intra minas, neque anathemate feriisse Asiaticos quod ipsis fuerat interminatus.

5. 4° Et simile vel etiam validius argumentum deduci potest ex litteris Irenæi quibus « Victorem admonet ne integras Dei ecclesias, morem sibi a » majoribus traditum custodientes, a communione ab» scindat » (2). Nondum igitur eas absciderat. Quis enim roget aliquem ne malum inferat quod jam intulit?

6. 5° HIERONYMUS *De vir. ill.* cap. 35, easdem litteras memorans : « Siquidem Victor (ait) multos Asiæ et » Orientis episcopos, qui decima quarta luna cum » Judæis Pascha celebrabant, *damnandos crediderat.* » In qua sententia hi qui discrepabant ab illis Victori » non dederunt manus » (3). Ergo (ita Nat. ALEX.)

(1) Ibid.
(2) Ibid.
(3) Append. pag. 12.

non damnaverat Asiaticos anathemate Victor Pontifex Maximus, licet damnandos credidisset.

7. 6° Sozomenus de controversiis circa celebrationem festi Paschalis agens, disertissime tradit Victorem noluisse propterea ab Asianorum communione discedere (1).

8. 7° Denique sententia illa, qua ob dissidium circa rem mere disciplinarem nullatenus ad fidem pertinentem, totæ ecclesiæ excommunicatæ fuissent, magis dura et minus justa videtur quam ut Victori sanctissimo Pontifici tribuatur.

9. II. Fautores autem sententiæ affirmantis eam probant :

1° Et præcipue ex Eusebio qui, post relatam epistolam Polycratis : « His ita gestis (ait) Victor quidem » Romanæ urbis episcopus illico omnes Asiæ vicinarumque provinciarum ecclesias, tanquam contraria » rectæ fidei sentientes, a communione abscindere conatur, datisque litteris universos qui illic erant fratres proscribit et *ab unitate ecclesiæ prorsus alienos esse pronuntiat* » (2). Certe (ut ait Ant. Pagius) non potuit Eusebius clarius loqui, ut ostenderet revera latam fuisse excommunicationis sententiam.

(1) Ibid. pag. 15.

(2) Ibid. pag. 7 extr. — Græce : ἐπὶ τούτοις ὁ μὲν τῆς Ῥωμαίων προεστὼς Βίκτωρ ἀθρόως τῆς Ἀσίας πάσης ἅμα ταῖς ὁμόροις ἐκκλησίαις τὰς παροικίας ἀποτέμνειν, ὡς ἑτεροδοξούσας, τῆς κοινῆς ἑνώσεως πειρᾶται καὶ στηλιτεύει γε διὰ γραμμάτων, ἀκοινωνήτους ἄρδην πάντας τοὺς ἐκεῖσε ἀνακηρύττων ἀδελφούς.

10. 2° Id ipsum perspicue testatur EPIPHANIUS, ubi refert controversiam de celebratione Paschatis maxime ferbuisse « Victoris ætate, cum Orientales ab » Occidentalibus divulsi pacificas a se invicem litteras » nullas acciperent » (1). Et magis perspicue etiam SOCRATES : « Victor Romanæ urbis episcopus, immo» dico iracundiæ succensus æstu, Quartodecimanis qui » in Asia erant excommunicationis libellum misit » (2).

11. 3° Et confirmatur ex eo quod Victor jam antea minis usus erat, ut habetur ex epistola Polycratis qui : « Nihil moveor (ait) iis quæ nobis ad formidinem inten» tantur » (3). Jam vero illa epistola Polycratis ejusmodi erat ut, præsertim post minas pridem intentatas, Victor omnino excitari debuerit ad severe cum Asianis agendum. Etenim Polycrates non solum minas illas sprevit, sed et audacter affirmavit : « Nos.... verum ac » genuinum agimus diem » (4). Et paulo infra : « Hi » omnes diem Paschæ quartadecima luna juxta Evan» gelium observarunt : nihil omnino variantes, sed re» gulam fidei constanter sequentes. » Ac denique suam resistentiam mandatis Victoris excusat afferendo illud apostolorum : « Obedire oportet Deo magis quam hominibus » (5). Ex his igitur concludere debebat Victor

(1) Append. pag. 12 extr.

(2) Ibid. pag. 14 init. — Ad testimonium Socratis reponit Nat. Alexander illi, utpote in Novatianos nimis propenso, non multum fidendum esse in iis quæ spectant ad Romanos Pontifices. Sed hæc responsio nimis levis est. Neque enim accusatur Socrates quod in ipsis factis referendis data opera mentitus sit ad favendum Novatianis.

(3) Append. p. 7 extr.

(4) Ibid. init.

(5) Ibid. extr.

Asianos in ea opinione esse ut existimarent suam observantiam Evangelio et jure divino præscriptam, Romanam vero ecclesiam cum ceteris ecclesiis ei consentientibus regulam fidei et divinam legem transgredi : qui error erat sane gravis et ecclesiæ maxime nocivus, præsertim eo tempore quo rursus exorta erat hæresis judaizantium. Unde jure poterat Summus Pontifex gravissima etiam remedia adhibere.

12. III. Quo facilius et rectius judicium inter utramque hanc sententiam ferre possimus, juvabit quædam præmittere circa varia genera excommunicationum apud veteres christianos usitata, tum quoad laicos et clericos minores, tum quoad episcopos et ecclesias (1).

13. A. Quoad laicos, duo hujusmodi genera distingui possunt. Prior scilicet excommunicatio, quæ si conferatur cum posteriori, *minor* dici potest (quamvis non eodem sensu quo nunc usurpatur ista appellatio), ea est quæ jam ab initio, sed præsertim postea, etiam *pœnitentia* nuncupata est. Per hanc separati non rescindebantur a corpore ecclesiæ, sed in eo remanentes, fidelium precibus adjuvabantur. Quin et pro ipsis tamquam pro filiis et membris suis ecclesia plurimum sollicita erat, volebatque ut episcopi et sacerdotes diligentem eorum curam agerent; et si tempore pœnitentiæ nondum exacto nec reconciliatione obtenta eos mori contigisset, oblationes ipsorum in signum

(1) Cfr. VAN ESPEN, *Jus Ecclesiast.* Part. III. tit. 11. cap. 4.

communionis recipiebantur. A communione scilicet et societate fidelium in sacris ad tempus aliquod removebantur ad vulnerum medelam, scandali dati reparationem et ædificationem populi christiani. Hujus autem minoris excommunicationis quatuor erant species seu gradus. Prima a sola communione eucharistiæ arcebat. Secunda, etiam a precibus eucharisticis seu fidelium. Tertia addebat exclusionem a precibus quæ fiebant super catechumenis et pœnitentibus substratis. Quarta denique ab omni ecclesiæ ingressu prohibebat (1).

14. Altera autem seu *major* ea erat quæ et nunc excommunicatio major dicitur, antiquitus autem *anathema* vocari solebat, qua scilicet excommunicati a corpore ecclesiæ rescinduntur et tamquam ethnici reputantur. Unde nec in publicis precibus et suffragiis partem cum reliquis fidelibus habebant; et si in ea excommunicatione e vivis discessissent, oblationes eorum rejiciebantur, quo significaretur ecclesiam eos non agnoscere tamquam membra sui corporis.

15. Utriusque hujus excommunicationis frequens mentio occurrit apud veteres. Sic AUGUSTINUS Serm. 351. n. 10 : « Nos vero (ait) quemquam a communione » cohibere non possumus, quamvis hæc prohibitio non- » dum *mortalis* sit, sed *medicinalis*, sed nisi aut sponte » convictum aut in æquo sive sæculari sive ecclesiastico

(1) Cfr. MORINUS, *De administratione Sacramenti Pœnitentiæ*, lib. VI. cap. 25. n. 13.

„ judicio nominatum atque convictum „ (1). Et in lib. *post collationem contra Donatistas*, n. 28 : « *Neque* „ enim a populo Dei *separamus* quos vel degradando „ vel *excommunicando* ad humiliorem pœnitendi lo„ cum redigimus „ (2).

16. Clerici (saltem minores) (3) iisdem his excommunicationibus plectebantur, sed præterea redigebantur ad laicalem statum. Et prioribus quidem ecclesiæ seculis, nullus jam deinceps iis patebat aditus ad statum clericalem, etiam post peractam pœnitentiam et acceptam reconciliationem; postea vero clementius cum iis agi cœptum est.

17. B. Quod autem excommunicationes episcoporum et ecclesiarum attinet, prænotandum est ecclesias particulares certis indiciis significare consuevisse communionem qua in unam universalem ecclesiam Christi coalescebant. Nimirum *a.* Litteris communionis quas episcopi et ecclesiæ sibi mutuo, sed præsertim ad Romanum Pontificem, mittebant tamquam fidei suæ tesseras et consensionis symbola. Has litteras certa formula conceptas fuisse, unde *formatæ* dicebantur, testis est, præter alios, Optatus Milevitanus, qui ut se suosque cum totius orbis ecclesiis communione junctos demonstret, dicit se cum Siricio episcopo Romano communicare, « cum quo (ait) nobiscum totus orbis

(1) P. L. t. XXXIX. p. 1546.

(2) P. L. t. XLIII. p. 669. — Vid. etiam Can. Conc. Meldensis *Nemo Episcoporum* cit. in *Decr.* Gratian. Caus. 11. q. 3. c. 41 (P. L. t. CLXXXVII. p. 855).

(3) Cfr. infra N. 21 extr.

„ commercio *formatarum* in una communionis societate concordat " (1). Item AUGUSTINUS qui Epist. 44. n. 31 referens disputationem cum Fortunio episcopo Donatista asserere conanti ubique terrarum esse cum Donatistis communionem : « Quærebam (ait) utrum „ epistolas *communicatorias*, quas *formatas* dicimus, „ posset quo vellem dare, et affirmabam, quod manifestum erat omnibus, hoc modo illam terminari posse „ quæstionem " (2). De his litteris etiam Patres synodi Antiochenæ (an. 270 vel 269) in Epistola Synodica ad Dionysium R. P. ubi in locum Pauli Samosateni depositi Domnum ordinatum nuntiant (3) : „ Quod quidem „ idcirco vobis significavimus ut ad eum scribatis et „ ab eo communicatorias litteras accipiatis " (4).

b. Altera communionis tessera erat fidelium et clericorum ex una ad aliam ecclesiam commeantium ad sacrorum participationem et officii ipsorum exercitium receptio, modo episcopi sui litteras commendatitias afferrent (5).

18. His prænotatis, tria distingui possunt apud antiquos excommunicationis genera quoad episcopos. Nimirum 1° Ea (quæ minima dici potest) qua episcopus jubebatur *suæ ecclesiæ communione esse contentus* (6).

(1) P. L. t. XI. p. 949.
(2) P. L. t. XXXIII. p. 175.
(3) Ap. EUS. *H. E.* VII. 30.
(4) P. G. t. XX. p. 719.
(5) De quibus litteris loquitur Can. 32 Apostolorum, Conc. Carth. I. can. 5, etc. Vid. *Decret.* Dist. 71. c. 6. cum tribus sequentibus (P. L. t. CLXXVII. p. 358).
(6) Exempla Vid. ap. GRATIAN. Dist. 18. cc. 10, 12, 13, 14 (P. L. tom. cit. pp. 101, 102).

Tria capita, ut videtur, hujusmodi excommunicationis genus complectebatur, scilicet *a.* Cum episcopo sic excommunicato et ejus ecclesia alii episcopi, neque civiliter per visitationis officia accepta vel reddita, neque ecclesiastice sive per litteras communicatorias, communicabant. *b.* Clerici aut fideles ab eo commendati non suscipiebantur, neque ad sua officia exercenda admittebantur. *c.* Privabatur jure suffragii et consessus in conciliis (1). — Illi tamen in ecclesiam propriam auctoritas sua et dignitas et cum clericis et plebe sua communio integra servabatur.

19. 2° Altera excommunicatio, priori gravior, illa erat qua episcopi et ecclesiæ mutuam communionem abrumpebant. Dum scilicet ecclesia aut episcopus quidam in alterius ecclesiæ aut episcopi doctrina vel disciplina perversi aliquid se perspicere arbitrabatur et is monitus non acquiescebat, a communione ejus se subtrahebant, negando ei litteras communionis aut etiam ipsius litteras respuendo, itemque a sacrorum participatione repellendo fideles illius ecclesiæ, tametsi litteris commendatitiis sui episcopi instructi essent.

20. Itaque hæc excommunicatio non erat proprie et per se aliqua censura vel pœna ecclesiastica, qua unus episcopus (vel ecclesia) alium potestate clavium ligaret, sed mera communionis subtractio seu denegatio, quæ non supponebat ullam in episcopum (vel ecclesiam) cui

(1) Cfr. MORINUS, *Exercitat. Eccles.* lib. II. Exerc. 18 et 17.

subtrahebatur auctoritatem (1); quamquam gravi illum afficiebat contumelia et in suspicionem perversæ doctrinæ vel disciplinæ adducebat. Attamen ii qui primatiali aliquo jure in alios episcopos gaudebant, non solum poterant ita communionem suam alicui denegare et alios adhortando et suadendo adducere ad eam eidem subtrahendam, sed et episcopos sibi subjectos prohibere imperio ne et ipsi cum eo a quo se ita separavissent communicarent. Ac proinde Summus Pontifex, qui primatum in universas ecclesias particulares habet, poterat hac ratione ecclesiam vel episcopum quemvis omnium

(1) Imo aliquando ipsa plebs Christiana vel clerici se separabant a communione sui pastoris, vel episcopi a suo Primate, ubi is a sana doctrina vel disciplina aberrare ipsis videbatur. Sic de CPanis refert CYRILLUS Epist. 11 (al. 9) ad Cœlestinum S. P. n. 3, exordia hæreseos Nestorianæ exponens : « Erat Constantinopoli » episcopus nomine Dorotheus, ea» dem quæ ille [Nestorius] sentiens... » Is in publico conventu, reverendis» simo Nestorio in cathedra Con» stantinopolitanæ ecclesiæ sedente, » surgens, magna voce inclamare » ausus est : Si quis Mariam Deipa» ram dixerit, anathema sit. Tunc » ingens universi populi clamor et » discessio consecuta est. *Nolebant* » *enim cum iis amplius communio*» *nem habere* qui talia sentirent, adeo » ut etiamnum plebs Constantinopo» litana, paucis levioribus et qui illi » adulantur exceptis, synaxi absti» neat. Sed neque eo conveniunt mo» nasteria pene omnia eorumque » archimandritæ et senatorum multi, » verentes ne aliquod in fide detri» mentum accipiant, cum et ille et ii » omnes quos secum Antiochia disce» dens [Nestorius] adduxit, perversa » prædicent » (P. G. t. LXXVII. p. 82). Adeo autem frequenter idem contigit ut octava Synodus Œcumenica (seu CPana IV. an. 870) animadvertens id sæpe sine legitima causa factum esse, hujusmodi separationem omnino prohibendam duxerit Can. 10. « Nullus clericus ante dili» gentem examinationem et synodi» cam sententiam a communione pro» prii Patriarchæ se separet, licet » criminalem quamlibet causam ejus » se nosse prætendat : nec recuset » nomen ipsius referre inter divina » mysteria. Idem statuimus de epi» scopis erga proprios Metropolitas » et de Metropolitis circa Patriar» cham suum. Qui vero contra fece» rit, ab omni sacerdotali operatione » et honore decidat. »

aliarum ecclesiarum communione privare seu a communione totius ecclesiæ separare (1).

21. 3° Denique anathematis etiam pœna feriebantur episcopi qui hæresi vel schismati pertinaciter inhærerent. Hæc autem et depositionem importabat. — Delicta vero quæ in laicis et minoribus clericis minori excommunicatione seu pœnitentia publica puniri solebant, in episcopis solius depositionis seu degradationis pœna multabantur : idemque saltem usque ad sec. IV vel V videtur obtinuisse quoad sacerdotes et diaconos (2).

22. IV. Jam, ut ad solutionem propositæ quæstionis veniamus, statuendum videtur : 1° Asianos non fuisse anathematis sententia alligatos; sed 2° Victorem eos communione sua privasse et aliis episcopis injunxisse ne cum iis communicarent. — Primum satis constat ex eo quod hujusmodi sententia nunquam contra integras ecclesias pronuntiata est, imo nec videtur juste

(1) Aliqui inde excommunicationes primis seculis a RR. PP. pronuntiatas alias *facti*, alias *juris* fuisse dicunt. Excommunicationem *facti* scilicet eam appellant qua Romanus Pontifex alicui episcopo communionem denegabat, non tamen simul aliis episcopis injungens ut et ipsi ab ejusdem communione abstinerent. Quod posterius si accedat, excommunicationem *juris* eam vocant. — Sic etiam aliqui distinctionem afferunt communionis *immediatæ* et *mediatæ* cum Romano Pontifice. Illum scilicet in communione immediata cum S. P. esse aiunt, quocum ipse Pontifex communicat ; in communione mediata autem illum quocum non communicat quidem ipse S. P., communicant tamen, ipso approbante vel permittente, ceteri episcopi. At forte ista distinctio a Jansenistis excogitata vel saltem nimis exaggerata est.

(2) V. BASILII Epist. Can. ad Amphilochium I (Ep. 188) can. 3 (P. G. t. XXXII. p. 671). — Cfr. AUGUSTIN. cit. sup. N. 15 extr.

posse pronuntiari. Præterea, primis ecclesiæ seculis, non videtur unquam hujusmodi sententia lata esse contra episcopum nisi præcedente synodo in qua ejus causa judicata fuerat. Denique per duplicem partem nostræ sententiæ optime et facile conciliantur testimonia et argumenta ab utriusque extremæ supra expositæ fautoribus allata. Quod quidem per se satis constat quoad argumenta sententiæ posterioris seu affirmantis. Nec difficultatem facessunt ea quibus nitebatur sententia prior seu negans (1). Etenim

23. Ad 1^{m} R. Advertendum est communionem non ita diu abruptam esse, sive quia Victor, precibus aliorum episcoporum motus, a severitate sua deflexit, sive quia illo Pontifice non multo post (an. circ. 202) morte sublato, successores ejus rem ulterius urgendam non sunt arbitrati; sive propter exortam brevi Septimii Severi persecutionem. Jam vero *a.* Argumentum Firmiliani vim suam non amittebat ex eo quod per breve tempus communio interrupta fuit (2), si deinde, eadem varietate circa observationem Paschatis remanente, ecclesiæ rursus inter se communicarunt. *b.* Firmilianus hæc scripsit non ut historiographus qui sedulo rem examinasse supponi possit, sed obiter illud factum attigit in epistola ubi magno æstu contra Stephanum S. P. congessit quidquid ad ejus severitatem coarguendam conferre videbatur. Eusebius autem ex

(1) Cfr. supra N. 2-8.

(2) Et forte intra hoc breve tempus vix ullæ occurrerunt occasiones, quibus illa communionis interruptio manifestata fuerit.

professo historiam hujus controversiæ texuit, documenta illius præ manibus habens et nullo partium studio aut indigentia causæ motus.

24. Ad 2^m^ R. Verbis sequentibus (1) Eusebius perspicue dicit Victorem sententiam excommunicationis contra Asianos pronuntiasse. Unde, si aliqua vis ponenda est in illo verbo *conatur*, idem significat quod apud Hieronymum (2) *episcopos Victori non dedisse manus*, seu aliquatenus obstitisse ejus sententiæ et inde communionem vix interruptam fuisse : unde dici potest sententia Victoris non obtinuisse suum effectum.

25. Ad 3^m^ R. Episcopi timere potuerunt ne, si Victor perstitisset in separando Asianos a communione ecclesiæ, grave inde schisma oriretur : unde etiam supposita sententia excommunicationis jam lata, optime potuerunt loqui sicut eos locutos fuisse Eusebius testatur.

26. Ad 4^m^ R. eodem modo. — Quidam præterea advertunt, plures ab Irenæo scriptas fuisse epistolas circa hanc controversiam, teste Hieronymo (3) : credi itaque potest, Eusebium hic meminisse epistolæ scriptæ ante sententiam excommunicationis a Victore prolatam.

27. Ad 5^m^ R. Illa verba *damnandos crediderat* optime et obvio sensu intelligi possunt de sententia jam pronuntiata.

(1) Cit. supra N. 9.
(2) Cit. supra N. 6.
(3) Cit. ibid.

28. Ad 6^{m} R. Hic Sozomeni locus videtur referendus ad contentionem Aniceti cum Polycarpo, nomine Victoris per errorem scriptoris vel librarii posito pro Aniceti. Secus enim major etiam error reperitur in nomine *Polycarpi Smyrnæi*, imo et in tota narratione, quæ optime concordat cum iis quæ refert Irenæus de hac priori contentione, nequaquam vero cum iis quæ refert Eusebius de contentione Victoris cum Polycrate.

29. Ad 7^{m} denique sufficiens responsio habetur ex iis quæ diximus supra (1) de rationibus quæ impulerint Victorem ad strenue agendum contra Quartodecimanos, præsertim si advertatur hic non agi de anathemate, sed de sola subtractione communionis.

(1) Cap. II. N. 5 et huj. Cap. N. 11.

CAPUT IV.

DE EXITU CONTROVERSIÆ.

—

1. Quisnam tunc fuerit controversiæ exitus non refert EUSEBIUS. Sed eam brevi sopitam esse (1), utraque parte in sua consuetudine perseverante, colligimus ex verbis FIRMILIANI (2) et ex iis quæ an. circ. 276 scripsit ANATOLIUS Alexandrinus (3).

2. Videntur tamen quædam saltem ecclesiæ Asianæ morem suum circa finem seculi III immutasse et Romano ritui se accommodasse. Quod forte jam colligi potest ex verbis ANATOLII dum ait : « usque hodie *celebrabant* » (4). Sed et diserte illud testatur CONSTANTINUS Imp. in epistola encyclica ad ecclesias missa post Concilium Nicænum, ubi illum ritum eo tempore *per Asianam diœcesim* observatum ait (5). Quominus autem ex verbis Constantini certo concludamus *totam* Asianam diœcesim ab antiqua sua Paschatis observatione jam ante Concilium Nicænum recessisse, obstat quod eodem loco indefinite dicatur mos Romanus vi-

(1) Cfr. supra Cap. III. N. 23.
(2) Cfr. supra Cap. III. NN. 2, 23.
(3) Cit. Append. pag. **10**.
(4) Ibid.
(5) Ibid. pag. **11**.

guisse *per Ciliciam*, quum ATHANASIUS Ciliciæ populos inter eos reponat qui « circa festi celebrationem clau- » dicantes, cum Judæis Pascha celebrabant » (1) : unde concludendum est non uniformem fuisse ecclesiarum in illa regione ritum celebrandi Paschatis, quod forte etiam obtinebat per Asiam.

3. Ad hanc igitur diversitatem tollendam Concilium Nicænum tandem definitivam tulit sententiam (2). Nec unquam deinceps illa controversia in ecclesia renovata est. Pauci enim illi qui nihilominus Pascha cum Judæis celebrandum dixerunt, jam hæreticis et schismaticis accensiti sunt. E quorum numero fuerunt Novatiani quidam Orientales (3).

4. Neque Quartodecimanis adnumerandi Britones et Scoti, qui diu in eo errore versati sunt ut Pascha celebrarent luna decima quarta, ubi ea in Dominicam diem incideret. Hi enim non cum Judæis, sed juxta ritum a Concilio Nicæno præscriptum, se illud agere arbitrabantur (4).

(1) Ibid.

(2) ATHANAS. cit. Append. pag. **11.**

(3) SOCRAT. *H. E.* V. 21, 22 (P. G. t. LXVII. p. 623 sqq.). — SOZOMEN. *H. E.* VII. 18, 19 (Ibid. p. 1467 sqq.). — Ad tempora vero antenicæna, imo et Victoris ætati superiora, si inscriptioni credere licet, referendum est fragmentum illud « ARCHÆI qui post discipulos Domini episcopus fuit Leptitanæ urbis in Africa, » *de paschate in die Dominica celebrando,* quod ex MAI *Spicileg. Rom.* t. III. p. 707 editum est. P. G. t. V. p. 1489.

(4) BEDA, *Hist. Eccl. Angl.* l. III. cc. 3, 17 extr., 25, 26 (P. L. t. XCV. pp. 119, 143, 158 sqq.). — Cfr. SMITH (J.) *De controversiis quæ in ecclesia acciderunt de celebratione Paschatis* (P. L. t. cit. p. 317).

CAPUT V.

DE ARGUMENTO EX HAC CONTROVERSIA PETITO ADVERSUS INFALLIBILITATEM ET PRIMATUM ROMANI PONTIFICIS.

—

1. Restat ut paucis dicamus de argumento quod ex hac controversia deducere conantur contra auctoritatem supremam Romani Pontificis. Et quidem

I. Quod spectat ad ejus auctoritatem doctrinalem, manifestum est non fuisse hic agitatam quæstionem dogmaticam, sed mere disciplinarem, et ad eam partem disciplinæ pertinentem quæ immutari variis temporibus potest sine detrimento unitatis fidei aut salutis animarum, quæque proinde non est objectum infallibilitatis a Catholicis Romano Pontifici assertæ.

2. Quod si objiciant 1° Quartodecimanos hæreticos dictos esse et ut tales habitos : R. Eos utique ut hæreticos habitos esse post Concilium Nicænum, sive quia legem Mosaicam excitare ejusque observantiam Christianis velle imponere præsumebantur; sive nomine hæreseos latiori sensu usurpato, prout scilicet quam-

libet sectam auctoritati ecclesiæ pertinaciter obsistentem significat (1).

3. Si objiciant 2° Polycratem in sua epistola ad Evangelium ut *regulam fidei* et ad jus divinum provocare : R. Ex hoc errore non mutari naturam quæstionis (2).

4. II. Quod autem spectat ad auctoritatem primatialem R. P. in universam ecclesiam, eam nondum obtinuisse hoc tempore, ex prædicta controversia manifestum fieri aiunt Mosheim, De Potter et alii. Quibus tamen facile R. Imo ex hac historia multiplex desumi posse argumentum ad probandam traditionem de R. P. primatu. Etenim

1° Ipsa ratio agendi Victoris qui hanc controversiam jamdudum agitatam dirimere aggressus, in universo orbe Christiano concilia episcoporum convocari et ipsorum sententias ad se mitti jussit (3), ostendit jam

(1) Quæ posterior interpretatio confirmari potest ex Epiphanio, qui *Hær.* 70. Audianos cum Judæis Pascha celebrare refert, idque « ut ab » ecclesia dissentire videantur » (Vid. Append. pag. 12); et tamen paulo superius in Indiculo hæreseon lib. III præfixo : « Audianorum (inquit) pro» prie schisma ac defectio, non hære» sis est... neque, quod ad fidem atti» net, ab ecclesia catholica dissen» tiunt » (P. G. t. XLII. p. 335).

(2) Quod si instent, saltem inde colligi Polycratem fuisse in ea opinione ut putaret Romanum Pontificem erravisse in interpretando jure divino. non repugnamus quidem quod ad factum attinet : ulteriorem vero conclusionem discutiendam remittimus ad finem Dissertationis V, ubi agetur de simili errore Cypriani et Firmiliani in controversia circa validitatem baptismi ab hæreticis collati.

(3) Id enim jure concludi potest ex epistola Polycratis et ex clausula epistolæ Palæstinorum ap. Euseb. V. 25 (Append. pag. 9).

tum Romano Pontifici agnitum fuisse munus curandi majora negotia ad universam ecclesiam spectantia.

2° Episcopi mandato Victoris obediendo ostenderunt se illi esse subditos. — Nec dicatur, ipsos obtemperasse suasioni, non mandato (1). Nam, licet Victor non imperii, sed petitionis forma hanc synodorum convocationem indixisse credi possit, tamen ista consensio episcoporum in parendo ipsi plus quam auctoritatem suadentis in eo manifestat : neque enim de alio aliquo episcopo id legimus, quod tantam auctoritatem in universa ecclesia habuerit ut, ipso rogante, toto orbe ceteri episcopi statim convenerint et sententias suas ad eum miserint.

3° Argumentum etiam magni momenti desumitur ex ratione agendi episcoporum qui, post excommunicationem a Victore contra Asianos pronuntiatam et quamvis Pontificis severitatem improbarent, tamen litterarum communionis commercium cum Orientalibus intermiserunt (2).

(1) Dicit enim Polycrates se concilium convocasse, ut *petiit* Victor (Ibid. pag. 7 extr.).

(2) Teste EPIPHANIO (Append. pag. 12 extr.). — Occurrit quidem huic argumento DE POTTER dicendo ipsos Orientales hujus separationis auctores fuisse. Verum nullo fundamento id asserit : si quidem Epiphanius, quem solum hujus rei testem citat et habet, id nequaquam indicat; imo et omnino improbabili conjectura, cum credibile non sit Orientales recusaturos fuisse litteras communicatorias eorum qui et vellent cuique ecclesiæ liberum esse ut antiquam suam consuetudinem retineret, et tanta vi illorum causam apud Romanum Pontificem agerent ut Eusebius dicat hunc ab eis acerbius perstrictum fuisse (Append. pag. 8 init.). — Hæc forte sentiens De Potter, non ab Occidentalibus episcopis, sed a quibusdam fidelibus illas epistolas communicatorias missas supponit. At hæc suppositio satis absurda est :

4° Nec minus validum argumentum præbet modus agendi Polycratis. Nam et obtemperavit Victori in convocanda synodo, et dum rationem suæ resistentiæ reddit, illam excusat hoc axiomate : « Obedire oportet Deo magis quam hominibus. » Quæ verba profecto sunt inferioris superiorem suum alloquentis et ipsius legitimam auctoritatem agnoscentis, sed arbitrantis eum in peculiari quodam casu perperam et contra legem Dei aliquid jussisse, ac proinde ipsi in hac re obedientiam non esse præstandam (1).

nam propterea quod Orientales aliquorum fidelium epistolas respuissent, certe non diceret Epiphanius Orientales (ecclesias utique) ab Occidentalibus esse divulsas.

(1) Quod autem spectat ad conclusionem ex ipso hoc facto inobedientiæ Polycratis eruendam, rursus eam discutiendam remittimus ad finem Dissertationis V.

DISSERTATIO III.

DE AUCTORE OPERIS CUI TITULUS

Φιλοσοφούμενα ἢ κατὰ πασῶν αἱρεσέων ἔλεγχος.

PROŒMIUM.

DE HUJUS OPERIS INVENTIONE, EDITIONIBUS, ARGUMENTO ET DE DISSERTATIONIBUS CIRCA ILLUD EDITIS.

1. I. Anno 1842, Mynoïdes MYNAS, a gubernio Gallico in Græciam missus ad antiquos codices in monasteriis ibidem latentes explorandum, præter alios inde attulit codicem bombycinum, foliorum 137, ineunte, ut videtur, sec. XIV descriptum, in quo continetur refutatio omnium hæresium, in decem libros distributa. Desiderantur codicis quædam folia et ex notis quæ in summis paginis habentur apparet tres primos operis libros in eo non fuisse descriptos, forte quia deerant in ipso exemplari quo librarius sec. XIV usus est; illudque exemplar multum injuria temporum passum fuisse ostendunt spatiola vacua passim ab exscriptore relicta.

2. Codicem hunc in Bibliothecam regiam Parisiis illatum cum diligentius examinaret Emmanuel MILLER, cui provincia data fuerat illius et aliorum a Mynoïde Myna allatorum brevem notitiam conficiendi catalogo mss. inserendam, deprehendit hanc refutationem hæresium eamdem esse cum illa cujus sub titulo *Origenis Philosophumena* librum primum exeunte sec. XVII edidit GRONOVIUS in suo *Thesauro Antiquitatum Græcarum*. Gronovio tamen contradixit WOLFIUS, opus illud Origeni tribuendum negans : cui consentiens DELARUE illud in Appendicem editionis Benedictinæ operum Origenis rejecit.

3. II. Retento tamen nomine Origenis, totum opus, librum primum scilicet ex editione Benedictina, septem ultimos vero e codice Parisino, in lucem emisit MILLER, hoc inscriptum titulo : *Origenis Philosophumena sive omnium hæresium Refutatio. E Codice Parisino nunc primum edidit Emmanuel* MILLER. *Oxonii e typographeo Academico.* 1851. 8. — Paulo post novam operis editionem cum latina versione adornavit Lud. DUNCKER, quam mutato auctoris nomine secundum sententiam jam ab eruditis Germanis receptam inscripsit : *S. Hippolyti episcopi et martyris Refutationis omnium hæresium librorum decem quæ supersunt. Recensuerunt, latine verterunt, notas adjecerunt Lud.* DUNCKER *et F. G.* SCHNEIDEWIN, *professores Gœttingenses. Fasciculus I. Gottingæ.* 1856. *Opus Schneidewino defuncto absolvit Lud. Duncker et edidit an.* 1859. 8. Hanc editionem secutus est MIGNE Patr. Gr.

t. XVI. part. III. Tertia denique editio prodiit Parisiis, quæ ita inscripta est : *Philosophumena sive hæresium omnium confutatio. Opus Origeni adscriptum. E Codice Parisino productum recensuit, latine vertit, notis variorum suisque instruxit, prolegomenis et indicibus auxit Patritius* Cruice, etc. *Parisiis excusum in typographeo imperiali*. 1860. 8.

4. III. De operis argumento et partitione. — Hunc scopum sibi proposuit auctor, ut exponeret quænam fuerint ethnicorum, Græcorum præcipue, philosophorum doctrinæ de divino numine et de rerum origine (1) atque inde, collatis doctrinis hæreticorum qui hucusque exstiterant, ostenderet « unde conatus eorum pro- » fecti sunt, nec quidquam eos ex sacris scripturis » mutuatos esse, aut sancti alicujus successionem ob- » servantes, sed decreta illorum principium ex Græco- » rum sapientia duxisse, ex dogmatis philosophicis et » mysteriis tentatis et astrologis circumvagantibus » (2). Hujus tractationis pars prior quatuor primis libris absolvitur (3). Posteriorem seu expositionem et confutationem omnium hæresium prosequitur scriptor quinque libris sequentibus, ubi triginta circiter hæreses recensentur. Liber decimus denique summarium et re-

(1) *Philos.* V. 6 (P. G. t. XVI. part. III. p. 3123).

(2) *Philos.* I. procem. extr. (ibid. p. 3022).

(3) Armellini (Op. cit. infra N. 13) valde probabiliter opinatur librum secundum fuisse de mysticis, tertium vero de astrologis et quartum de magis; unde nonnisi secundus liber videtur integer desiderari, præter tertii principium et exitum, quarti exordium ac nonnulla identidem reliquorum loca.

capitulationem quamdam totius operis continet (1), cui subjungitur brevis expositio sanæ de Deo et mundi creatione doctrinæ. — In libro nono autem reperiuntur graves illæ accusationes quas contra Callistum S. P. satis magna vehementia jactat scriptor, quasi is integritatem fidei et castitatem veteris disciplinæ labefactasset (2).

5. IV. Non paucæ et variæ de auctore hujus elucubrationis sententiæ prolatæ sunt. Qui primus illam anno 1851 Oxonii edidit, eam, ut supra diximus, attri-

(1) At in illo summario prætermittuntur ea quæ libris secundo, tertio et quarto tradita sunt. Unde conjicit CRUICE (Op. cit. infra N. 11) hunc librum decimum postea ab aliquo alio scriptore confectum fuisse. Quæ conjectura aliquatenus confirmari potest ex eo quod Theodoretus (sicut et Photius. — Cfr. infra Cap. I. NN. 2 et 3) hunc eumdem librum solum novisse videtur. At simul supponendum esset hunc posteriorem scriptorem adjecisse etiam ultimum caput libri noni, ubi scilicet liber decimus prænuntiatur, et suppressisse clausulam hujus libri noni vel eam ad calcem libri decimi transtulisse. Porro cum nihil horum sive ex styli diversitate sive ex aliis indiciis manifestetur, probabilius est librum decimum ab eodem auctore cum aliis novem conscriptum et sive ab eo sive ab aliis forte aliquando seorsim esse editum. Id autem non insuetum fuisse, ut ii qui magnum aliquod hujusmodi opus conscripsissent, illius deinde quoddam conficerent compendium quod facilius exscribi et diffundi posset, habemus exemplo Epiphanii, qui post magnum suum opus contra 80 hæreses, quod *Panariorum* titulo insignivit, edidit ejusdem Epitomen (PHOT. Cod. 123. P. G. t. CIII. p. 403). Quam epitomen solam notam fuisse Augustino colligitur ex hujus Præfatione ad librum *de Hæresibus ad Quodvultdeum,* ubi : « Noster vero Epiphanius (ait) Cyprius episcopus, abhinc non longe humanis rebus exemtus, de octoginta hæresibus loquens sex libros etiam ipse conscripsit, historica narratione memorans omnia, nulla disputatione adversus falsitatem pro veritate decertans. Breves sane sunt hi libelli... » (P. L. t. XLII. p. 23). Hæc utique descriptio optime convenire potest compendio, non autem ipsis libris *Panariorum* qui et satis prolixi sunt et præter recensum hæreseon etiam earum refutationem continent.

(2) Cit. infra in Append. G (pag. 46).

buit Origeni et in sua brevissima præfatione pauca hujus opinionis argumenta attulit (1). Eodem autem anno datæ sunt in Periodico anglico *Ecclesiastic and Theologian* dissertationes duæ anonymæ ubi Milleri sententia refutatur et opus tribuitur Caio presbytero Romano; ea autem quæ libro IX adversus Callistum exaggerantur, non de Romano Pontifice hujus nominis, sed de obscuro quodam hæretico hujus nominis dicta asseruntur.

6. Anno sequenti pluribus articulis insertis Periodico Berolinensi *Deutsche Zeitschrift für christliche Wissenschaft* contendit JACOBI *Philosophoumena* conscripta esse ab Hippolyto, episcopo Portuensi et ecclesiæ doctore. Quam opinionem suam fecit et multis probare conatus est BUNSEN, Borussiæ tunc apud reginam Angliæ legatus, in opere quod inscripsit *Hippolytus and his age* (2).

7. Illam etiam defendit Christ. WORDSWORTH in suo opere *Saint Hippolytus and the Church of Rome* (3). Eamdem admisit et scriptor Periodici Dublinensis *Dublin Review* (4), at simul contendens illud opus a S. Hippolyto conscriptum fuisse eo infelici tempore ubi, a Romano Pontifice divulsus, adhæsit erroribus

(1) P. G. XVI. part. III. p. 3009. — Argumenta Gronovii habentur item in ejus præfatione *Thesaur. Antiquit. Græcarum* tom. X. p. 251 sqq. Eorum autem refutatio in editione Benedictina Opp. Origenis, tom. I. Præf. p. XIII (P. G. t. XI. p. 30).

(2) London 1852. 4 vol. 8. Quod opus eodem anno germanice edidit Lipsiæ, 2 vol. 8.

(3) London 1853. 8.

(4) April. 1853.

quos postea professi sunt Novatiani; quam culpam et illustri martyrio et ante martyrium publice testando quantum ipsum ejus pœniteret diluerit. Hoc idem propugnavit Ill. D. FREPPEL (1), repugnante C. LENORMANT (2), qui Origeni adhuc illud tribuit.

8. In Germania autem, præter ea quæ scripserunt Jacobi et Bunsen, editæ sunt in Periodico Tubingensi *Theologische Quartalschrift* (1852) duæ dissertationes, quarum altera, auctore FESSLER, eamdem tuetur sententiam quam supra in Periodico *Ecclesiastic and Theologian* primo prolatam esse indicavimus; altera, quam concinnavit HERGENRÖTHER, opus nostrum Hippolyti esse contendit. — Duplex idem dissertatio edita est in Periodico *Theologische Studien und Kritiken* (1853). Priorem conscripsit BAUR qui, sicut Fessler, *Philosophoumenon* auctorem Caium existimavit; posteriorem GIESELER, qui sententiam Jacobi et Bunsen jam certam supponens, solummodo probare nititur ab Hippolyto libros illos exaratos esse post an. 251 seu tempore schismatis Novatiani.

9. His successit DÖLLINGER, qui in suo præclaro *Hippolytus und Kallistus, oder die Römische Kirche in der ersten Halfte des dritten Jahrhunderts* (3), Hippolytum auctorem *Philosophoumenon* pronuntians, ita rem probavit ut ex hoc tempore eruditi ultrarhe-

(1) *Correspondant*, 1853. Attamen eam opinionem postea deseruit (Vid. infra N. 14).

(2) Ibid.

(3) Regensburg 1853. 8.

nani videantur censuisse controversiam finitam esse et operam suam converterint in corrigendum textum ac præcipue in elucidandas ex hoc præclaro subsidio quæstiones ad doctrinam et disciplinam Romanæ ecclesiæ sec. III pertinentes.

10. Ita HEFELE in relatione de opere Döllinger (1); KUHN in dissertatione *Die Theologischen Streitigkeiten in der Römische Kirche und die Lehre derselben in der ersten Hälfte des dritten Jährhunderts* (2); DUNCKER in editione Gottingensi *Philosophoumenon;* NOLTE in relatione de editione Parisiensi (3); HAGEMANN in suo opere *Die Römische Kirche,* etc. (4).

11. Non idem tamen reperitur consensus extra Germaniam. In Gallia scilicet, eodem anno quo opus suum edidit Döllinger, novam opinionem protulit CRUICE, postea episcopus Massiliensis, in suo opere *Etudes sur de nouveaux documents historiques empruntés à l'ouvrage récemment découvert des Philosophumena, etc., par M. l'abbé* CRUICE, ... *supérieur de l'Ecole des hautes études ecclésiastiques des Carmes* (5). Ubi, rejectis opinionibus quæ Philosophoumena tribuunt Origeni vel Hippolyto, concludit illa probabiliter tribui posse Caio, et multo probabilius Tertulliano aut uni ex ejus asseclis. Hanc sententiam proposuerat paulo ante JALLABERT, alumnus collegii cui præerat Cruice, in

(1) *Theol. Quartalschr.* 1854.
(2) Ibid. 1855.
(3) Ibid. 1862.
(4) Freiburg im Breisg. 1862. 8.
(5) Paris 1853. 8.

thesi quam ad doctoratum in litteris obtinendum concinnaverat adjuvante suo superiore (1). Eam tamen ut improbabilem rejecit Facultas litterarum Parisiensis et ab ea recessit ipse Cruice in posteriori opere (2).

12. Dom. PITRA autem, nunc S. R. E. Cardinalis, in *Spicilegio Solesmensi* (3) conjectavit *Philosophoumena* esse fetum scholæ Origenianæ, at ulterius inquisitionem non perduxit.

13. Aliam præterea opinionem proposuit P. ARMELLINI in libro quem inscripsit : *De prisca Refutatione hæreseon Origenis nomine ac Philosophumenon titulo recens vulgata Commentarius Torquati* ARMELLINI *e Soc. Jesu. Romæ* 1862. Ubi, refutatis sententiis antea allatis, ostendere nititur *Philosophoumena* conscripta esse a Novatiano (4).

14. Denique sententiam eruditorum Germanorum refutare conati sunt FREPPEL (5), priorem suam opinionem retractans (6), VINCENZI (7), et obiter J.-B. DE

(1) *Etudes critiques sur le livre des Philosophumena*. Paris 1853. 8.

(2) *Histoire de l'Eglise de Rome ... de l'an.* 192 *à l'an.* 224. Paris 1856. 8.

(3) Tom. III. p. 317. not. 7.

(4) Quam opinionem perpendit HERGENRÖTHER (*Hippolytus oder Novatian?* in Periodico *Oesterreichische Vierteljahrschrift*, 1863), et quamvis multum eam sibi placere ostendat, fatetur tamen testimonia historica non sinere ut a sententia de Hippolyto auctore discedatur.

(5) *Origène. Cours d'éloquence sacrée fait à la Sorbonne pendant les années* 1866 *et* 1867 *par M. l'abbé* FREPPEL. Paris 1868. Tom. I. *Neuvième Leçon.*

(6) Cfr. supra N. 7 extr.

(7) Dissertatione lecta in Academia Romana Religionis Catholicæ 4 Junii 1868 (Vid. *Univers*, 15 Jun. 1868).

ROSSI (1). Quibus nuperrime accessit J.-B. LEFEBVE, in Universitate Catholica Lovaniensi Theologiæ Lector (2).

(1) *Bullettino di Archeologia Cristiana*. Anno quarto (1866), p. 97-98.

(2) In Periodico Lovaniensi *Revue Catholique*, an. 1871 (Nouv. Série tom. V et VI). Apud quem refutatam videsis (t. V. p. 368-376) opinionem a quodam recentiori scriptore Historiæ Ecclesiasticæ generalis propositam, sed nullo serio argumento nixam, quæ Beronem hæresiarcham Philosophoumenon auctorem facit.

CAPUT I.

QUO TEMPORE PHILOSOPHOUMENA CONSCRIPTA SINT.

—

1. Auctor profitetur se coævum fuisse Zephyrino S. P. (an. 202-218) et Callisto ejus successori (an. 218-223) et satis indicat se post hujus obitum scripsisse vel saltem sub fine ejus pontificatus (1). Videndum igitur utrum hæc vere dicta sint an conficta ab aliquo falsario.

2. I. Et quidem fatendum est non haberi satis diserta testimonia vel alia indicia *externa*, quibus id vere dictum esse probari possit. Duo enim tantummodo veteres scriptores opus nostrum, imo et solum illius librum decimum, videntur novisse, THEODORETUS nimirum et PHOTIUS. — THEODORETUS scilicet ea quæ attingit de Simone, de Peratis, de Noeto et de Callisto manifeste vel ex toto vel (de Simone) ex parte desumpsit ex *Philosophoumenon* libro decimo (2). Ceteros autem

(1) *Philos.* IX. 7, 13 (Append. pag. 17); ibid. 12, ubi omnia ea quæ Callistus S. P. egit congeruntur (App. pag. 48 med. — 50); et 12 extr. (pag. 50), ubi *permanere* dicitur *schola* Callisti.

(2) THEODORET. *Hær. Fab.* I. 1. De Simone, circ. med. : « Hujusmodi fabulam hic commentus est ;.... » I. 17. De Peratis; III. 3. De Noeto (P. G. t. LXXXIII. pp. 343, 367, 403). — Cfr. *Philos.* X. 12, 10, 27 (P. G. t. XVI. pp. 3425, 3420, 3439).

libros illi præ manibus non fuisse concludi potest ex eo quod nihil ex iis transtulit in suum opus (1) et modus quo loquitur de Callisto planum facit, prolixiorem auctoris *Philosophoumenon* declamationem, quæ habetur libro nono, ab illo lectam non fuisse. Etenim de Callisto solummodo : « Eam [hæresim] (ait) post Noetum propugnavit Callistus, qui et ipse impietati dogmatis additamenta quædam adjecit » (2). Quæ mentionis ratio ostendit, Callistum tamquam obscuri nominis hæreticum spectatum fuisse a Theodoreto, præsertim cum nullus alter hæreseologus excepto scriptore *Philosophoumenon*, Callistum inter hæreticos recensuerit (3). Non legit itaque Theodoretus nonum

(1) Quæ enim Cruice de Saturnilo hæretico a Theodoreto (*H. F.* I. 3. P. G. t. LXXXIII. p. 347) partim ex Irenæo (*Adv. Hær.* I. 24. P. G. t. VII. p. 673), partim ex *Philos.* (VII. 28. P. G. t. XVI. p. 3321) hausta esse putat (Cruice, *Etudes*, etc. p. 107) manifeste ex solo Irenæi opere (loc. cit.) desumpta sunt.

(2) *Hær. Fab.* III. 3 (P. G. t. LXXXIII. p. 405). — Cfr. *Philos.* X. 27 (P. G. t. XVI. p. 3441).

(3) Callistum ut obscurum hæreticum indicari etiam in Gelasii Decretali de libris recipiendis et non recipiendis inter eos quorum nomina simul congesta leguntur in fine hujus decretalis (P. L. t. LIX. p. 179 med.), putat de Rossi (*Bullett. di Arch. Crist.* an. 1866. p. 95). At Thiel (*Epp. RR. PP.* t. I. p. 470. not. 87) monet in aliis codicibus mss. longe pluribus pro hoc nomine legi *Celestus*, *Cœlestus*, *Celertus*, additque : « In antiquo quidem Pseudo-Silvestri Constituto... legitur : *Calistus*. [*se*] *ita docuit Sabellianum*, *ut arbitrio suo sumat unam personam esse trinitatis*. Sed subjectum (in Decretali Gelasii) Donati nomen eum hic potius designari persuadet qui una cum Botro Donatistarum schismati originem dedit, de quo Optatus *De schism. Donatist.* I. [18 (P. L. t. XI. p. 919)] scribit : *Botrus et Celesius*... Qui autem ab Optato Celesius, ab Augustino in *Psalmo Abecedario contra Donatistas* [P. L. t. XLIII. p. 26] Celestius nuncupatur. » — Callisti vero ut hæretici designatio habetur certe in Pseudo-Silvestri Constituto (cit. Append. pag. 29) et in Catalogo Felicis IV seu *Libro Pontificali*, ubi in vita Silvestri legitur : « In urbe

eum librum, unde profecto intellexisset agi hic de Callisto S. P. Præterea quum in *Philos.* lib. X (1) legisset « Noetum.... introduxisse hæresim, quæ ab Epigono » quodam ad Cleomenem venit,.... » sic ea vocabula accepit ut scriberet : « Noetus.... hæresin renovavit, » quam Epigonus quidam nomine primus ediderat, » Cleomenes vero susceptam confirmarat. » Atqui si legisset in superiori libro fusiorem de illa hæresi tractationem, intellexisset profecto Noetum in ea serie primum, Epigonum secundum, Cleomenem tertium exstitisse (2).

3. Præter Theodoretum, PHOTIUS videtur *Philosophoumenon* librum decimum legisse, *Labyrinthi* titulo inscriptum. Quod enim auctor *Philosophoumenon* circa finem hujus libri indicat, se esse scriptorem operis *De universi essentia* (3), id ipsum, teste Photio, scriptor *Labyrinthi* extremo in opere consignaverat (4). Neque tituli diversitas officit, quando tanta in codicibus repériatur titulorum variatio, præsertim ubi de avulsis librorum fragmentis agitur. Facile scilicet potuit huic libro decimo, tanquam per se cohærenti et forte separatim vulgato (5), librarius quidam titulum fecisse ex ejusdem libri exordio petitum, quod est hujusmodi : « *Labyrinthum* hæresium postquam non violenter dis-

» Roma congregavit episcopos 277 et » damnavit Callistum et Arium et » Fotinum et Sabellium » (P. L. t. CXXVII. p. 1513). Alterum autem horum documentorum alterius fontem esse vix dubium cuiquam esse potest.

(1) Cap. 27* (P. G. t. XVI. p. 4431).

(2) *Philos.* IX. 7 (Append. pag. **16**).

(3) Append. pag. **17** extr.

(4) *Bibl.* Cod. 48 (Append. pag. **41**).

(5) Cfr. supra pag. 86. not. 1.

» rupimus, sed sola refutatione veritatis vi dissolvimus, » ad veritatis demonstrationem aggredimur » (1). Quæ verba licet ad superiores libros respiciant, avulsis tamen aut deperditis iisdem facile potuerunt ad unicum hunc librum referri (2).

(1) Exemplum hujus generis refert MABILLON in suo *Itin. Ital.* p. 76. « Cum bibliothecæ Altæmpensis in» dicem revolveremus (ait), occurrit » in illo indice *Ciceronis liber de Re» publica.* Illico exiliit animus, lecto » titulo præclari operis quod jamdu» dum excidisse creditur. Sed breve » gaudium fuit, cum, viso codice, ad» vertimus hoc opus nihil aliud esse » quam Philippicam primam Cicero» nis, quæ ab his verbis incipit : » *Antequam de Republica, Patres » conscripti, dicam,* » etc.

(2) Opusculum titulo *Labyrinthi* inscriptum etiam citat THEODORETUS *Hær. Fab.* II. 5 : « Contra istorum » [Artemonis et Theodoti] hæresim » (ait) conscriptus est *parvus Laby» rinthus,* quem nonnulli Origenis » opus esse putant, sed eos qui hoc » dicunt stylus redarguit. Sive autem » ille, sive alius conscripsit, talis » in eo exstat narratio » (P. G. t. LXXXIII. p. 391). Refert deinde historiam Natalis cujusdam Confessoris, qui prius ab hæreticis seductus, dein per prodigium conversus, a Pontifice Romano (Zephyrino) post pœnitentiam peractam ad communionem ecclesiæ admissus est. — Eamdem historiam paulo fusius exponit EUSEBIUS *H. E.* V. 28, eamque excerptam esse ait ex auctoris ignoti « libro adversus Artemonis hæresim elaborato. » Porro post hanc narrationem subjungit Eusebius : « His » adjiciemus alia quoque ejusdem » scriptoris de iisdem hæreticis ver» ba, quæ sic habent : Sacras quidem, » inquit, Scripturas audacter adulte» raverunt; primitivæ autem fidei » regulam rejecerunt; Christum ip» sum denique ignoraverunt; non in» quirentes quid sacræ doceant Scri» pturæ, sed cujusmodi syllogismo» rum figura ad confirmandam im» pietatem suam reperiatur, assidue » meditantes. Quod si quis aliquem » divinæ Scripturæ locum eis obji» ciat, examinant utrum connexum » an disjunctum syllogismi genus ex » eo confici possit. Relictisque at» que abjectis sacris Dei Scripturis, » geometriæ student; quippe qui ter» restres sint et loquantur terrena, » et illum qui de cœlo advenit igno» rent. Euclidis igitur geometria » apud nonnullos eorum studiose ex» colitur; Aristoteles vero et Theo» phrastus summa admiratione sus» cipiuntur; Galenus autem a qui» busdam etiam adoratur. Proinde » istos, qui infidelium artibus ac » disciplinis ad stabiliendam hære» sis suæ opinionem abutuntur et » subtili impiorum hominum versu» tia simplicissimam divinarum Scri» pturarum adulterant fidem, remo» tissimos esse a fide quid attinet

4. II. At non pauca suppetunt *interna* indicia operis nostri (quoad ætatem) authentiæ. Etenim

1° Ut recte notat DE ROSSI (1), quilibet scriptor, qui forte confictum a se opus prisco auctori supponere studeat, caute admodum incedat necesse est atque ita fere ut neque nimis in apertam veluti planitiem exspatietur, neque leviora quædam adjuncta rerum attingat, neque in interiora quæstionum imprudens ingrediatur. Id ni sedulo curaverit, fieri vix potest ut nuspiam ementitæ ætati contradicens ne minimam quidem retegendæ fraudi ansam præbeat. Atqui auctor *Philosophoumenon* amplissimum imprimisque varium scribendi campum ingressus, penitiora quæque ac minutiora historiæ

» dicere?... » (P. G. t. XX. p. 511). Certe hæc mire concordant cum disputandi genere quo usus est auctor *Philosophoumenon*. Sed ex iis locis et ex aliis quæ (ibidem) ab Eusebio afferuntur manifeste colligitur *parvum Labyrinthum* a Theodoreto et ab Eusebio (qui tamen hunc titulum non indicat) citatum omnino esse diversum a libro decimo *Philos.*, quum et contra solam hæresim Artemonis et Theodoti conscriptus sit et ea quæ ex illo afferuntur non reperiantur in prædicto libro decimo, sed neque unquam in ea summaria hæreseon recensione locum invenisse supponi possint. Unde si iste *parvus Labyrinthus* idem supponatur cum *Labyrintho* de quo Photius, hic etiam diversus a libro X *Philos.* dicendus erit. Quam suppositionem et conclusionem admittit omnino DÖLLINGER; quamquam non dubitat *Labyrinthi* auctorem eumdem esse qui *Philosophoumenon*. Verum nonne etiam supponi potest *parvus Labyrinthus* diversus fuisse a *Labyrintho* quem indicat Photius, et ideo hoc titulo inscriptus quo jam alia ejusdem auctoris elucubratio designabatur, quia hoc vocabulum aptissimum videbatur ad hæresim lepide notandam? Secus supponendum est auctorem in duobus operibus et eodem utriusque operis loco librum *De universi natura* a se conscriptum memorasse : qua sane hypothesi prior modo allata non videtur difficilior.

(1) *Bullettino di Archeologia Cristiana*, anno quarto (1866), et ex eo P. ARMELLINI operis sui cap. V. — Unde fere desumpta sunt omnia ea quæ sequuntur usque ad finem capitis.

capita fidenter tractat, hæreseologiam universam audacter decurrit, ecclesiasticis etiam controversiis immoratur, nec tamen ullum sequioris ævi vestigium in itinere relinquit.

5. Nimirum *a.* De doctrina et disciplina ecclesiæ controversias non attingit alias quam quæ tertio seculo ineunte agitabantur : quod collatis cum hoc opere disputationibus Tertulliani facile apparet.

6. *b.* In his autem ne ulla quidem vocula illi excidit quæ recentiori ætate primum in usu fuerit, nedum leve quodvis indicium illius explicationis quam serius occasione hæreseon christiana dogmata vel instituta nacta sunt : nullam scilicet apud eum dogmaticam formulam reperies cui gemina vel similis apud antiquiores vel æquales, Justinum, Irenæum, Hippolytum, Tertullianum, non recurrat.

7. *c.* Quod attinet ad hæreseologiam, profitetur ipse plus semel, se neque ullam hæreticorum sectam neque errorem ullum notatu dignum sine animadversione prætermissurum (1). Et sane inter plurimos hæreticos ab eo recensitos aliqui etiam referuntur quorum nulla mentio aut vix aliqua apud veteres occurrit. Sed in illo hæreticorum atque hæreseon censu, quo non alius plenior ante Epiphanium reperitur, nulla elabitur auctori mentio erroris qui ætate Callisti S. P. posterior fuerit. Si quid porro de iis distinctius expressit, id nuspiam

(1) *Phil.* I. procem.; VI. 6; IX. 6,31 3369, 3412).
(P. G. t. XVI. part. III. pp. 3019, 3205,

vetustioribus scriptoribus repugnat, imo vero quandoque subobscuras veterum memorias illustrat (1).

8. His accedunt alia vetustatis indicia. Etenim

2° Auctor, qui Romæ diu versatus videri vult nec procul ab eadem urbe episcopatu fungens, græce scribit ejusque plane generis græcitate utitur quæ per eam ætatem nostratibus græce scribentibus usitata fuit (2).

9. 3° Denique idem ille liber (nonus), qui vocari forte in suspicionem posset, reconditiores ejus ævi memorias tam accurate in eumque modum attingit ut ejusdem

(1) Exemplo sint quæ apud auctorem nostrum de Noeti ætate deque Sabellii primordiis referuntur. De Noeto scilicet an. circ. 375 scripsit EPIPHANIUS (*Hær.* 57. n. 1) : « Post » hunc alius quidam hæreticus, Noe» tus nomine, prodiit, neque multis » abhinc annis, sed ante hos fere » centum ac triginta » (P. G. t. XLI. p. 993), ac proinde an. circ. 245. Jam vero id nequaquam consentit cum vetustioribus TERTULLIANI et HIPPOLYTI testimoniis. Ille enim (*Adv. Prax.* 1) Noeti hæresim cum nova Montani prophetia natam indicat (P. L. t. II. p. 155). HIPPOLYTUS vero, qui fuit Irenæi discipulus « ex sermonibus Irenæi » brevem confutationem hæresium confecit in Noeto ac Noetianis desinentem (PHOT. Cod. 121. cit. Append. pag. **20**). Cum his autem optime consentit auctor noster, dum memorat (*Phil.* IX. 7. cit. Append. pag. **16**) discipulos Noeti Romæ extitisse Zephyrino S. P., qui ecclesiæ regimen suscepit ipso anno quo Irenæus obiisse putatur (202). — De Sabellio Ariani episcopi in sua epistola synodali pseudo-Sardicensi (in *Coll. Conc.* ad an. 347 vel 348) obiter notant, Sabellium Romæ damnatum fuisse ; PHILASTRIUS (*De Hær.* c. 54. P. L. t. XII. p. 1168) et AUGUSTINUS (*Hær.* 41. P. L. t. XLII. p. 32) eum fuisse Noeti discipulum prodidere; DIONYSIUS Alexandrinus (ap. EUSEB. *H. E.* VII. 6. P. G. t. XX. p. 645) Xystum S. P. (an. 257-258) certiorem fecit de Sabelliana hæresi nuper Ptolemaïde turbas concitante. Hæc omnia valde incerta et invicem pugnantia hucusque videbantur; at pulchre illustrantur ex narratione auctoris nostri quæ Sabellium exhibet ineunte sec. III Romæ commorantem, dum Cleomenes quidam Noetianæ scholæ ibi præerat, eumdemque Romæ a Callisto S. P. condemnatum refert.

(2) Ita ARMELLINI.

prorsus ætatis hominem referat : quod in historica ejus libri recognitione DE ROSSI (1) ad liquidum demonstravit. Sic, ut pauca quædam ad specimen commemoremus,

a. Refert auctor Callistum adhuc adolescentem fuisse servum Carpophori cujusdam Christiani qui erat e familia Cæsaris (2). Certe si quid hic ex arbitrio confectum censeri posset, id præsertim esset privati hominis nomen quod obiter memoratur. Sed laudatus archæologus monuit se habere inscriptionem in suas schedas relatam, qua Carpophorus quidam Marci Aurelii (qui obiit an. 180) libertus nominatur.

b. Quæ ab auctore notantur de Fusciani animadversione in Callistum (3), apprime consentanea sunt severitati illius præfecti (4).

c. Congruit narrationis contextus cum anno quo Fuscianus præfectura urbana functus est, eo nimirum quem nuper Bartholomæus comes BORGHESI ex veterum memoriis accurate constituit : is autem est annus Chr. 188 (5). Quum enim anno illo Callistus in Sardiniam deportatus fuerit, ut refert auctor, atque inde non serius anno 192, Commodi Imperatoris ultimo, fuerit revocatus, congruenter auctor notavit in Italiam

(1) *Bullettino di Archeologia Cristiana.* Anno quarto (1866).

(2) *Phil.* IX. 12. in. (Append. pag. 46 extr.).

(3) Ibid. (Append. pag. 47 extr.).

(4) Quam testatur CAPITOLINUS in *Pertinace* cap. 4.

(5) Argumenta Comitis BORGHESII, ex ejus litteris datis ad P. Raph. Garucci refert ARMELLINI p. 20. not.

revertisse Callistum dum adhuc recens esset apud omnes ejus memoria (1).

d. Ut synchronismus Victoris Pontificis, Commodi Imperatoris, Marciæ ejus pellicis cum historia cohæret, sic Marciæ in Christianos benefactum ab auctore relatum cum Dionis Cassii testimonio (2) concordat, unde scimus « Marciam Christianorum fuisse studio-» sam ac multa in eos beneficia contulisse : omnia » quippe poterat apud Commodum. »

e. Ad ecclesiasticam Callisti vitam exponendam conversus auctor scribit, Callistum a Zephyrino præpositum fuisse cœmeterio (εἰς τὸ κοιμητήριον). At quando tam multa Romæ essent Christianorum hypogæa, quæri posset quodnam singulare cœmeterium ab auctore fuerit designatum. Ita sane, si diu post Callistiana tempora liber iste fuisset exaratus. Sed scriptori illius ætatis quam liber prætendit, necesse non fuit rem pluribus explicare. Notum quippe erat omnibus, Zephyrino Pontifici suum fuisse hypogæum, in quo ipse compositus est, quodque, amplificatum atque ornatum ab ejusdem successore Callisto, hujus porro nomine appellari perrexit.

10. III. Jam, ut veterum de nostro opere silentium cum propugnata ejus ex internis indiciis authentia componatur, multiplex ratio hujus silentii assignari potest. Nimirum :

(1) Cfr. *Phil.* Cap. cit. (Append. pag. 48 med.).

(2) *Hist. Rom.* l. LXXII.

1° Quod auctor dux fuit schismaticæ factionis quæ, ut videtur, neque diu vixit neque late admodum propagata est (de qua re fusius infra). Unde consequens fuit, ut eadem hujus scripti sors fuerit quæ similium heterodoxorum scriptis obtigit. Horum quippe pars maxima jam pridem intercidit; fragmenta dumtaxat aliqua in operibus Patrum servata sunt.

2° Quod opus græce scriptum fuit per eam tempestatem qua latinæ litteræ inter Christianos Occidentis multo quam græcæ frequentiores esse incipiebant. Quare non multo post minui cœpit ac deficere latinorum numerus qui opus illud intelligere possent. Nam ad Orientem quod attinet, non satis græce scriptum erat ut Græcis Latinorum contemptoribus placeret.

3° His accedit propria operis ratio quæ per se ipsa lectorum ac laudatorum numerum non ita magnum ferebat. Hos enim vel in catholica ecclesia vel in heterodoxis cœtibus quæsivisset. Atqui catholicos calumniatur atque hæreticis accenset, heterodoxos vero cunctos insectatur ac damnat. Igitur paucos admodum lectores ac laudatores hæc lucubratio habuerit necesse est : unde non diu luce publica frui potuit.

CAPUT II.

DE INDICIIS QUIBUS AGNOSCI AUCTOR POSSIT.

—

1. I. Quod attinet ad indicia *externa,* ex iis quæ superiori capite (1) vidimus, satis colligi potest vix ulla adesse. Neque enim THEODORETUS, dum ea refert quæ ex libro decimo *Philosophoumenon* excerpsisse videtur, uspiam de auctore eorum quidquam innuit (2); et PHOTIUS, dum *Labyrinthum* describit, satis indicat hujus opusculi auctorem incertum esse. Restant quædam a librariis qui opus descripserunt adjectæ notæ quæ Origenem auctorem ejus faciunt : de quibus dicemus Capite sequenti.

2. II. *Interna* autem quædam indicia ad inquisitionem nostram juvare possunt. Etenim ex ipso opere sequentes colligimus notas quibus auctorem insigniri necesse est :

(1) NN. 2, 3.

(2) Et vix quidquam juvare potest indicatio generalis quæ habetur in Theodoreti præfatione seu epistola ad Sporacium circa fin. Ait nimirum : « Antiquarum porro hæresium fabulas ex antiquis ecclesiæ doctoribus » collegi, Justino.... et Irenæo... et » Clemente... et Origene et Eusebio, » tum Palæstino, tum Phœnice, et » Adamantio, et Rhodone, et Tito, et » Diodoro, et Georgio, et *aliis* qui » linguas suas contra falsitatem armarunt » (P. G. t. LXXXIII. p. 339).

1° Fuit vir præstantis doctrinæ et ingenii. Nam

a. Nova methodo hæreticos confundere aggressus, scopum sibi propositum diligenter, constanter ac magna arte per decem libros non spernendæ molis prosecutus est.

b. Non exiguam cognitionem se habere ostendit doctrinarum hæreticarum, sed et veterum philosophorum et astronomorum, ac eorum quæ ad gentiles religiones pertinent (1).

(1) Objici potest quod de nostro auctore ait CRUICE (pag. 37, ubi arguit contra sententiam quæ *Philos.* tribuit Origeni) : « Son livre n'est qu'une compilation sans art; il a emprunté à divers auteurs divers lambeaux pour les coudre à la hâte et sans prendre toujours la peine de les joindre. Sextus Empiricus lui a fourni douze pages au quatrième livre et trois au dixième. Au cinquième livre, il emprunte à saint Irénée vingt-deux pages, copiées si exactement qu'on pourrait, en rapprochant les deux textes, les corriger aisément l'un par l'autre. Il en tire sept de Josèphe, au neuvième livre, et nous pouvons présumer que chacune des sectes dont il ne fait qu'exposer les doctrines, lui a fourni également des morceaux considérables. » Sed hæc objectio refutari potest ex iis quæ affert ipse Cruice alio loco (p. 64) ubi refellit eos qui opus *Philos.* designari putant ap. PHOTIUM Cod. 121 (cit. Append. pag. 20). Postquam scilicet advertit multa apud auctorem nostrum haberi quæ apud Irenæum frustra quæruntur, ita pergit : « Ajoutons que les deux auteurs ont suivi une méthode bien différente dans la manière de présenter leur sujet... Par conséquent, quelques emprunts que notre auteur ait faits à l'ouvrage de saint Irénée, on ne peut les considérer comme une analyse des œuvres de cet écrivain. Sa méthode est différente et au lieu d'une analyse, on y trouve souvent des développements très-longs et très-curieux. Enfin, de ce que notre auteur cité saint Irénée et lui emprunte un certain nombre de pages, on ne peut pas en conclure que son ouvrage est celui que Photius avait entre les mains, car beaucoup d'auteurs ont souvent cité et quelquefois copié saint Irénée. — C'était alors une coutume parmi les écrivains ecclésiastiques d'extraire de longs fragments des auteurs qui les avaient précédés pour les faire servir à leur propre cause. Ainsi, des passages entiers de Josèphe se retrouvent dans saint Justin, saint

3. 2° Antea jam *a.* ediderat opusculum in quo omnes hæreses quæ hucusque exstiterant summatim recensuerat (1).

b. Scripserat librum *de universi essentia* (2).

c. Scripserat commentarios in Genesim vel aliud simile opus, ubi disseruerat de Palæstina, de 72 gentibus e Patriarchis ortis, de arca Noe (3).

4. 3° Erat episcopus vel certe hanc dignitatem sibi attribuebat quando scripsit præsens opus. Etenim sibi vindicat summum sacerdotium, apostolicam successionem, apostolici charismatis participationem, magisterium, ecclesiæ custodiam, excommunicationis ferendæ potestatem (4), quæ omnia certe nonnisi episcopo conveniunt.

5. 4° Romæ morabatur Zephyrino et deinde Callisto S. P. et huic etiam superstes fuit (5).

6. 5° Præterea ex libro nono colligitur eum temporibus horum Pontificum non infimum locum Romæ tenuisse in clero. Secus enim quomodo resistere ausus

Théophile d'Antioche, saint Cyrille d'Alexandrie. Dans Tertullien, on rencontre de longs fragments pris au premier livre de saint Irénée contre les Valentiniens. Dans l'ouvrage de saint Epiphane contre les hérétiques, les emprunts sont encore plus nombreux; et... l'on sait que l'évêque de Lyon a également prêté de nombreux morceaux à Théodoret et à saint Hippolyte. »

(1) *Phil.* I. procem. (Append. p. **16**).

(2) *Phil.* X. 32 (Append. pag. **17** extr.).

(3) *Phil.* X. 30 (cit. ibid.).

(4) I. procem. (Append. pag. **16**).

(5) Cfr. supra Cap. I. N. 1 (pag. 92).

fuisset et potuisset Romanis Pontificibus in iis quæ ad finem et disciplinam pertinerent eosque coarguere (1)?

7. 6° Denique ex eodem libro docemur auctorem nostrum a Callisto R. P. (2) hæreseos damnatum esse (3), et cathedram contra Callistum erexisse ac schismaticæ ecclesiæ caput exstitisse (4) : quam tamen ecclesia Callistum sequente et catholicam se dicente numero longe inferiorem fuisse non obscure fatetur (5).

(1) Cfr. cit. ibid.

(2) Evidenter rejicienda est conjectura quam in Periodico *Ecclesiastic and Theologian* primo propositam, suam fecit Fessler (Cfr supra Procem. NN. 5, 8). Nam quæ lib. IX de Callisto referuntur manifeste Summum Pontificem hujus nominis indigitant. Quomodo autem factum sit ut Theodoretus de illo loquatur tamquam de hæretico aliquo obscuro (quod est præcipuum istius conjecturæ argumentum, præter negativum ex silentio aliorum Patrum) supra (Cap. I. N. 2) satis explicatum est.

(3) Cap. 11 extr., cap. 12 med. (Append. pagg. **46, 48** post med.).

(4) Cap. 12 extr., cap. 13 extr. (Append. pagg. **49** ant. med. **50, 17**).

(5) Cap. 12 extr. et cap. 13 init. (Append. pagg. **49** med. et extr., **17** ante med.).

CAPUT III.

UTRUM PHILOSOPHOUMENA TRIBUI POSSINT ORIGENI (1).

—

1. Certe negative respondendum est. Etenim apud Origenem desunt fere omnes Notæ modo assignatæ. Deest scilicet Nota 3ª : nemo etenim unquam vel susceptum vel occupatum ab Origene episcopatum dixit, etsi tot exstiterint ejus laudatores et adversarii, neque ipse sibi hanc dignitatem usquam vindicat (2). Deest Nota 4ª : nam Origenes ut plurimum Alexandriæ vel Cæsareæ moratus est et nonnisi « paulisper » Romæ

(1) Cfr. supra Procem. NN. 2, 3, 5, 7, 12.

(2) Gronovius frustra vim hujus argumenti infringere conatur contendendo per hanc vocem ἀρχιερατεία potuisse generatim ἱερατίκην ἀξίαν designari. Ad ejus argumenta enim facile R. 1° Etsi nonnunquam simplex presbyter apud Latinos dictus est *Antistes* et apud Græcos προεστώς, at nunquam dictus est apud Latinos *Summus Sacerdos* et apud Græcos ἀρχιερεύς. 2° Quamvis episcopi aliquando generali nomine vocati sint ἱερεῖς, non tamen e converso simplices presbyteri ἀρχιερεῖς. 3° Licet in ecclesia Orientali publico docendi munere aliquando functi fuerint simplices presbyteri, imo et laici (Euseb. *H. E.* VI. 19 extr. P. G. t. XX. p. 569), attamen id nunquam nisi precario jure ab illis præstitum est, concedente nimirum episcopo, penes quem pro concione dicendi jus proprium semper remansit. Auctor *Philosophoumenon* vero manifeste sibi istud munus tamquam ex officio sibi incumbens arrogat.

Zephyrino S. P. (1). — A fortiori deest Nota 6ª. — Denique inter opera Origenis non invenitur tractatus adversus omnes hæreses neque de universi natura (Not. 2ª) (2).

2. Quod itaque nomen Origenis inscriptum est libro primo *Philos.* in quatuor codicibus mss. qui illum continent, Mediceo scilicet, Taurinensi, Barberino et Ottoboniano, et in codice Parisino, ad professionem illam fidei qua terminatur lib. X, in margine scriptum est Ὠριγένης καὶ Ὠριγένους δόξα : id attribuendum omnino videtur librariis : quibus illud erroris vel fraudis genus non adeo insuetum fuit. — Neque huic responsioni satis occurrit GRONOVIUS allegando in Mediceo codice hunc librum conjunctum esse cum aliis operibus quæ sine controversia sunt illorum scriptorum quorum nomina præ se ferunt : nam multæ sunt hujusmodi manuscriptorum collectiones, ubi spuria cum genuinis mixta sunt.

3. Modos vero loquendi quos GRONOVIUS tamquam in genuinis Origenis libris usurpatos notavit, ostendit WOLFIUS non esse illi proprios, sed et apud alios scriptores græcos reperiri (3).

4. Levius etiam est argumentum quod affert LENOR-

(1) EUSEB. *H. E.* VI. 14 extr. (P. G. t. XX. p. 553).

(2) Confirmationes quasdam seu alia argumenta contra hanc opinionem videsis ap. CRUICE, pag. 39 extr. sqq. 13°-16°.

(3) Has responsiones WOLFII refert Præf. Benedict. ad Opp. Origenis, p. XIII sqq. (P. G. t. XI. p. 30).

MANT, genus disputandi scilicet Orientalem scriptorem manifestare potius quam Occidentalem : Orientalium enim Patrum proprium fuisse ait ut ad ethnicos philosophos provocarent, dum Occidentales solius Scripturæ testimoniis uti consueverunt. Ad hanc autem rationem, per se satis debilem, omnino refellendam, animadvertisse sufficit auctorem nostrum non ad veterum philosophorum auctoritatem provocasse, sed illorum doctrinas cum contemptu retulisse, idque ad confundendos hæreticos qui illas adoptassent; et eadem ætate non absimili modo veterum philosophorum opiniones relatas fuisse a latinis scriptoribus Tertulliano et Minutio Felice.

CAPUT IV.

UTRUM PHILOSOPHOUMENA TRIBUENDA VIDEANTUR HIPPOLYTO.

ARTICULUS I.

TESTIMONIA VETERUM DE HIPPOLYTO.

1. Certum est exstitisse ineunte seculo III ecclesiasticum scriptorem nomine Hippolytum, qui et episcopus et martyr fuisse traditur. At quamvis multa et varia scripserit et ut præcipuus quidam ecclesiæ doctor non raro apud Patres et in Conciliis citatus sit, admodum incerta erant omnia quæ hucusque de ejus historia ferebantur. Quæ cum occasione hujus tractationis paulo diligentius examinanda sint, juvabit collecta præ oculis habere quæ de eo apud veteres tradita reperiuntur (1). — Ista testimonia autem perspicuitatis gratia in sex classes distribuimus.

2. I. Prima classis ea continet quæ de Hippolyto ex professo agentes retulerunt scriptores historici Eusebius, Hieronymus, etc.

(1) Vid. Append. D. pag. 18 sqq.

3. II. In secunda vero recensuimus locos Patrum et aliorum scriptorum græcorum et latinorum ubi Hippolytus obiter citatur. — Omisimus tamen eos ubi solum occurrit nomen Hippolyti, nullo aut solo martyris titulo adjecto, neque quidquam traditur quod ad ejus historiam elucidandam juvare possit, sed solummodo excerpta quædam ex ejus scriptis (1).

4. III. His subjungimus quæ de Hippolyto reperiuntur apud scriptores vel in monumentis ecclesiarum Nestorianarum vel Monophysitarum Orientalium. Advertendum autem est has ecclesias recessisse ab orthodoxis circa med. sec. V et vix quidquam ex hoc tempore cum his commune habuisse. Unde traditiones in eorum monumentis consignatæ circa Hippolytum antiquissimæ censendæ sunt.

5. IV. Quarta classis complectitur titulos qui in veteribus codicibus mss. inscripti sunt operibus Hippolyti. Ubi rursus omisimus eos qui solum nomen Hippolyti habent, vel adjecta designatione episcopi aut martyris.

6. V. Quinta classis constat iis quæ indicantur in inscriptione statuæ marmoreæ Hippolyti quæ sec. XVI

(1) Ita HIERONYMUS Epist. 36 (al. 125) ad Damasum, n. 16 (P. L. t. XXII. p. 460), Epist. 71 (al. 28) ad Lucinium n. 6 (ibid. p. 672), Comment. in Cap. 9 Danielis (P. L. t. XXV. p. 547), Præfat. in Matthæum (P. L. t. XXVI. p. 20). – Auctor. orat. 51 de pseudo-Prophetis, quæ habetur tom. VIII Opp. S. Joannis Chrysostomi edit. Maur. inter spuria p. 72 (P. G. t. LIX. p. 560) — ANDRÆAS Cæsariensis (qui videtur claruisse circa an. 500) in Apocal. XIII. 1, 18, et XVII. 10 (cit. P. G. t. X. p. 573). – ISIDORUS Hispalensis in Genes. 23 (P. L. t. LXXXIII. p. 256).

Romæ inventa est. — Anno scilicet 1551 in agro Verano non procul ab æde S. Laurentii prope urbem (in veteri via Tiburtina) e ruderibus antiquæ memoriæ seu cryptæ S. Hippolyti effossa est marmorea statua, solio seu cathedræ insidens græcis utrinque litteris inscriptæ (1). Inscriptio in binis cathedræ lateribus cyclos paschales annorum sexdecim exhibet, quartarum decimarum (lunarum) in dextro, Dominicarum paschalium in sinistro, utrosque septies repetitos, ita ut seriem centum duodecim annorum complectantur. Non erat quidem in ea expressum nomen Hippolyti, sed facile ipsa sexdecim annorum circuli methodus (2) et opusculorum catalogus quem continebat primus limbus dextri laterculi (3) Hippolytum satis prodebant. — Hæc statua collocata est in Bibliotheca Vaticana, ubi et hodiedum visitur.

7. Ineunte seculo III illam exsculptam fuisse censuerunt WINKELMANN et alii harum rerum periti. Quæ sententia confirmatur 1° Ex eo quod memoria Hippolyti adeo brevi Romæ obliterata est ut Hieronymus, in libro *De viris illustribus* (4) de Hippolyto scribens postquam Romæ diu versatus erat, nihil de ejus vita re-

(1) Effigiem hujus statuæ exhibent. Sim. DE MAGISTRIS *Act. Mart. ad Ost. Tib.* p. 358; BUNSEN in fronte tom. I operis citati supra Procem. N. 6 (pag. 87); et non ita accurate expressam FABRICIUS *Opp. S. Hippolyti* p. 36, et ex eo MIGNE, t. X. p. 881.

(2) Cfr. Test. **I. 2, 4, 5, 12.** (Append. pag. **18-21**).

(3) Cfr. Test. **I. 2, 4, 5, 11** (Ibid.).

(4) Cui, ut ipse testatur cap. ult. (P. L. t. XXIII. p. 717) finem imposuit anno Theodosii decimoquarto seu æræ vulg. 392.

ferre potuerit, præterquam quod episcopus fuit (1). Satis diu igitur ante finem sec. IV tantæ venerationis signum quantæ in erectione hujus statuæ habetur, Hippolyto tributum esse oportet. 2° Ex eo quod inscriptio sermone et litteris græcis exarata est. Jam vero post med. sec. III ac præsertim sec. IV omnino exolevit Romæ usus græci sermonis. 3° Ex titulo laterculi decimarum quartarum (2), ex quo colligitur et canonem incipere ab anno I Alexandri (æræ vulg. 222) et, dum artifex hæc sculpebat, aliquot jam annos in eo indicatos elapsos esse, non tamen omnes (3).

8. P. Armellini omnino negat inscriptionem et forte ipsam statuam referri posse ad sec. III. Probat autem suam sententiam (4) : 1° Præcipue argumento negativo, nimirum : « Hieronymus (ait) qui dum scripta Hippolyti commemorat, censum exhibet diversum a catalogo statuæ adscripto, vel statuam non vidit, vel (quod minus crediderim) eum catalogum haud magni fecit. Quare similius veri est, seculo quarto monumentum illud minime exstitisse. » Præterea 2° « Neque in sacris ædibus per ea tempora ut picturis, ita et statuis locus erat, quando his potius quam illis ethnici ad superstitionem fovendam utebantur. » 3° « Ipsa titulo enumeratio [opusculi] *Adversus Græcos et adversus*

(1) Test. I. 4 (Append. pag. 18).

(2) Test. V. 1 (Append. pag. 26).

(3) Hoc argumentum tamen forte eludi posset supponendo hunc titulum ab ipso Hippolyto fuisse præfixum suo Canoni quem ab anno 222 inceperit propter quædam commoda quæ in hoc initio ponendo viderit.

(4) Op. cit. p. 39-48.

Platonem vel etiam de universo, indicat, jam tum in diversis exemplaribus alio atque alio titulo eum librum fuisse inscriptum. Quare tantum temporis ab Hippolyti obitu defluxerat, quantum satis esset ad opusculi titulum (fortasse etiam auctoris nomen) ex arbitrio librariorum vel commutandum vel supplendum. » 4° « Ad hæc, si reapse simulacrum illud ea mente exsculptum fuisset ut paschales Hippolyti periodos operumque titulos descriptos præferret, ampliora certe sedis latera sculptor fecisset. » — Deinde in refellendis argumentis contrariis, hæc contra argumentum secundo loco a nobis allatum proponit : « Ratio quæ ducitur ex lingua inscriptionis, pro certo sumit, simulacrum illud usui publico destinatum fuisse, quod tamen demonstrari nequit. Seculis profecto post tertium reliquis vix unquam Romæ defuerunt græci homines quos vel urbis amor, vel popularium turbæ, vel Augustorum vexationes ex Oriente in Italiam propellebant. Cujus rei exempla nemo postulaverit nisi qui plane sit hospes in historia ecclesiæ. Quis igitur mihi jure succenseat, si dixerim, græcum quempiam Hippolyti cultorem Romæ degentem, græcorumve monachorum cœtum vetus illud simulacrum Hippolyto dicasse eodemque vel suburbanum vel bibliothecam vel ædem sacram ornari voluisse? Nihil itaque impedit quominus catalogus ille habeatur tamquam opus anonymi cujusdam qui seculo quarto eove serius Hippolyti memoriam ea ratione honoratam voluerit. » — Unde ulterius contra catalogi auctoritatem concludit

P. Armellini : « At vero inde usque a seculo quarto, uti Eusebius et Hieronymus testantur, plurima erant tum pseudepigrapha tum anepigrapha veterum opuscula quibus interdum librarii pro sua quisque opinione inscriptionem faciebant. Ad hoc inter opuscula in eo catalogo minime recensita est Hippolyti opusculum *Contra omnes hæreses* quod Eusebius, Hieronymus, Photius, alii noverunt, quodque Hippolytus *olim* (1), hoc est diu ante *Philosophumena* edidisset, siquidem *Philosophumenon* auctor esset. Longe igitur abest quin illius catalogi auctoritas omni exceptione major haberi debeat. » Hactenus Armellini.

9. Verum quamvis concedamus non omnino repugnare ut res sicut ipse proponit acta fuerit, tamen id probabile nequaquam demonstravit. Nam et irrefutatum manet argumentum a nobis primo loco propositum et responsio ejus ad secundum non est nisi laboriosa quædam conjectura, contra quam etiam non parum valet primum nostrum argumentum, imo et tertium : nam profecto probabile non est, tanto labore incisum esse duplicem canonem Paschalem postquam anni in eo descripti omnino elapsi essent, præsertim quando, ut non diffitetur P. Armellini, « paschalis ille cyclus paullo post Hippolyti decessum ab accurata temporum ratione discrepare insigniter cœpit : nam sexdecim evolutis annis, paschalis dies ab Hippolyto designatus solido triduo paschalem lunam antecessit. »

(1) *Philos.* I. Procem. (Cit. Append. pag. 16).

Ad hoc argumentum autem nihil aliud respondet nisi quod cyclus « is non ad usum ecclesiæ, sed honoris causa adscribi potuit simulacro » : quod certe satis mirum apparet, ut scilicet honoris causa tanto labore insculptus fuisset cyclus qui erroribus scatere jam a nemine non agnoscebatur (1).

10. Neque quidquam evincunt argumenta a P. Armellini contra communiorem sententiam directe allata. Etenim facile ad 1ᵐ R. ***a.*** Quando Hieronymus scribebat suum librum *De viris illustribus*, non versabatur Romæ, sed in Palæstina. ***b.*** Ceterum ex hoc argumento solum concludi posset statuam Hippolyti post med. sec. IV non fuisse publice expositam : quod ultro concedimus (2). — Ad 2ᵐ R. Non tamen omnino desiderantur aliæ sculpturæ christianæ hujus temporis et speciatim quædam omnino similis (3). — Ad 3ᵐ R. Titulus iste potuit optime ab ipso auctore inscribi : neque enim adeo insuetum est ut auctor alicui opusculo suo duplicem titulum inscribat. — Ad 4ᵐ R. Cum cycli paschales integri in iis lateribus descripti sint, ad summum sequeretur, primo non intendisse artificem ut et alia Hippolyti opuscula in inscriptione consignaret, postea vero, cum aliquid spatii vacuum relinqueretur, illud hac indicatione replevisse. — Ad confirmationem autem quam repetit P. Armellini ex

(1) Mox enim postquam editus fuerat Hippolyti canon, calculi ejus erronei deprehensi sunt (DE ROSSI, *Inscript. Christ. Rom.* t. I. p. LXXX; *Bullettino*, an. 1866. p. 96).

(2) Cfr. infra NN. 55, 56.

(3) Cfr. infra N. 56.

omissione opusculi *Adversus hæreses*, responderi potest ipsius verbis (1) : « Quod vero nonnulla Hippolyti opera minime indicentur, id... fieri potuit... ex defectu spatii ad exarandum relicti : quandoquidem appareat, universum cathedræ latus minutis admodum literulis nullo concinnitatis respectu exaratum fuisse. »

11. IV. Denique in sexta classe collegimus testimonia quæ vel non ita manifeste referri possunt ad Hippolytum ecclesiasticum scriptorem vel etiam manifeste ad alios ipsi homonymos referenda sunt.

ARTICULUS II.

QUÆNAM EX HIS TESTIMONIIS CIRCA HISTORIAM HIPPOLYTI HUCUSQUE COLLIGI POTUERINT (2).

§ 1. Quo tempore vixerit Hippolytus.

12. Ex testimonio PHOTII habemus eum fuisse discipulum Irenæi, qui obiit an. circ. 202, et ex aliis, præcipue claruisse Alexandro Severo Imp. (an. 222-235) (3).

(1) Op. cit. p. 48. Ubi refellit argumentum quod ex hujusmodi omissione deduci posset ad probandum statuam positam fuisse vivente adhuc Hippolyto.

(2) Cfr. CEILLIER, *Hist. gén. des auteurs sacrés et ecclés.* t. II (Paris 1730). p. 316. — TILLEMONT (LE NAIN DE) *Mém. pour servir à l'hist. eccl.* t. III (Venise 1732). p. 238. — (RIVET) *Hist. litt. de la Fr.* t. I. part. I. — CUPERUS, *De S. Hippolyto (Act. SS.* t. IV. Aug. p. 504). — RUGGIERI, *De Portuensi S. Hippolyti sede* (Insert. P. G. t. X. p. 395). — LUMPER, *De vita et scriptis S. Hippolyti* (ibid. p. 271). — MAGISTRIS (Simon DE) *Acta Martyrum ad Ostia Tiberina sub Claudio Gothico.* Romæ 1795. fol.

(3) Test. **I. 1-12** (Append. pag. **18-21**). — Hinc mitius intelligendi PALLADIUS et CYRILLUS Scythopolitanus, qui eum apostolorum familiarem fuisse tradiderunt (Test. **II. 8, 10**.

§ 2. De sede episcopali Hippolyti.

13. Episcopum fuisse Hippolytum vel saltem hanc fuisse communem apud veteres opinionem satis constat ex tot testimoniis quæ hac de re habentur. Sed de ejus sede mira est inter illa testimonia dissensio. Videlicet *a.* Eusebius et Hieronymus fatentur se nihil certi de illa potuisse reperire (1). *b.* Unum habetur testimonium quod eum Arabiæ Metropolitanum facit, Gelasii scilicet (2). Cui, teste Papebrochio, adjungi potest auctor anonymus Actorum S. Aureæ (3). *c.* Pro episcopatu vero ejus Portuensi quinque afferuntur testes : Anastasius (4), auctor *Chronici Paschalis* (5), Georgius Syncellus (6), Joannes Zonaras (7) et Nicephorus Callisti (8), quibus adjungi forte possunt mar-

Append. pag. **22**). — Testimonio Photii etiam refutatur assertio Auberti Miræi et Baronii, qui Hippolytum Clementis Alexandrini discipulum faciunt, nullum tamen antiquum afferentes testimonium.

(1) Test. **I. 1, 4** (Append. pag. **18**).

(2) Test. **II. 9** (Append. pag. **22**).

(3) Test. **VI. 13** extr. (Append. pag. **31**).

(4) Test. **II. 14** (Append. pag. **23**).

(5) Test. **II. 4** (Append. pag. **22**).

(6) Test. **I. 5** (Append. pag. **19**).

(7) Test. **I. 10** (Append. pag. **20**).

(8) Test. **I. 11** (Ibid.). — P. Armellini præterea (p. 42. not. 3) citat Anast. Sin. *Hodeg.* Leont. Byz. *De Sectis.* (Test. **II. 11, 12.** Append. pagg. **22, 23**), dum in editis (Anastas. in *Bibl. PP.* Lugdun. t. IX. p. 856 et ap. Migne P. G. t. X. p. 861; Leont. ap. Galland. t. XII. p. 633) solum occurrit Hippolyto attributus titulus episcopi vel Pontificis Romani. Ceterum P. Armellini videtur hos titulos episcopi Romani et episcopi Portuensis ut synonymos habuisse : nam sive in recensendis, sive in refutandis argumentis sententiæ de Hippolyto auctore *Philosophoumenon,* ne verbum quidem habet de illo, sane non infimo, quod deducitur ex appellatione episcopi Romani toties Hippolyto attributa. — Notari hic etiam

tyrologia latina (1). *d.* Ceterum, omnibus eruditis fatentibus, Græci et alii Orientales communiter vocant Hippolytum episcopum Romanum. Et revera, inter testimonia a nobis collecta, viginti tria diserte eum hoc titulo insigniunt (2) et probabiliter quatuor alia (3). *e.* Plerisque in locis autem ubi citatur Hippolytus apud Patres vel in Catenis, omittitur designatio ejus sedis.

14. Ex ista incertitudine et dissensione testimoniorum veterum non minor exstitit varietas sententiarum de sede Hippolyti inter recentiores. Nimirum

I. Quidam testimonium Gelasii de sede Arabica conciliare volentes cum testimoniis de sede Portuensi, putarunt Hippolytum fuisse quidem prius Arabiæ metropolitanum, at, quum Romam venisset ad invisenda limina apostolorum, a Romano Pontifice, virum tam doctum apud se retinere cupiente, translatum fuisse ad sedem Portuensem. Ita Baronius (4) quem secuti sunt Ughellus (5) et P. Halloix (6).

obiter potest vocem Πόρτου ap. Migne (P. G. t. X. p. 580) insertam loco Georgii Syncelli citato inter testimonia nostra **II. 17** (Append. pag. **28**) nequaquam reperiri in græco textu (Vid. *Hist. Byzant. Scriptt.* t. XIV. p. 597), ubi solum habetur ἀρχιεπισκόπου Ῥώμης. Et quidem in græco textu ap. Migne hæc vox uncinis inclusa est, sed in versione latina reddita est quasi in græco textu haberetur.

(1) **VI. 22-24, 33, 42, 43** (Append. pag. **33-35**).

(2) **II. 1, 11, 12, 13, 16, 17, 20; III. 2, 3, 4, 6, 7; IV. 1-7; VI. 48, 49, 52, 54** extr. (Append. pagg. **21-26, 36, 37**).

(3) **II. 15, 21; III. 8; VI. 47** (Append. pagg. **23, 25, 36**).

(4) *Annal.* ad an. 229. n. 4.

(5) *Ital. sacr.* t. I. p. 110.

(6) *Origenes defensus*, lib. I. cap. 10.

15. At contra hanc sententiam obstat : 1° Quod nullius veteris auctoris testimonio nititur præter unius Gelasii, scriptoris scilicet satis incerti (1), qui vixit extr. sec. V. et forte in errorem inductus est ambigua versione Ruffini, qui Eusebii verba *H. E.* VI. 20 (2) ita reddit : « Erat inter ceteros et Beryllus scriptorum » præcipuus, qui et ipse diversa opuscula dereliquit. » Episcopus fuit hic apud Bostram, Arabiæ urbem » maximam. Erat nihilominus et Hippolytus, qui et » ipse aliquanta scripta dereliquit, episcopus. » 2° Quod secundum ecclesiasticam disciplinam primorum seculorum hujusmodi translationes nequaquam aut vix licitæ existimabantur. 3° Addi potest, parum probabilem videri hanc translationem a sede metropolitana ad oppidum satis ignobile (3).

16. II. Has posteriores difficultates vitare voluisse videntur Bollandiani (4) dum, quoad ultimam partem sententiam Baronii deserentes, conjiciunt Hippolytum episcopum Arabum facile potuisse ad invisenda sepulcra apostolorum Romam venire; at forte in Portu Romano ab ethnicis comprehensus et martyrio affectus fuerit : unde plebi et deinde posteris occasio data sit Portuensem ejus episcopatum asserendi. — Sed et hæc

(1) Varias sententias circa hunc Gelasium videsis apud FABRICIUM, *Bibl. Græc.* (Ed. HARLES) t. XI. p. 290.

(2) Test. I. 1 (Append. pag. 18).

(3) Si jam oppidum tunc fuit. Quod negat DÖLLINGER, *Hippolytus und Kallistus*, p. 77 sqq.

(4) *Act. SS.* tom. IV. Aug. p. 510.

conjectura nullam aliam rationem habet quam ut salvetur auctoritas Gelasii.

17. III. St. LE MOYNE (1) opinatus est Hippolytum Portus Romani quidem episcopum fuisse, sed in Arabia, emporii nimirum celeberrimi (2), quod et Aden dicitur, a Romanis mercatoribus admodum frequentati, quodque nomine Emporii seu Portus Romani a Græcis designari potuit. Huic opinioni subscripserunt CAVE (3); Cas. OUDIN (4); DUPIN (5); ASSEMANI (6), et alii quidam. — At obstat : 1° Quod nusquam legitur ille portus Romanus sedes episcopalis, imo, ut videtur, nec civitas hujus nominis fuisse. 2° Quod Eusebius et Hieronymus hanc Hippolyti sedem tam illustrem (ut ipsi supponunt) ut Arabiæ metropolis fuerit, et Palæstinæ tam vicinam, utique non ignorassent. 3° Quod Hippolytus Romæ versatus est et ibidem sepultus. Unde coguntur etiam supponere illum vergente ætate Romam venisse ibique subiisse martyrium. 4° Præterea supponere debent inde in errorem inductos fuisse eos qui Hippolytum Portus juxta Romam vel etiam Romæ episcopum fuisse dicunt (7). — Eaque omnia rursus ob salvandam auctoritatem unius Gelasii.

18. IV. Hanc igitur deserentes TILLEMONT et CEIL-

(1) In *Prolegom.* ad *Varia Sacra*, circa fin.

(2) De quo PHILOSTORGIUS *H. E.* III. 4 extr. (P. G. t. LXV. p. 485).

(3) *Hist. litter.* Ed. Colon. pp. 62. et 65.

(4) *Commentar. de Script. eccles.* t. I. p. 222.

(5) *Biblioth.* t. I. p. 179.

(6) *Biblioth. Orient.* t. III. part. I. p. 15.

(7) Cfr. supra N. 13, *b* et *c*.

LIER (1) conjecerunt Hippolytum scriptorem ecclesiasticum in minori quadam civitate, cujus nomen ad posteros non pervenit, episcopatum gessisse; existimatum autem esse Portus Romani episcopum, quia in eo oppido martyr quidam homonymus passus fuerit, ex Oriente fortassis illuc delatus, quem interjecto tempore cum Hippolyto episcopo et doctore confuderunt.

19. V. Auctores vero *Historiæ litterariæ* Galliæ censuerunt Hippolytum nullam habuisse fixam sedem, sed quemadmodum Caium (2), fuisse episcopum gentium. Quæ conjectura omnino gratuita est et exorta solummodo ex difficultate quæ habetur in conciliandis veterum testimoniis.

20. VI. Singularis est opinio Christ. Aug. HEUMANN, qui comprobare nisus est (3) Hippolytum fuisse quidem episcopum, non tamen ecclesiasticum, sed civilem. In quam sententiam pauca quædam citat loca ex græcis latinisque scriptoribus, unde sibi videtur colligere posse hoc nomen episcopi aliquando attributum fuisse iis qui civilia quædam munera exercerent, et in primis oræ maritimæ atque adeo portuum custodibus : unde Hippolytus, ortu fortasse *Romanus*, ex munere *Romani portus episcopus* dictus fuerit. Sed et sententiam suam confirmari ait Heumann ex statua marmorea Hippolyti, quæ ex Romani portus ruderibus

(1) Locis cit. supra pag. 116. not. 2.
(2) De quo Cap. seq.
(3) Dissert. Gottingæ edita an. 1738.

effossa est et nullam ecclesiasticæ dignitatis notam præ se ferre ab ipso dicitur (1).

21. VII. Denique Hippolytum episcopum Portuensem fuisse præcipue propugnarunt Ruggieri (2) et Simon de Magistris (3), uterque scriptor Romanus. Fundamenta suæ sententiæ afferunt quinque testimonia supra citata (4), et præterea traditionem constantem in Oriente de Hippolyto episcopo Rômano. Hanc enim nedum suæ sententiæ adversari, imo maxime favere putat Ruggieri (5).

22. At obstat : 1° Quod nullus scriptor latinus seu Occidentalis meminit unquam Hippolyti episcopi Portuensis, si forte excipias martyrologos sec. IX posteriores (6). Et speciatim Hieronymus de sede Portuensi Hippolyti neque suspicatus quidem videtur (7). Attamen, si Hippolytus ecclesiam adeo Romæ vicinam rexisset, certe id Occidentales potius quam Orientales facile rescire potuerunt. 2° Obstant testimonia illa de sede Romana, quæ nimis facile prætermittunt auctores istius sententiæ. Hæc jam diligentius examinanda. Itaque

23. VIII. Nemo hucusque existimavit Hippolytum reapse fuisse episcopum Romanum, quum nusquam in

(1) Imo exhibetur sedens in cathedra : quod certe episcopum *ecclesiæ* indicat.

(2) Cfr. supra pag. 116. not. 2.

(3) Op. cit. ibid. p. 363.

(4) N. 13, c.

(5) Cfr. infra N. 24.

(6) Test. **VI. 42** (Append. pag. **85**).

(7) Test. **I. 4** (Append. pag. **18**).

ullo catalogo RR. PP. appareat, sed neque initio sec. III locus illi in iis relinquatur. Unde solummodo allaborarunt viri docti excogitando qua ratione explicarent tot testimonia ubi hic titulus ipsi tribuitur. Duæ vel tres præcipuæ sententiæ in hanc rem propositæ sunt (1). — Primam ex MAGISTRIS refert LUMPER (2). Secundum quam Hippolytus « cum esset gentium » episcopus Romæ ordinatus (3), fuerit in urbe Roma » episcopus, unde percrebuit episcopus Romæ... Eo » scilicet tempore quoniam Urbs innumerabili frequen- » tia populi florebat, indeque Christianorum numerus » augebatur in dies, pontifices Romani viros lectissi- » mos doctissimosque veluti adjutores adhibuerunt, » quibus in ecclesiæ administratione uterentur, eosque » in episcoporum gradu esse voluerunt. » Et ad conciliandam hanc opinionem cum præcedenti de sede Portuensi Hippolyti, forte supponi posset eum postea curam hujus ecclesiæ suscepisse (4).

(1) Omissis iis qui id simpliciter errorem Græcorum dicunt.

(2) Diss. cit. supra (pag. 116. not. 2) cap. I. art. II.

(3) Cfr. supra N. 19.

(4) Imo Magistris mira illa qua excellit conjectandi audacia, ad opinionem Ruggieri mox citandam hæc adjungit : « Quoniam itaque non dubitamus, quin Hippolytus fuerit Portus Romani episcopus, illud facilius impetrabimus, Portuensem episcopum aliquandiu in sua diœcesi numerasse regionem Transtiberinam, ipsamque Tiberinam insulam, sive quia ea pars extra urbis pomœria flumine definita censebatur, sive, ut certum est, Romanorum pontificum insigni humanitate, qua præter ecclesiæ ornamenta etiam nonnulla consecuti sunt quæ ad imperium pertinent, veluti illud est capiendi eorum hæreditates qui intestato decederent. Extant ea de re adhuc diplomata Benedicti VIII, anno 1019; Joannis XIX, anno 1028 et Leonis IX, qui Joanni Portuensi Antistiti vetustissimam ecclesiæ suæ dignitatem, ac præcipue templum S. Adalberti in Tiberina insula... attribuit... Quando

24. Alteram proponit Ruggieri (1), nimirum : « S. Hippolytum a Græcis *Romani episcopi* nomine » fuisse donatum, eo quod episcopalem sedem in pro- » vincia Romana, id est suburbicaria, obtinuerit, quæ » Roma ab ipsis vocabatur, ejusque episcopi a Græcis » *οἱ ἀπὸ* 'Ρώμης vel *οἱ κατὰ* 'Ρώμην, *apud Romam*.... appel- » labantur. Sic Roma, inquit Stephanus Le Moyne, » sumitur pro provincia et eparchio Romano. In Sy- » nodo Sardicensi epistola ad ecclesiam Alexandrinam » data fuit, in qua dicitur : Ἡ *ἁγία σύνοδος συναχθεῖσα...* » *ἀπὸ* 'Ρώμης... *καὶ* 'Ιταλίας : Sancta Synodus congregata » ex urbe Roma et Italia : ubi Roma pro provincia » Romana et Italia pro diœcesi Mediolanensi usur- » pantur (2). Ita etiam in epistola Aureliani de negotio » Pauli Samosateni (3) : «« Interpellatus imperator »» Aurelianus rectissime hoc negotium dijudicavit, »» iis domum tradi præcipiens quibus Italici chris- »» tianæ religionis antistites et Romanus episcopus »» scriberent.... »» (4) Nec desunt etiam apud Latinos » exempla, ex quibus constat suburbicarios antistites

autem suburbicarii episcopi nonnunquam *episcopi Urbis* nominati sunt, nemo non videt quanto id nomen facilius adhæserit episcopis Portus Romani, qui trans Tiberim tanta cum potestate obtinebant » (P. G. t. X. p. 280 extr.).

(1) Part. II. cap. 8 (P. G. t. X. p. 489).

(2) Addit Ruggieri in subjuncta nota 79 : « Hinc in subscriptionibus » episcoporum... invenimus : Lucius » ab Italia de Verona. Severus ab Ita- » lia de Ravenensi. Ursacius ab Ita- » lia de Mediolano.... Fortunatianus » ab Italia de Aquileia. »

(3) Ap. Euseb. *H. E.* VII. 30 (P. G. t. XX. p. 719).

(4) In græco textu : *οἷς ἂν οἱ κατὰ τὴν* 'Ιταλίαν *καὶ τὴν* 'Ρωμαίων *πόλιν* 'Επίσκοποι....

» Romanos episcopos vocatos fuisse; quos etiam S. P. » Nicolaus II in decreto de electione Romani Pontifi- » cis in Synodo Romana anni 1059 emisso Cardinales » episcopos nominat. In Chartulario Farfensi, Mabil- » lonio teste, Dodo episcopus Sabinensis et Tusculanus » vocantur episcopi Urbis (1). »

25. Bunsen autem utramque præcedentem opinionem conjungit, admittens episcopos suburbicarios jam tempore Hippolyti adjunctos fuisse clero seu presbyterio Romano, quod postea collegium Cardinalium constituit, et ideo episcopos Romanos vocatos.

26. Videndum itaque qua probabilitate hæc dicta sint. Et imprimis, quod attinet ad ultimam sententiam, ex monumentis historicis colligitur potius, usque ad medium sec. VIII, imo et usque ad sec. X vel XI, nullos episcopos, neque speciatim episcopos suburbicarios (2) accensitos fuisse clero Romano aut ullam in negotiis ecclesiæ Romanæ, sive ordinariis, sive gravioribus et extraordinariis, tractandis partem habuisse. Quod licet argumentis negativis tantum ostendatur, attamen hæc eo gravioris momenti sunt in præsenti quæstione quod documenta multa et certa habemus

(1) Præterea (not. 82. ibid.) citat Ruggieri subscriptiones decreto Nicolai II : « Bonifacius.... Albanensis » episcopus, Ubertus episcopus.... » Sylvæ Candidæ..., Petrus Ostiensis episcopus, Petrus Lavicanus » episcopus. Hujusmodi *Romani episcopi* subscripserunt una cum Joanne Portuensi episcopo. »

(2) Ostiensem scilicet, Portuensem, Prænestensem, Albanensem, Sabinensem, Tusculanum et episcopum S. Rufinæ, qui nunc præcipuum locum in collegio Cardinalium obtinent.

circa ea quæ in ecclesia Romana acta sunt a med. sec. III. Sic

27. 1° Non pauca habemus de schismate Novatiani in epistolis S. Cypriani et in prolixa epistola Cornelii S. P. ad Fabium Antiochenum (1). In his autem multi nominantur Confessores et presbyteri, nullus vero episcopus suburbicarius aut ad clerum Romanum pertinens. Imo Cornelius diserte exponens statum Romanæ ecclesiæ : « Ergo (ait) ille evangelii vindex [Novatia- » nus] ignorabat unum episcopum esse oportere in » ecclesia catholica. In qua tamen sciebat (quomodo » enim illud nescire potuisset), presbyteros quidem esse » sex et quadraginta; septem autem diaconos, totidem- » que subdiaconos; acoluthos duos et quadraginta, » exorcistas et lectores cum ostiariis quinquaginta » duos; viduas denique cum infirmis et egentibus plus- » quam mille et quingentas. Quibus universis gratia et » benignitas Dei alimenta suppeditat. Et tamen tanta » tamque necessaria in ecclesia multitudo, cœtus ille » divinæ providentiæ copiis opulentus et numerosus, » cum immenso ac pene innumerabili populo, ab hujus- » modi desperatione et audacia illum deterrere et ad » ecclesiam revocare non potuit. » Profecto, si illo tempore (med. scilicet sec. III) episcopi aliqui Romano clero adjuncti fuissent, illos non omisisset Cornelius dum hic minutatim singulos ordines Romanæ ecclesiæ describit, præsertim quum id faciat ad retundendam

(1) Ap. Euseb. *H. E.* VI. 43 (P. G. t. XX. p. 617).

superbiam Novatiani, qui se tam venerabili cœtui opponere non vereretur (1).

28. 2° Inter epistolas Cypriani tres habentur Cypriani ad clerum Romanum (2) et duæ cleri Romani ad Cyprianum (3), quæ omnes scriptæ fuerunt sede Romana vacante post obitum S. Fabiani (an. 250). Jam vero priorum inscriptio sic habet. « Cyprianus » presbyteris et diaconibus Romæ consistentibus fra» tribus salutem. » Posteriorum autem : « Cypriano » Papæ presbyteri et diacones Romæ consistentes salu» tem. » — Rursus si episcopi suburbicarii tum pertinuissent ad Romanum clerum, in his inscriptionibus prætermissi non fuissent.

29. 3° In dissensione quæ post mortem Liberii (an. 366) in ecclesia Romana exorta est, aliis Damasum, aliis Ursinum seu Ursicinum Pontificem conclamantibus, reperiuntur ex utraque parte presbyteri et diaconi, nullus autem episcopus suburbicarius præter Tiburtinum, sed qui solum nominatur ut qui Ursicinum ordinasset.

30. 4° *Liber diurnus Romanorum Pontificum* refert formulas epistolarum quibus Imperatori et Exarcho Ravennati nuntiabantur obitus et electio Pontifi-

(1) Neque etiam (quod est præcipue contra primam sententiam) potuisset Cornelius omittere responsionem ad objectionem quæ statim in hac hypothesi occurrit contra id quod dixerat (loc. cit. in.) unum scilicet tantum episcopum esse in ecclesia Romana.

(2) Ed. Maur. epp. 14, 22, 29 (P. L. t. IV. pp. 261, 282, 302).

(3) Epp. 30, 31 (Ibid. pp. 303, 307).

cum (1). Nusquam autem, sive in inscriptionibus sive in subscriptionibus, apparent episcopi suburbicarii, sed modo Archipresbyter, Archidiaconus et Primicerius Notariorum, modo quando scilicet epistola nomine totius cleri mittenda est « Presbyteri, diaconi et familiaris universus clerus. »

31. 5° In *Libro Pontificali* primum fit nominatim mentio episcopi Portuensis ad an. 680, quando Joannes Portuensis tamquam nuntius, et quidem non Pontificis, sed synodi episcoporum Occidentalium Romæ habitæ, missus est ad concilium CPoli celebrandum (2). Neque ante hunc annum nominatur aliquis episcopus Tusculanus. Neque de episcopis Ostiensibus mentio habetur nisi occasione ordinationis Pontificum (3). Denique de uno episcopo S. Rufinæ, Valentino, memoratur illum a Vigilio (circa med. sec. VI) adscitum esse comitem itineris CPani et deinde cum Ampliato presbytero Romam remissum ad Lateranensem Basilicam custodiendam et invigilandum clero (4). — Alias autem ante sec. VIII non occurrunt episcopi suburbicarii nisi in subscriptionibus conciliorum (5).

(1) Ed. ROZIÈRE, N. 68 sqq. (p. 103 sqq).

(2) P. L. t. CXXVIII. p. 806. — Ed. VIGNOL. in *Agathone*, n. 3. Cfr. adject. not. 3.

(3) Ostiensis quidem episcopi erat jam ante sec. V (teste Augustino) ordinare Romanum Pontificem electum, assistentibus ei episcopis Albanensi et Portuensi (*Lib. Diurn.* p. 101). Sed hujusmodi connexio ubique inter metropolitanum et suffraganeos ejus locum habebat.

(4) P. L. t. CXXVIII. p. 579.

(5) Neque in iis subscriptionibus præponuntur aliis episcopis. Sic in Concilio Arelatensi (an. 314) reperiuntur decretis concilii subscripsisse præter duos presbyteros et duos diaconos Romanos romine Romani

32. Seculo VIII tandem, an. scilicet 769, apparent primum arctius ad Romanam ecclesiam adjuncti. Hoc anno nimirum Stephanus IV (al. III) S. P. « constituit ut omni die Dominico a septem episcopis Cardinalibus hebdomadariis, qui in ecclesia S. Salvatoris observant, missarum solemnia super altare B. Petri celebrarentur et Gloria in excelsis Deo diceretur » (1).

33. Ex hoc tempore etiam iis uti cœperunt Romani Pontifices ad negotia ecclesiastica. Sic an. 772 episcopi Albanensis, Prænestinus et Tusculanus missi sunt ad Desiderium regem Longobardorum (2) et deinceps alii episcopi suburbicarii officio legatorum subinde functi leguntur.

34. Attamen ex his nondum satis valide concludi potest eos tunc temporis habitos fuisse tamquam adscriptos clero Romano. Ratio enim eorum quæ modo

Pontificis, quadraginta circiter episcopi Itali, Galli, Britanni, Hispani et Afri vel presbyteri aut diaconi episcoporum nomine, ac denique ultimo loco episcopus Portuensis, episcopus Centumcellensis et duo presbyteri Ostienses (MANSI, *Conc.* t. II. p. 476).

(1) *Lib. Pontif.* in *Stephano IV* (P. L. t. CXXVIII. p. 1158). — Quod autem antea etiam aliquando, dum Romæ versabantur, cum Pontifice officia sacra peregisse forte legantur, id non erat ipsis proprium, sed commune omnibus episcopis qui in Urbem veniebant. Sic *a.* Irenæus (ap. EUSEB. *H. E.* V. 24) memorans Polycarpum Romam venisse Aniceto S. P. : « ... Quæ cum ita se haberent (ait) communicarunt sibi invicem, et Anicetus in ecclesia consecrandi munus Polycarpo honoris causa concessit » (P. G. t. XX. p. 507). Sic etiam *b.* Innocentius I in Epist. ad Decentium Eugubinum an. 416 scripta memorat : « Sæpe dilectionem tuam ad Urbem venisse ac nobiscum in ecclesia convenisse » (P. L. t. XX. p. 552). Ubi vox *convenire* (ut notat GIORGI, *De Liturg. Rom. Pont.* t. III. p. IV) idem sonat ac *concelebrare.* *c.* Sed et hæc consuetudo firmata est decreto Conc. Arelatensis (cit. infra N. 34).

(2) P. L. t. CXXVIII. p. 1147.

allata sunt facile reddi potest quin ad hanc conclusionem deducamur. Nimirum, quum civitates quæ sedes erant horum episcoporum, ex incursionibus præsertim Gothorum, vel omnino destructæ vel saltem ad humiles pagos reductæ fuissent, jam in ipsa Urbe habitare consueverunt episcopi suburbicarii. In Concilio Arelatensi autem (an. 314) can. 19 statutum erat : « De episcopis peregrinis qui in Urbem solent venire placuit eis locum dari ut offerant » (1). Decretum itaque Stephani videri potest applicatio hujus Canonis. — Neque item mirum est Romanos Pontifices tunc etiam præcipue usos esse illorum opera in negotiis ecclesiasticis, quum et apud ipsos essent et vix distinerentur cura suarum ecclesiarum. — Unde nihil satis certi quoad hanc rem statui posse videtur ante sec. X vel XI, quo tempore in variis documentis nominantur *episcopi Urbis, episcopi romani, episcopi collaterales.*

35. Ex his igitur apparet quam arbitrarie et contra omnem probabilitatem historicam conficta sit explicatio quam probabilem censuit Magistris et parum immutatam admisit Bunsen (2). — Jam quod attinet ad opinionem Ruggieri, profecto valde mirum apparet, dum tot testimonia habemus ubi Hippolytus diserte Romæ episcopus, Archiepiscopus (3), Patriarcha (4), Papa (5) appellatur, nullum omnino proferri potuisse

(1) MANSI, *Conc.* t. II. p. 473.

(2) *Hipp. u. seine Zeit,* t. I. p. 145-250.

(3) Test. **II. 17** (Append. pag. **23**).

(4) Test. **III. 2** (Append. pag. **24**).

(5) **III. 3**; **IV. 2**; **VI. 47, 48, 52, 54** extr. (Append. pagg. **24, 26, 36, 37**). — Ex titulo Papæ nullam

ubi aliquis privatus episcopus provinciæ Romanæ his primis temporibus hujusmodi titulo insignitus fuerit. Nam testimonia Latinorum a Ruggieri citata desumpta sunt ex monumentis sec. X posterioribus. Ex duobus primis vero seu Græcis nihil videtur satis valide concludi posse : optime enim intelliguntur de ipsis et solis Pontificibus Romanis (2um scilicet) aut de R. P. delegatis (1um). Præterea etiamsi daretur Græcos usos fuisse hac appellatione οἱ ἀπὸ Ῥώμης vel οἱ κατὰ Ῥώμην ad designandos episcopos provinciæ Romanæ collective sumptos, id tamen adhuc remotissimum esset a tribuendo alicui particulari episcopo has appellationes Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ et Papæ Romæ (1). — Unde denique jure concludendum videtur has appellationes, tam communiter ab Orientalibus

difficultatem oriri contra sententiam de sede Portuensi censet Ruggieri. Etenim « Papæ titulum.... non Romanum Pontificem, sed cujuslibet urbis episcopum designare nemo est qui nesciat. Papæ enim nomen omnibus Christiani orbis episcopis ante sæculum IX commune fuit, ut notant eruditi viri.... [cfr. supra N. 28 extr.]. Tandem Gregorius VII edita constitutione hujusmodi nomen soli Romano Pontifici merito reservavit » (P. G. t. X. p. 493). — Attamen advertendum est, quamquam apud Latinos scriptores passim id nomen attributum reperitur cuilibet episcopo, non tamen apud Græcos et ceteros Orientales, apud quos is titulus soli Pontifici Romano et præterea Patriarchæ Alexandrino videtur semper reservatus fuisse. Jam vero testimonia ubi Hippolytus illo ornatus reperitur, Orientalium sunt.

(1) In Collatione Carthaginensi prima inter episcopos Catholicos et Donatistas habita (an. 411) introductus est ex parte Donatistarum Felix quidam « Episcopus urbis Romæ » (n. 157. — MANSI, *Conc.* t. II. p. 129). Sed ex contextu facile apparet illum non ut episcopum suburbicarium, sed ut ipsum episcopum seu Pontificem Romanum (forte a schismaticis ordinatum) introductum et ut talem a Catholicis recusatum fuisse.

soli Hippolyto tributas, in sententiis hucusque propositis omnino explicari non posse.

§ 3. De Martyrio Hippolyti.

36. Rursus Hippolytum nostrum martyrem passim appellant veteres, sed de tempore, de loco, de genere passionis ejus omnino silent. Non habemus igitur ad hæc determinandum alia subsidia præter testimonia illa minus aperta quæ in sexta classe recensuimus.

37. Inter hæc in primis attendenda sunt ea quæ reperiuntur in duobus documentis antiquissimis et maximæ apud eruditos auctoritatis, *Catalogo Liberiano* scilicet et *Depositione Martyrum* seu Kalendario Romano sec. IV (1). Ex Catalogo habemus Pontianum R. P. cum Hippolyto presbytero exulem deportatum esse in Sardiniam tempore Alexandri Severi Imperatoris, et ex Kalendario, Idibus Augusti celebrari memoriam Hippolyti in Tiburtina (in cœmeterio scilicet seu crypta quæ erat in via Tiburtina), Pontiani vero in Callisti seu in cœmeterio Callisti, quo ejus reliquiæ a Fabiano S. P. translatæ esse referuntur in Catalogo sec. VI (2). De eodem autem Hippolyto agi in utroque documento dubium esse non potest, quum utrumque sit Romanum et ejusdem ætatis et utrobique Hippolytus cum Pontiano conjungatur.

(1) Test. **VI. 2, 3** (Append. pag. **27**).

(2) Ubi, post verba citata Test. **VI. 5** (Append. pag. **27**) legitur : « Quem [Pontianum] beatus Favianus adduxit et sepelivit in cœmeterio Calixti, via Appia » (P. L. t. CXXVII. p. 1337).

38. Mirum forte cuiquam videri potest quod martyrium Pontiani et Hippolyti accidisse traditur Alexandro Imperatore, quum is Christianos non sit persecutus, sed potius iis favorem exhibuisse credatur. Sed advertendum est : 1° etiam sub Imperatoribus qui Christianos religionis causa vexari non sinebant, tamen Præfectis qui eos oderant non defuisse prætextus quibus uterentur ad eos persequendos, v. g. seditionis quam sæpe ipsimet ethnici excitaverant, Christiani tamen propter illam puniebantur. 2° Alexandrum Roma absentem fuisse an. 235 : quo anno versabatur in Germania ad bellum gerendum contra barbaros ibique occisus est a Maximino. — Facile itaque potuit, præsertim illo absente, Præfectus Urbi Christianis infensus vel ab eorum inimicis excitatus, prætextu turbarum vel alio quolibet, saltem in præcipuos eorum duces sævire : quos tamen cruento supplicio non ausus fuerit interimere, sed in Sardiniam ad metalla fodienda deportari jussit : et quidem hujusmodi pœna damnatus est Callistus quum Judæos turbasse accusatus est (1).

39. Jam, eodem sec. IV extr. vel in. V habemus Prudentium qui (2) testatur de visu tunc temporis celeberrimo cultu Romæ honoratum fuisse Hippolytum, quem quidem episcopum non diserte appellavit, imo forte presbyterum dixit (v. 20), significat tamen eum

(1) *Phil.* IX. 12 (Append. pag. 47 extr.).

(2) Test. VI. 6 (Append. pag. 27).

præpositum fuisse alicui plebi (v. 27) (1) et ab idololatris designatum tamquam « Christicolis caput populis » (v. 80). Sepultum eum fuisse indicat in crypta non procul ab Urbe (v. 153 sqq.) juxta splendidam basilicam (v. 215 sqq.) : quæ descriptio optime convenit cryptæ Hippolyti quæ erat in via Tiburtina juxta basilicam S. Laurentii. Præterea diem memoriæ Hippolyti sacrum ait fuisse Idus Augusti : qui scilicet idem dies in Kalendario sec. IV. assignatur memoriæ Hippolyti socii Pontiani, in Tiburtina. Ex his satis manifeste colligitur Hippolytum de quo agit Prudentius eumdem esse quem memorant Catalogus et Kalendarium.

40. Ceterum libenter concedimus Ruggiero, Prudentium suam narrationem confecisse ex vulgaribus Romanorum traditionibus. Nam in cognitionem Hippolyti se venisse significat ex inscriptione ejus sepulcri (v. 17-19) et ex pictura parieti monumenti affixa, ubi ejus supplicium repræsentabatur (v. 123 sqq.), multis describit cryptam ubi corpus ejus repositum erat et concursum populi Christiani ad martyris memoriam celebrandam : neque aliud monumentum affert aut innuit unde acceperit ea quæ de Hippolyto narrat. Vide-

(1) Unde Ruinartius, qui ad v. 20 legit *Presbyter*, in *Act. sincer. Mart.* notat : « Quid vetat presbyterum aliquam plebis partem suæ curæ commissam habuisse ?... Refert Sozomenus H. E. I. 15, hunc morem Alexandriæ observatum fuisse, ut sub uno episcopo, qui omnibus præest, presbyteri separatim ecclesias obtineant et populum ad illas convenire solitum colligant. Idem Romæ usitatum fuisse docet Dionysius Petavius. »

tur itaque hanc historiam accepisse ex relationibus fidelium et custodum cryptæ.

41. In ea historia autem quædam merito suspecta videri possunt, præsertim quod spectat ad genus martyrii. Quamvis enim in Actis sinceris martyrum subinde, quando scilicet sententia prolata est ab Imperatoribus qui nullam rationem legum habebant, ut Nero et Domitianus, vel ab aliquo crudeli Præfecto longe ab Urbe agente, aut denique quando Christiani in seditione populari interfecti sunt, immania supplicia adhibita legamus; attamen, ubi judicia instituebantur regularia, pœna decernebatur secundum leges Romanas. Supplicia autem reis scelerum capitalium in iis legibus statuta erant abscissio capitis, expositio bestiis in amphitheatro, crucifixio, et rogus seu ignis; invenimus etiam quosdam lapidibus obrutos, quæ pœna in quibusdam regionibus, ut in Asia ulteriori, ex antiquis horum populorum institutis, statuta erat in blasphemos et impios. — Itaque in præsenti casu, a Præfecto Romæ, prope Urbem et in regulari judicio, neque quæstionem per tormenta exercente, sed capitalem sententiam pronuntiante, tam immane et extraordinarium contra leges decretum esse supplicium, satis incredibile est (1) neque ad illud admittendum sufficit

(1) Contra modo asserta objici posset exemplum S. Laurentii et aliorum quorumdam qui diverso ab his supplicii genere interempti sunt. Hæc tamen non ita difficile explicantur. Nam antequam Christiani ultimo supplicio afficiebantur, subjiciebantur sæpe variis et exquisitissimis tormentis, quod licebat per leges et decreta Imperatorum, per modum

auctoritas traditionis popularis et Actorum apocryphorum S. Laurentii. — Porro, omissa illa traditione populari de Hippolyto ab indomitis equis discerpto (1),

quæstionis scilicet, ut adigerentur ad tradendos sacros libros vel thesauros ecclesiæ, vel ad alia similia. Præterea quædam supplicia, ut v. g. crucifixionem, præcedere solebat atrox flagellatio vel etiam hujusmodi flagellatio decernebatur, non tamen quasi in pœnam capitalem. In his omnibus autem sæpe vita deficiebant.

(1) Non improbabilis videtur conjectura DÖLLINGER, occasionem scilicet errori populari datam fuisse ex tabula antiqua, ubi mors Hippolyti illius Thesei filii expressa erat, quæque non procul a crypta reperta supplicium Hippolyti martyris repræsentare putata sit. — Et quidem non paucæ profecto traditiones circa historias Sanctorum originem habuerunt ex præpostera et nimis rudi interpretatione quarumdam imaginum. Sic v. g. ***a.*** Frequentissime occurrit in iis historiis, animam Sancti ex ejus corpore columbæ specie egredientem visam esse. Id refertur de S. Eulalia (PRUDENT. *Peristeph.* Hymn. 3. v. 161. — P. L. t. LX. p. 352), de S. Potito (*Act. SS.* t. I. Jan. p. 764), de S. Quintino (SUR. ad 31 Oct.), de S. Reparata (*Martyrol. Rom.* 8 Oct.), de S. Devota (*Act. SS.* t. II. Jan. p. 771), de S. Felice Trevirensi, et aliis. Jam vero hujusmodi repræsentationem ut symbolum mortis christianæ passim in veteribus monumentis reperiri monent ARINGHI et alii archæologi. — (Neque tamen ideo negandum est tale prodigium aliquando re vera contigisse. Certe illud ex relatione testium oculatorum describitur in Actis indubie authenticis S. Polycarpi Cap. 13. P. G. t. V. p.1041). — ***b.*** Frequentissime item occurrit legenda ista de qua HENSCHENIUS (*Act. SS.* t. VI. Maii p. 38) : « Recepta (ait) semel per Galliam [imo, ut recte subjungit GHESQUIERE *Act. SS. Belgii,* t. II. p. 212, et per Belgium aliasque regiones] consuetudine, omnes eos sanctos qui capite minuti credebantur exprimendi in statuis picturisve cum eodem capite intra manus ante pectus sublato, invaluit popularis error, quo crediti sunt illi decisa capita post mortem sustulisse et ad locum suæ venerationi dicatum deportasse.... Modus autem sic pingendi martyres collum sectos, in optima fundatur ratione : qua motus S. Joannes Chrysostomus Hom. 40 in SS. Juventium et Maximum, 25 Januarii passos Antiochiæ : *Sicut milites* (ait), *vulnera in prœliis sibi inflicta regi monstrantes, fidenter loquuntur, ita et illi, in manibus absecta capita gestantes et in medium afferentes, quæcumque voluerint apud Regem cœlorum impetrare possunt.* » Hactenus Henschenius. Jam, ut exempla quædam traditionis popularis inde exortæ proferamus, caput ita detulisse dicuntur, præter alios permultos (Vid. CAHIER, *Caractéristiques des Saints,* art. *Tête Coupée*), S. Adabaldus (*Act. SS.* t. I. Febr. p. 299). SS. Maximus et Vene-

facile explicari potest hæc altera traditio juxta quam raptus dicitur ad Ostia Tiberina ibique martyrium consummasse (1). Adductus scilicet illuc fuerit ad navem conscendendam qua in Sardiniam deportaretur.

42. Ulterius nunc inquirendum venit utrum Hippolytus ille idem censendus sit cum scriptore ecclesiastico hujus nominis. Id imprimis suadent et ætas ejus, quæ eadem est cum ætate qua claruit Hippolytus scriptor (2), et quod nulla usquam in documentis genuinis

randus (*Act. SS.* t. VI. Maii, p. 38), S. Dionysius Parisiensis (*Act. SS.* t. IV. Oct. p. 885. n. 79), S. Piatus (*Act. SS. Belgii* t. I. p. 113 extr.), S. Chrysolius (ibid. p. 136), SS. Fuscianus et Victoricus (ibid. p. 157), S. Helerius (ibid. t. II. p. 211), S. Livinus (ibid. t. III. p. 113). *c.* PAPEBROCHIUS (*Act. SS.* t. II. Mart. p. 110): « Subit mirari (inquit) quomodò omnes Hiberniæ et Armoricæ Sancti unum aut plures prodigiosæ magnitudinis et formidandæ cunctis sævitiæ dracones legantur exstinxisse. » Et idem attribuitur multis aliis qui idololatris convertendis operam dederunt apud Italos et apud Orientales (Exempla videsis ap. CAHIER, art. *Dragon*). Et aliquando provocant scriptores Actorum ad imagines illud repræsentantes. Sic in Actis S. Pavacii, Cenomanorum apostoli, post narratam hujusmodi historiam, ait scriptor se retulisse quædam eorum quæ descripsit « quia picta erat in domo episcopali in nostra urbe constituta » (*Act. SS.* t. V. Jul. p. 541). Usum autem his repræsentationibus (unde deinde istæ legendæ confectæ sunt) significandi victoriam in diabolum diffusione veræ fidei reportatam jam introduxit Constantinus : de quo EUSEBIUS in ejus *Vita* III. 3 : « Quin etiam in sublimi quadam tabula ante vèstibulum palatii, cunctis spectandum proposuit salutare quidem signum capiti suo superpositum, infra vero hostem illum et inimicum generis humani, qui impiorum tyrannorum opera ecclesiam Dei oppugnaverat, sub draconis forma in præceps ruentem. Quippe divina oracula in prophetarum libris draconem illum et sinuosum serpentem appellarunt. Idcirco Imperator draconem telis per medium ventrem confixum, et in profundos maris gurgites projectum, sub suis suorumque liberorum pedibus cera igne resoluta depingi.... voluit. »

(1) PRUD. (Test. **VI. 6**), vv. 25, 39-42 (Append. pag. **28**).

(2) Omnino scilicet eamdem refert Catalogus Liberianus, at cum eo non omnino concordat narratio Prudentii, quæ martyrium Hippolyti statuit

habetur memoria alterius Hippolyti qui Romæ vel juxta Romam pastoralia munera exercuerit. — Idem concluditur et ex statua marmorea Hippolyti scriptoris. Quæ scilicet reperta est in ruderibus ejusdem illius cryptæ quam descripsit Prudentius (1).

43. Appendix. *De aliis Hippolytis.* — In Martyrologio Hieronymiano adhuc Idibus Augusti assignatur memoria Hippolyti nostri qui socius fuit martyrii Pontiani (2). At in martyrologiis posterioribus Pontianus et Hippolytus presbyter translati sunt ad diem 29 Oct. (3) et postea ad 20 vel 19 Nov. (4), et ad 13 Aug. iis substitutus est Hippolytus miles socius Laurentii (5). — Et quidem Hippolytum hunc memoratum reperimus in monumentis sec. VI vel etiam V (6). Verum ex his testimoniis, sicut et ex aliis quæ collegerunt Bollandiani (7), id solum habetur, Hippolytum

post exortum schisma Novatiani. Sed facile potuit traditio popularis schisma illud, quod locum habuit Callisto S. P. et brevi extinctum nullam sui memoriam reliquit (de qua re paulo fusius infra N. 55), confundere cum schismate Novatiani brevissime post exorto et longe celebriori. Quæ responsio probabilior videtur quam hæc altera hypothesis, Hippolytum scilicet, reversum e Sardinia, cruentum martyrium subiisse tempore persecutionis Valeriani (an. 257-259).

(1) Rursus omnino negat P. ARMELLINI (Op. cit. p. 39) quidquam ex hac circumstantia loci deduci posse ad probandum Hippolytum illum presbyterum eumdem esse cum Hippolyto scriptore. Solum autem argumentum affert, quod Hieronymus et Prudentius statuam non viderunt. Quod libenter concedimus, sed facile explicari contendimus in sententia quæ Hippolytum scriptorem *Philosophoumenon* statuit. Cfr. infra N. 56 extr.

(2) Test. **VI. 21** (Append. pag. **83**).

(3) Test. **VI. 37** (Append. pag. **84**).

(4) Test. **VI. 44** (Append. pag. **85**).

(5) Test. **VI. 27, 32, 41** (Append. pag. **83-85**).

(6) Test. **VI. 7, 11, 27** (Append. pagg. **29, 30, 83**).

(7) *Act. SS.* t. III. Aug. p. 4.

scilicet quemdam militem, qui Laurentii custos erat, ab eo fuisse conversum et post ipsum martyrio coronatum. De genere autem martyrii ejus et de aliis quæ narrantur in Actis apocryphis S. Laurentii nihil tradunt. At inde a sec. VII vel VIII unanimi consensu monumenta Occidentalia, præsertim liturgica, Hippolytum celebrant secundum horum Actorum relationem. Neque id adeo mirandum est. Quum enim Laurentii memoria in universa ecclesia Occidentali celebris admodum et in maxima veneratione et cultu esset, statim atque apparuerunt Acta illa passionem ejus fuse narrantia (1), avide ubique lecta esse vix dubitari potest, nec solum privatim, sed etiam publice in ecclesiis (2), et ita brevi tempore potuit existere traditio quasi universalis circa ea quæ in his Actis relata sunt. Sic itaque et crypta et dies, quæ sec. IV Hippolyto presbytero seu episcopo consecratæ erant, attributæ sunt Hippolyto militi : idque eo facilius quod et crypta juxta basilicam S. Laurentii sita et dies 13 Aug. proxima erat diei qua celebrabatur memoria Laurentii.

44. Hippolytus vero ille de quo in Actis S. Aureæ et in propriis Actis (3) atque in Martyrologio Romano (4), præcipue celebris fuit in Oriente, ubi pariter cultus S. Aureæ admodum popularis erat. In citatis Actis refertur tantum sepelivisse corpus S. Aureæ ac

(1) Et sane antiquissima videntur, forte sec. V. vel certe VI aut VII.

(2) Cfr. *Introd. Gener.* Tract. III. Cap. II. N. 5 (pag. 115).

(3) Quæ ceterum ex Actis S. Aureæ manifeste desumpta sunt.

(4) Test. **VI. 12, 13, 42** (Append. pagg. **81, 85**).

tyrannum graviter objurgasse, et hujus jussu prope Portum Romanum aquis immersus esse, ac tandem sepultus via Tiburtina in agro Verano. Unde nihil cum Hippolyto, de quo Prudentius, habet commune præter locum passionis et sepulturæ : quem utrumque non mirum est ab auctore horum Actorum apocryphorum ita assignatum esse, cum reperiret Romæ traditionem de Hippolyto ad Ostia Tiberina passo et via Tiburtina sepulto (1).

45. De Hippolyto denique presbytero Antiocheno (2) nulla usquam in documentis historicis habetur mentio ante Adonem, nisi quod in Martyrologiis Hieronymiano, minori Romano et Bedæ annuntiatur die 30 Jan. *Antiochiæ, passio S. Hippolyti* (3), non adjecto tamen titulo presbyteri. Unde 1° non improbabibiliter conjecit Döllinger (4), Hippolyto illi Antiocheno attributam esse hanc dignitatem ex prave intellectis verbis Hieronymi in Chronico (5). Quum enim hoc loco posi-

(1) Porro aliqua cognatio adverti potest inter varias has traditiones apocryphas. Nimirum ***a.*** historia supplicii Hippolyti militis satis manifeste desumpta est ex traditione Romana sec. IV circa Hippolytum episcopum vel presbyterum. ***b.*** In Actis S. Laurentii refertur Hippolytus miles, custos Laurentii, ex prodigiis quæ edebat S. Martyr ad veram fidem conversus et baptizatus cum decem et novem servis suis. In Actis autem S. Aureæ simili modo conversi dicuntur decem et septem custodes S. Censurini martyris et cum iis Scyteus quidam seu Sotor cum filio suo Faustino precibus S. Quiriaci resuscitato. ***c.*** Præterea in Actis S. Laurentii referuntur Hippolyti servi sepulti in prædio Cyriacæ viduæ et cum eo passa Concordia ejus nutrix. In Actis autem S. Aureæ tamquam dux martyrum apparet S. Cyriacus vel Quiriacus episcopus et inter ejus presbyteros nominatur Concordius.

(2) Test. **VI. 39** (Append. pag. **34**).

(3) Test. **VI. 15, 26, 29** (Append. pagg. **32, 35**).

(4) *Hipp. u. Kall.* p. 53.

(5) Test. **I. 3** (Append. pag. **18**).

tum sit nomen Hippolyti inter Geminianum, ignotum aliquem presbyterum Antiochenum, et Beryllum episcopum Bostrenum, nullo soli illi nomini adjuncto titulo, facile potuerunt quidam Hippolyto, cujus nomen quidem celebre erat, at vita omnino tenebris obvoluta, tribuere titulum illum presbyteri qui debebatur Geminiano, præsertim si in aliquibus codicibus oscitantia librariorum omissa fuerit particula *et*. 2° Ado deinde et martyrologi qui eum secuti sunt, nolentes Hippolyto præclaro illi scriptori ecclesiastico, hanc notam inuri quod adhæsisset schismati Novatiani, quum præsertim aliunde nullum hujus rei indicium exstaret, quumque præterea invenirent Hippolytum hunc presbyterum Antiochenum et martyrem, ac denique haberent ex Eusebio *H. E.* VI. 46 (1) quosdam Antiochiæ secutos esse schisma Novati (seu Novatiani), facile adducti sunt ad tribuendum Hippolyto presbytero Antiocheno ea quæ Prudentius de presbytero Romano vel Ostiensi ejusdem nominis narraverat (2).

(1) P. G. t. XX. p. 635.

(2) Adverti tamen potest priorem traditionem servatam esse in editione Piana Breviarii Romani (ad 22 Augusti), ubi etiam Hippolytus dicitur *presbyter*, et in editione emendata jussu Clementis VIII primum loco illius Hippolyti presbyteri substitutum esse Hippolytum episcopum Portuensem. Vid. *Introd. Gener.* Append. C. § 1 (pag. 502). — Neque est cur immoremur in inquirendo de aliis Hippolytis, quorum solum nomen et locus ubi coluntur, in martyrologiis consignata sunt.

ARTICULUS III.

RESOLUTIO QUÆSTIONIS.

46. Jam, ad resolvendam quæstionem hoc capite propositam, examinandum est utrum certo aut valde probabiliter conveniant Hippolyto notæ illæ quibus auctorem *Philosophoumenon* insigniri necesse est (1). Et quidem

I. Manifeste convenit prima Nota. Nam Hippolytum fuisse excellentis doctrinæ dubitare non sinunt tot elogia veterum et tot ac tam varia opuscula ab ipso scripta.

47. Et speciatim advertendum est eum incubuisse scientiæ astronomicæ et scrutandis doctrinis philosophorum ethnicorum. Alterum habemus ex ejus Cyclo Paschali, qui, quamvis erroneus, certe non vulgarem, præsertim pro tempore quo vixit, astronomiæ cognitionem supponit. Alterum testantur opuscula philosophica indicata in catalogo statuæ adscripto (2) et Hieronymus Ep. 70 (al. 84) ad Magnum, n. 4 (3).

(1) Cfr supra Cap. II.

(2) Test. V. 3 (Append. pag. 26).

(3) Ubi scilicet n. 2 : « Quod autem » quæris (ait) in calce epistolæ tuæ, » cur in opusculis nostris secula- » rium litterarum interdum ponamus » exempla et candorem ecclesiæ eth- » nicorum sordibus polluamus, bre- » viter responsum habeto. » Affert inde quædam hujus rei exempla ex Scriptura multosque scriptores ecclesiasticos citat qui, profanis litteris eruditi, hac eruditione usi sunt in suis scriptis, videlicet Cyprianum, Methodium, Eusebium, Appolinarem, Quadratum, Aristidem, Justinum, Melitonem, Dionysium Corinthium, Tatianum, Irenæum,

48. II. Convenit etiam Nota secunda. Etenim Hippolytus scripsit :

1° Opusculum adversus omnes hæreses (1);

2° Opusculum περὶ τοῦ παντὸς (2), quod etiam inscriptum erat περὶ τῆς τοῦ παντὸς οὐσίας (3);

3° Commentarios in Genesim (4).

Clementem Alexandrinum. Post quem citatum ita pergit : « Hunc imitatus Origenes decem scripsit Stromateas, Christianorum et philosophorum inter se sententias comparans, et omnia nostræ religionis dogmata de Platone et Aristotele, Numenio Cornutoque confirmans. Scripsit et Miltiades contra gentes volumen egregium. *Hippolytus* quoque et Apollonius, Romanæ urbis senator, propria opuscula condiderunt » (P. L. t. XXII. p. 665 sqq.).

(1) Test. **I. 8.** — Adde **I. 2, 4, 5, 11; II. 9** (Append. pag. **18-22**). — Bunsen probare conatus est opus Hippolyti de quo agit Photius (Test. **I. 8**) esse idem cum opere nostro *Philosophoumenon*. At certe erravit. Nam 1° Opus a se lectum vocat Photius *libellum* (βιβλιδάριον) : quo nomine profecto non designasset opus tantæ molis quantæ est opus *Philos.* — 2° Opusculum quod legit Photius erat « adversus hæreses duas et triginta, faciens initium a Dositheanis et in Noeto ac Noetianis desinens. » At *a.* Opus *Philos.* recenset tantum triginta hæreses. *b.* Neque incipit a Dositheanis, sed a Naassenis, Dositheanos vero nusquam citat. *c.* Neque desinit in Noeto, sed post Noetum adhuc refert Callistum, Elchasaïtas et tres sectas Judæorum. — Cavillationes quasdam quas his argumentis opposuit Bunsen refutatas videsis ap. Döllinger, p. 8-14.

(2) Test. **V, 3** (Append. pag. **26**).

(3) Cfr. Append. pag. **41.** Test. **8.** — Cruice contendit (p. 69) inde nihil posse concludi quoad auctorem *Philos.* : multi enim, ait, similes libri a diversis auctoribus conscripti sunt [Idque aliqualiter confirmari posset ex Eusebio, *H. E.* V. 27. ubi : « Maximi quoque (ait) volumina de *vulgatissima* illa apud hæreticos quæstione, unde sit malum et de eo quod materia facta sit »]. — R. Nullum tamen potuit afferre qui hoc titulo insignitus fuerit. Citat quidem librum περὶ κόσμου qui attributus est Aristoteli, librum Maximi (philosophi christiani qui claruit extr. sec. II) περὶ ὕλης et librum Victorini (extr. sec. III) *de fabrica mundi*. At hæc exempla profecto non sufficiunt ut dicatur nullius momenti esse argumentum quod deducitur ex eo quod auctor *Phil.* ait se scripsisse *de universi substantia* et quod opus ejusdem tituli occurrit inter opera Hippolyti.

(4) Test. **I. 2, 4, 5** (Append. pagg. **18, 19**).

49. III. Convenit etiam Nota tertia : ex dictis Art. præc. § 2.

50. IV. Convenit et quarta, certo quoad tempus (1), et saltem valde probabiliter quoad locum, ex tot testimoniis de sede Hippolyti Romana vel Portuensi.

51. V. Quod autem spectat ad Notas quintam et sextam, vidimus (2) quam frustra laboratum sit ad explicanda testimonia illa multa quæ Hippolytum Pontificibus Romanis adnumerare videntur, et (3) quam mire diversæ sententiæ propositæ sint a viris doctis circa sedem episcopalem Hippolyti. At quum ex lib. IX *Philos.* habeamus (quod hucusque omnino ignotum erat) tempore Hippolyti exstitisse Romæ aliquam ecclesiam schismaticam cujus caput fuit ipse auctor hujus operis; quum præterea videamus omnes alias notas, quibus hunc auctorem agnoscendum advertimus, optime et positive convenire Hippolyto : pronum est concludere Hippolytum fuisse illud ecclesiæ schismaticæ caput et sibi attribuisse (vel ab asseclis ejus illi tributum fuisse) titulum episcopi Romani. — Certe

52. 1° Ita facillime explicatur traditio illa communis et constans apud Orientales de episcopatu Romano Hippolyti. Etenim, ut testimonia quæ colligimus perlegenti facile patet, nihil referunt veteres de Hippolyto ex monumento aliquo historico, sed nonnisi excerpta

(1) Cfr. supra N. 12 (pag. 116).
(2) Supra N. 23-35 (pag. 122 sqq).
(3) Supra N. 14-22 (pag. 118 sqq).

vel quæ colligere potuerunt ex ejus libris (1). Jam vero in inscriptione eorum quos exaravit tempore quo schisma fovebat, facile vel ipse vel ejus asseclæ nomini auctoris adjunxerint designationem dignitatis quam sibi plus minus aperte vindicabat. Atque inde illi qui ea scripta citabant, rem non adeo diligenter examinantes, eodem honoris titulo eum insignierint. Et re ipsa fere omnia testimonia de Hippolyto episcopo Romano (2) vel referunt inscriptiones ejus operum vel citationes ex iis operibus desumptas.

53. **2°** Inde etiam facile explicatur traditio illa quæ, teste Prudentio (3), de Hippolyto ferebatur Romæ extr. sec. IV. — Quod enim secundum illam dicebatur Hippolytus adhæsisse schismati Novati seu Novatiani, vix ullam parit difficultatem. Nam schisma illud quod fovit auctor *Philos.* extra Romam non videtur serpsisse, imo neque etiam Romæ adeo sibi conciliasse favorem : quod satis indicat auctor noster dum invidiose conqueritur quod multi ad Callistum transgressi ejus scholam repleverunt (4), quod multorum turbæ ad scholam illam confluunt, unde superbiunt turbis, quod facile omnibus communicant (5) et quod Callisti doctrina per totum mundum divulgata est (6). Porro ipse Hippolytus ante martyrium suum, quod

(1) Præter illud de æmulatione Origenis (Test. **I. 4, 5, 8.** Append. pag. **18-20**), quod forte habetur ex aliqua hujus epistola.

(2) Recensita supra pag. 118. not. 2.

(3) Test. **VI. 6** (Append. pag. **27**).

(4) Cfr. *Phil.* IX. 12 extr. (Append. pag. **49** med.).

(5) Ibid. paulo inferius.

(6) Ibid. Cap. 13 in. (Append. pag. **17**).

subiit an. 235, schisma suum publice detestatus et suos asseclas ad illud deserendum vehementer adhortatus est (1). Dubium igitur non est schisma istud brevi admodum exstinctum esse et vix quædam reliquisse vestigia (2). Unde denique facile illud postea confuderit traditio popularis cum schismate Novatiani, quod brevissime post (an. 251) Romæ exortum, multo magis perniciosum et celebre fuit, quum præsertim utrique communis fuerit affectata illa severitas disciplinæ circa pœnitentes.

54. 3° Explicatur cur in *Catalogo Liberiano* Hippolytus dicatur presbyter (3), itemque probabiliter apud Prudentium; in recentioribus vero monumentis, episcopus.

55. 4° Explicatur qua ratione factum sit ut memoria gestorum Hippolyti tam brevi amissa fuerit. Nam Catholici quidem conversionis ejus et martyrii memo-

(1) Test. VI. 6 (Append. pag. 27).

(2) Dicimus aliqua, ut videtur, vestigia hujus schismatis relicta esse Romæ. Nimirum ex iis quæ per opus *Philos.* de illo schismate docemur, videtur explicari posse mira illa ratio agendi Novati, qui postquam Carthagine schisma excitasset contra Cyprianum propter hujus prudentem severitatem erga lapsos, Romam deinde veniens, et ibi schisma commovit adversus Cornelium, quod is lapsos ad pœnitentiam et reconciliationem admitteret. Ambitiosus nimirum homo, magis sollicitus excitandi turbas, quarum ope se extolleret, quam sibimet circa doctrinam consentiendi, inveniens quosdam Romæ adhuc severis illis opinionibus imbutos quas in præcedenti schismate professi erant (Cfr. *Phil.* IX. 12 extr. Append. pag. 49), et inde Romano Pontifici infensos, avide hanc occasionem arripuit factionem constituendi quam opponeret Cornelio, Cypriani fautori, et, more ambitiosorum, non est veritus magno studio profiteri principia omnino contraria iis quæ prius professus fuerat.

(3) Test. VI. 2 (Append. pag. 27).

riam servarunt et celebrarunt, ut habemus ex Prudentio, ea vero quæ antea minus recte egerat oblivione deleri maluerunt : idque a fortiori præstiterunt ii ex ejus sectatoribus qui magistrum suum ad ecclesiam redeuntem secuti sunt. Pauci autem illi qui pertinaces in schismate remanserunt non adeo curarunt magistrum qui ipsos deseruerat et publice damnaverat, quum præsertim paulo post invenerint duces audaciores et magis improbos, Novatum scilicet et Novatianum, quos magno studio secuti fuerint.

56. 5° Explicatur erectio illa statuæ marmoreæ (1), quod factum hucusque valde mirum apparuit : nulli enim successorum S. Petri, imo nulli episcopo catholico primis seculis talis honor videtur tributus fuisse. Unum habetur horum temporum simile monumentum, et quidem ita simile ut alterum ad alterius imitationem confectum fuisse existimari possit, statua nimirum ænea S. Petri item Romæ in. sec. III (ut existimarunt periti) erecta (2). Jam vero parum credibile est Pontifices et fideles Romanos, dum nullum tale honoris signum exhiberent Pontificibus superioribus et viris apostolicis, quos in tanta habebant veneratione, illud tamen exhibuisse aut etiam exhiberi sivisse alicui scriptori ecclesiastico non ita præ omnibus aliis illustri. At contra valde credibile videtur sectatores ecclesiæ schismaticæ, dum fideles de hac præclara statua

(1) Cfr. supra NN. 6, 7.

(2) Effigies hujus statuæ S. Petri habetur ap. Sim. DE MAGISTRIS, ad p. 350.

S. Petri gloriantes viderent, ex æmulatione quadam et ambitione quæ facile apud dissidentes obtinere solet, curasse ut ab eodem vel alio artifice similis statua conficeretur (1) repræsentans eum quem ut doctorem et caput suum venerabantur, eamque posuisse in crypta in qua Hippolytus, ut presbyter Romanus, jam ante schisma suum conventus fidelium agebat (2) et postea sepultus est. Quæ statua deinde, post conversionem Hippolyti, in abditiorem partem cryptæ semota et mox forte, tempore scilicet persecutionum quæ subsecutæ sunt, ea parte arena vel lapidibus obstructa, omnino latuit, donec sec. XVI, ut supra memoravimus, effossa est.

57. **6°** Porro ex his jam facile explicatur modus loquendi Eusebii et Hieronymi de sede episcopali Hippolyti (3). Nimirum quum ex una parte ejus operibus inscriptum viderent titulum episcopi Romæ, ex alia vero in catalogis Pontificum Romanorum nullum hujus nominis indicatum esse aut supponi posse sec. III

(1) Supponit quidem Magistris (loc. mox indic.) utramque statuam erectam esse studio et cura Severæ Augustæ uxoris Philippi Imperatoris (an. 245-249), quam ab Hippolyto ad Christianam religionem conversam narrat; at totius suæ narrationis nullum aliud habet fundamentum historicum præter verba illa inscriptionis statuæ *Exhortatorius ad Severinam* (Test. **V**. **3**. Append. pag. **26**) et quod Theodoretus (Dial. II) quædam citat ex Hippolyti *Epistola ad quamdam reginam* (P. G. t. X. p. 870).

(2) Cfr. supra N. 39. — Et inde etiam facile intelligitur querela ejus, quod multi a sua ecclesia ad ecclesiam Callisti transgressi sint (Cfr. *Phil.* IX. 12 post med. Append. pag. **49** med.) : non pauci scilicet qui antea apud ipsum conveniebant, post ejus schisma ab ipsius communione abstinuerint.

(3) Test. **I. 1, 4** (Append. pag. **18**).

reperirent, et memoria parvi illius schismatis Callisto S. P. excitati omnino obliterata esset, ingenue professi sunt se nihil de sede episcopali Hippolyti compertum habere.

58. **7°** Similiter explicari possunt testimonia illa duo vel tria sec. VII et VIII (1) de sede Portuensi. Nimirum eadem adverterint illi scriptores quæ Eusebius et Hieronymus, sed habebant præterea Acta S. Aureæ, quæ in magna veneratione erat apud Græcos (2). Quum itaque in his Actis appareat Hippolytus quidam Portuensis, ibi se solutionem difficultatis invenisse et Hippolytum hunc eumdem cum scriptore ecclesiastico arbitrati sint : unde hunc episcopum Portuensem juxta Romam dixerunt. — Et confirmari potest hæc explicatio ex eo quod Georgius Syncellus Hippolytum episcopum Portus vocat eo loco ubi ex professo de ejus gestis et scriptis agit (3), superius vero (4), ubi obiter ad ejus scripta provocat, archiepiscopum Romanum illum appellat.

59. **8°** Confirmari potest sententia de Hippolyto auctore *Philosophoumenon* ex eo quod quædam rationes loquendi minus rectæ vel accuratæ circa doctri-

(1) Cfr. supra N. 13, *c.* — Testimonia autem Zonaræ et Nicephori Callisti, et forte auctoris *Chronici Paschalis*, non sunt censenda diversa a testimonio Georgii Syncelli.

(2) Anastasius autem, dum testimonia illa Hippolyti transcripsit, versabatur CPoli, ubi strenue contra Monothelitas decertavit.

(3) Test. **I. 5** (Append. pag. **19**).

(4) Ad an. mundi 5499 seu ante Chr. nat. 1. — Test. **II. 17** (Append. pag. **23**).

nam de Verbo Filio Dei occurrunt similes in nostro opere et in tractatu Hippolyti contra Noetum (1). Sic

a. Philos. X. 33 in. : « Causa » eorum quæ existunt Verbum » erat, in semetipso gestans vo- » luntatem genitoris, haud ignarus » paternæ cogitationis.... Quare, » Patre jubente fieri mundum, » singula Verbum perficiebat pla- » cens Deo. ... Neque procedere » possent mascula et feminea, » nisi si velit jubens Deus ut Ver- » bum inserviat » (P. G. t. XVI. part. III. p. 3448).

a. Contra Hær. Noeti, n. 10 : « Eorum quæ facta sunt, ducem, » consiliarium et operarium gene- » rabat Verbum; quod Verbum.... » deprompsit creaturæ Dominum » sensum suum. » — n. 13 extr. : « Si ergo Verbum mittitur per Je- » sum Christum, voluntas Patris » est Jesus Christus » — n. 14 in. : « Joannes in Evangelio... hoc » Verbum confitetur Deum, sic in- » quiens : In principio erat Ver- » bum... Si ergo Verbum erat apud » Deum, et Deus erat, quid ergo?.. Duos quidem Deos » non dicam, sed unum : personas vero duas... Pater » mandat, Verbum perficit, Filius autem ostenditur » per quem Pater creditur. Œconomia consensionis » redigitur ad unum Deum : unus enim est Deus qui » mandat, Pater; qui obedit, Filius » (P. G. t. X. p. 818).

b. Philos. Ibid. « Non Deum » volens facere fefellit. neque an- » gelum (ne erra), sed hominem. » Nam si Deum te voluisset fa- » cere, poterat; habes Verbi exem- » plum » (Tom. cit. p. 3449 init.).

b. Contra Hær. Noeti, n. 16 : « Quid est autem quod ex Patre » exivit nisi Verbum?... Sed dices » mihi : Quomodo genitum est? » De Verbi generationis ratione » quæris, qua Deus Pater gene- » rare voluit : generavit *sicut voluit*... » (Tom. cit. p. 826).

(1) Aliæ præterea afferri possent, ut v. g. celebris distinctio inter Verbum ante rerum creationem in Patre latens et in creatione prolatum. Quamquam autem fatemur has opiniones non ita proprias esse Hippolyto ut apud nullum alium reperiantur, attamen inde non destruitur vis argumenti ex mira illa doctrinæ a paucis propositæ concordia apud Hippolytum et auctorem nostrum deducti. — Porro advertendum quædam magis explicata esse in professione fidei lib. X *Philos.*, quædam in tractatu contra Noetum, quod facile intelligitur ex diversitate materiæ seu scopi (Cfr. infra N. 66).

c. Auctor *Philos.* accusat Callistum quod is dixerit « Verbum ipsum esse Filium » (Append. pag. 48 extr.); et in professione fidei, qua terminatur lib. X. ubi de creatione rerum agit, sæpius Verbum nominat, nusquam vero Filium, nisi quod : « Cuncta autem (ait) regit Verbum Dei, primogenitus Patris Puer » [Παῖς] (Tom. cit. p. 3449 extr.).

c. Contra Hær. Noeti, n. 15 : « Qualem igitur Filium suum Deus » per carnem misit, nisi Verbum, » quod a principio scilicet Filium » vocavit, quia futurum erat ut » ortum caperet? Et cum Filius vo» catur, commune nomen amoris » erga homines sumit. Nec enim » Verbum per se et sine carne per» fectus Filius erat, cum tamen » esset perfectum Verbum, Uni» genitus » (Tom. cit. p. 823).

60. 9° Neque genus scribendi quo utitur auctor *Philos.* absimilis videtur dictioni Hippolyti. Quod ut ostendatur, citasse sufficiet secundum versionem litteralem latinam initium cap. 12. lib. IX *Philos.* collatum cum initio tractatus Hippolyti contra hæresim Noeti. Sic igitur hæc concepta sunt :

Philos. IX. 12. init. « Servus erat Carpophori cujusdam viri fidelis e familia Cæsaris. Carpophorus ei, quippe fideli, pretium non parvum concredidit, jussitque eum sibimet lucrum parare ex argentaria. Qui accepto pretio argentariam instituit in piscina quæ vocatur publica; cui temporis progressu non parva deposita a viduis et fratribus concredita sunt prætextu Carpophori. Is autem omnibus consumptis in angustiis erat. Qui cum ea fecisset, non defuit qui Carpophoro renuntiaret; hic autem dixit se rationem reposcere ab eo. Harum rerum conscius Callistus et periculum a Domino in-

Contra hær. Noeti cap. 1. init. « Alii quidam aliam doctrinam subintroducunt, facti discipuli cujusdam Noeti, qui genere quidem Smyrnæus fuit non multo ante. Hic inflatus in elationem provectus est, alieni spiritus inflatione elatus. Dixit Christum esse ipsum Patrem, ipsumque Patrem natum esse et passum et mortuum. Videte quanta elatio cordis et inflatio spiritus alieni in eum subiit. Jam igitur ex aliis actibus deprehensum est, quod non loquebatur spiritu mundo : qui enim in Spiritum Sanctum blasphemus est, ex divina sorte ejectus est. Aiebat hic se esse Moysem, et fratrem

stans suspicatus, se abstulit fugam ad mare versus faciens. Qui cum navem in portu invenisset ad exeundum expeditam, profecturus quo illa erat profectura ascendit. Sed ne sic quidem latere potuit; non enim defuit qui renuntiaret Carpophoro quæ facta erant. Is autem astans ad portum conabatur in navem ferri nuntium secutus : ea autem collocata erat in medio portu.... » (1)

suum esse Aaron. Hæc cum beati presbyteri audirent, accersitum coram ecclesia examinaverunt. Ille vero negabat principio sic se sentire. Postea vero in quibusdam delitescens, et collectis aliis qui in eodem errore erant, volebat aperte dogma suum defendere. Quem rursus accersitum beati presbyteri redarguerunt. — Ille vero resistebat inquiens.... » (2)

(1) Οἰκέτης ἐτύγχανε Καρποφόρου τινὸς ἀνδρὸς πιστοῦ ὄντος ἐκ τῆς Καίσαρος οἰκίας. Τούτῳ ὁ Καρποφόρος, ἅτε δὴ ὡς πιστῷ, χρῆμα οὐκ ὀλίγον κατεπίστευσεν, ἐπαγγειλάμενος κέρδος προσοίσειν ἐκ πραγματείας τραπεζιτικῆς· ὃς λαβὼν τράπεζαν ἐπεχείρησεν ἐν τῇ λεγομένῃ πισκινῇ πουπλικῇ, ᾧ οὐκ ὀλίγαι παραθῆκαι τῷ χρόνῳ ἐπιστεύθησαν ὑπὸ χηρῶν καὶ ἀδελφῶν προσχήματι τοῦ Καρποφόρου. Ὁ δέ ἐξαφανίσας τὰ πάντα ἠπόρει. Οὗ ταῦτα πράξαντος, οὐκ ἔλιπεν ὃς ἀπαγγείλῃ τῷ Καρποφόρῳ· ὁ δὲ ἔφη ἀπαιτεῖν λόγους παρ' αὐτοῦ. Ταῦτα συνιδὼν ὁ Κάλλιστος καὶ τὸν παρὰ τοῦ δεσπότου κίνδυνον ὑφορώμενος, ἀπέδρα τὴν φυγὴν κατὰ θάλασσαν ποιούμενος· ὃς εὑρὼν πλοῖον ἐν τῷ Πόρτῳ ἕτοιμον πρὸς ἀναγωγήν, ὅπου ἐτύγχανε πλέον, ἀνέβη πλευσόμενος. Ἀλλ' οὐδὲ οὕτως λαθεῖν δεδύνηται· οὐ γὰρ ἔλιπεν ὃς απαγγείλῃ τῷ Καρποφόρῳ τὸ γεγενημένον. Ὁ δὲ ἐπιστάς κατὰ τὸν λιμένα ἐπειρᾶτο ἐπὶ τὸ πλοῖον ὁρμᾷν κατὰ [τὰ] μεμηνυμένα· τοῦτο δὲ ἦν ἑστὸς ἐν μέσῳ τῷ λιμένι .... (P. G. t. XVI. part. III. p. 3379).

(2) Ἕτεροι τινες ἑτέραν διδασκαλίαν παρεισάγουσιν, γενόμενοι τινὸς Νοήτου μαθηταὶ, ὃς τὸ μὲν γένος ἦν Σμυρναῖος, οὐ [πρὸ] πολλοῦ χρόνου γενόμενος. Οὗτος φυσιωθεὶς εἰς ἐπηρμένον ἤχθη, οἰήσει πνεύματος ἀλλοτρίου ἐπαχθείς. Ἔφη τὸν Χριστὸν αὐτὸν εἶναι τὸν Πατέρα, καὶ αὐτὸν τὸν Πατέρα γεγεννῆσθαι καὶ πεπονθέναι καὶ ἀποτεθνηκέναι. Ὁρᾶτε, ὅσον ἔπαρμα καρδίας καὶ φυσίωμα πνεύματος ἀλλοτρίου ὑπεισῆλθεν εἰς αὐτόν. Ἤδη μὲν οὖν ἐκ τῶν ἑτέρων πράξεων εἰς τοῦτο φέρεται ὁ ἔλεγχος αὐτῶν, ὅτι μὴ καθαρῷ πνεύματι ἐφθέγγετο· ὁ γὰρ εἰς Πνεῦμα ἅγιον βλασφημῶν, ἔκβλητος γένηται κλήρου ἁγίου. Οὗτος ἔλεγεν ἑαυτὸν εἶναι Μωϋσῆν, καὶ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ Ἀαρών. Ταῦτα ἀκούσαντες οἱ μακάριοι πρεσβύτεροι προσκαλεσάμενοι ἐνώπιον τῆς ἐκκλησίας ἐξήταζον. Ὁ δὲ ἠρνεῖτο, λέγων τὰς ἀρχὰς, μὴ φρονεῖν. Ὕστερον δὲ ἐμφωλεύσας ἔν τισιν, καὶ συσκευάσας ἑαυτῷ συμπλανωμένους, καθαρὸν ὕστερον ἱστᾷν τὸ δόγμα ἐβούλετο. Ὃν πάλιν προσκαλεσάμενοι οἱ μακάριοι πρεσβύτεροι ἤλεγξαν. Ὁ δὲ ἀντίστατο, λέγων...“ (P. G. t. X. p. 804).

61. **10°** Hippolytum auctorem esse *Philosophoumenon*, indicio etiam esse possunt testimonia e quibus colligitur ab illo concinnatam esse collectionem constitutionum ecclesiasticarum (1). Etenim

(1) Test. **III. 1, 2, 3, 5**; **VI. 9.** (Append. pagg. **24, 25, 29**). — Imo MAGISTRIS (Diss. V. insert. P. G. t. I. p. 523) putat Constitutiones quæ vocantur Apostolorum, quæque nomine S. Clementis inscriptæ sunt, ab Hippolyto collectas et, quibusdam adjunctis, editas fuisse. Id autem concludit : 1° Ex titulo iis Constitutionibus in vetustis codicibus præfixo, qui est hujusmodi : *Διαταγαὶ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων διὰ Κλήμεντος τοῦ Ῥωμαίων Ἐπισκόπου τε καὶ πολίτου, ἢ καθολικὴ διδασκαλία*; *Constitutiones sanctorum Apostolorum per Clementem Episcopum et civem Romanum, seu catholica doctrina.* Jam vero mirum videtur Clementem hic dici non modo episcopum, sed et civem Romanum, præter morem totius antiquitatis : nam licet plures antiquorum *Clementis Romani* cum laude meminerint, nemo tamen eum *Civem Romanum* appellat, neque etiam usquam occurrit hujusmodi appellatio in scriptis Clementis sive genuinis sive falso ipsi tributis, nisi in titulis Homiliarum et Constitutionum. Non improbabiliter itaque credi potest eam irrepsisse per oscitantiam librariorum, ac ita restituendum esse illum titulum : Δ. τ. ἁ. Α. δ. Κ. τ. Ρ. Ε. *καὶ Ἱππολύτου.* 2° Confirm. ex eo quod incorruptum nomen Hippolyti reperitur lib. VIII ejusdem operis, cujus inscriptio in antiquis codicibus est hujusmodi : Περὶ *χειροτονιῶν διὰ Ἱππολύτου*; *De ordinationibus per Hippolytum*, aut etiam *Ἱππολύτου κανόνες ἐκκλησιαστικοὶ περὶ ἀπαρχῶν* : *Hippolyti canones ecclesiastici de primitiis*, prout nimirum sibi quisque descripserat vel caput quartum, quod est de Ordinationibus, vel tricesimum, quod est de Primitiis. 3° Confirm. deinde ex monumentis ecclesiarum Orientalium : ubi extrito nomine Clementis, Hippolyti nomen permansit (Test. **III. 1, 2, 3, 5.** — Advertendum autem Canones ecclesiæ Alexandrinæ excerptos esse e Constitutionibus Apostolorum). Alia quædam leviora argumenta profert Magistris cit. Diss. cap. I. — Ad objectionem autem quæ fieri posset ex eo quod in Constitutionibus Apostolorum quædam occurrunt minus recte dicta et cum Hippolyti doctrina non consonantia, respondet affirmando illas esse interpolatas et corruptas, ut ipse opinatur, a Paulo Samosateno (circa fin. sec. III). Attamen nondum tempore Epiphanii fuisse corruptas concludi potest ex hujus verbis lib. III. *Adv. Hær.* Hær. 70. n. 10. Ubi : « Audiani vero (inquit) ad institutum » suum quamdam ex Apostolorum » constitutione auctoritatem accom- » dant. Qui liber tametsi dubiæ apud » nonnullos fidei sit, non est tamen

a. Auctor *Philos.* videtur satis manifeste, quamvis indirecte, gloriari de sua scientia hujusmodi constitutionum, dum Zephyrinum quasi harum ignarum sugillat (1). Præterea

b. In primo Canonum ecclesiæ Alexandrinæ (2) apparet apud eorum auctorem sollicitudo quædam asserendi suam fidem circa SS. Trinitatem et carpendi quosdam qui non sentirent eadem cum ipso, et quos a suæ ecclesiæ communione sejunctos significat. Hæc autem et ratio qua id indicat optime conveniunt cum iis quæ refert auctor *Philos.* IX. 11 et 12 post med (3).

62. **11°** Aliquod etiam vestigium antiquæ traditionis circa Hippolytum quod hunc eumdem cum auctore *Philos.* manifestet, reperire licet in decreto illo apocrypho Concilii Romani an. 324, ubi simul cum Callisto tamquam hæreticus damnatus legitur (4). Nulla omnino hucusque ab eruditis qui hoc decretum examinarunt ratio dari potuit conjunctionis illorum nominum. Nunc autem, quum ex *Philos.* lib. IX noverimus ineunte

» improbandus. Nam in eo quæ ad » ecclesiæ disciplinam attinent omnia » comprehenduntur ; neque quidquam aut in fide ac catholica professione depravatum, aut ecclesiæ » administrationi ac decretis contrarium continent » (P. G. t. XLII. p. 355).

(1) *Phil.* IX. 7 et 11 init. (Append. pagg. **16** extr. et **46**).

(2) Test. **III. 2** (Append. pag. **24**).

(3) Append. pagg. **46, 48** extr. — Quod autem apud ecclesias Syriacas et Alexandrinam præsertim nomine Hippolyti inscripta reperitur ista Constitutionum collectio, forte aliquis explicaverit supponendo has ecclesias Orientales ineunte sec. III Romam misisse quosdam qui constitutionum ecclesiasticarum codicem inde referrent : qui legati in sectatores Hippolyti inciderint et ab iis acceperint collectionem quam ipsorum magister confecerat.

(4) Test. **VI. 10** (Append. pag. **29**).

seculo III vehementes in ecclesia Romana exortas esse controversias circa doctrinam de SS. Trinitate, et Callistum ab adversariis suis accusatum esse quod hanc doctrinam corrumperet (1), jam facile hujus accusationis memoriam in apocrypha illa traditione obscure servatam atque (ut in his rebus non raro fieri solet) anachronismi præter alia vitio deturpatam agnoscimus. Quumque præterea eadem illa popularis traditio Hippolytum etiam ob hæresim damnatum referat, et rursus non raro in eo genere testimoniorum, quamvis alia omnia perturbata sint, conjuncta reperiantur nomina eorum qui iisdem rebus agendis aliqua ratione simul interfuerunt : inde, præsertim si attendantur tot alia indicia supra recensita, sponte, ni fallor, deducimur ad concludendum hic etiam indigitari auctorem de quo tota hæc instituta est disputatio (2).

(1) *Philos.* IX. 11 et 12 med. (Append. pagg. **46, 48** extr.).

(2) Qua ratione autem factum sit ut scriptor noster hic traducatur ut Valentinianista, non difficile intelligitur si cum doctrina Valentinianorum conferantur ea quæ de Verbo origine rerum tradit lib. X. cap. 33 in. : « Causa (ait) eorum quæ existunt » Verbum erat... haud ignarus pater» næ cogitationis. Nam simul atque » ex genitore processit, primogenita » ejus facta vox, habet in semetipso » ideas a Patre præcogitatas... » (P. G. t. XVI. part. III. p. 3448). De Valentinianis autem EPIPHANIUS *Hær.* 31. n. 10 : « Principio in subli» mitatibus illis, quæ neque visu per» cipi neque appellatione ulla com» prehendi possunt, perfectum in» esse quemdam Æonem asserunt, » quem et primum Parentem et By» thum nominant... Quocum Ennæam » extitisse pariter, quam isti Gratiam » ac Sigen vocant. Ac fuisse tempus » aliquando, cum Bythus ille omnium » ex sese primordia producere volue» rit, ac tamquam semina, quæ in » Sigen æqualem ac comparem suam » infudit. Eam porro semine illo ex» cepto gravidam demum similem » genitori suo Nun æqualemque pe» perisse, qui solus Parentis magni» tudinem caperet. Eumdem Nun » etiam Unigenam nominavit et Pa» trem et Principium rerum om-

ARTICULUS IV.

DE ARGUMENTIS SENTENTIÆ MODO STABILITÆ CONTRARIIS.

63. Horum pleraque jam refutavimus occasione argumentorum quæ superioribus articulis prolata sunt. Restant tamen nonnulla quibus sententia nostra directe impugnata est vel impugnari posset : quæ jam veniunt perpendenda. Itaque

Obj. I. Opinio illa quæ Hippolytum auctorem *Philos.* ac proinde schismaticum et hæreticum facit, conciliari nequit cum veneratione qua semper Patres Hippolyti nomen et scripta citarunt, passim illum ut *beatum* vel *sanctum* et *sanctissimum* doctorem laudantes (1).

R. Ne in ambiguo versemur, advertatur duplici ratione ex hoc argumento concludi posse contra sententiam nostram, videlicet *a.* quatenus assereretur eam pugnare cum cultu qui jamdudum, approbante ecclesia, Hippolyto tribuitur tamquam sancto; vel *b.* quod potius intentum videtur, quod contradicat auctoritati Patrum, qui Hippolytum ut sanctum celebrant. Jam vero

« nium » (P. G. t. XLI. p. 491). — Quoad titulum vero diaconi, qui hic Hippolyto tribuitur, notat Fabricius (in sua editione operum S. Hippolyti, Proleg. p. x) : « Fortasse Hippolytus ille ab auctore commentitiorum hujus Concilii Romani Actorum appellatur Diaconus, quoniam in extremo libri sexti Hist. Eusebius memorat Dionysii Alexandrini epistolam ad Romanos διακονικὴν missam διὰ Ἱππολύτου » (Vid. Test. **VI. 1.** Append. pag. **26-27**).

(1) Test. **I. 5, 10; II. 1, 14, 17, 18, 21** (Append. pag. **18-23**).

1° Cultus Hippolyti satis legitimus ostenditur ex eo quod ante obitum suum ad ecclesiam catholicam reversus est et tandem martyr veræ fidei extitit (1).

2° Ex dictis supra (2), omnino perspicuum est, vitam Hippolyti jam densissimis tenebris obvolutam fuisse saltem inde ab ineunte seculo IV. Itaque Patres ad quorum testimonia provocatur, nusquam celebrant *sanctitatem vitæ* ipsius, sed nihil aliud in ejus laudem protulerunt nisi quod eum *martyrem* vel *sanctum* aut *sanctissimum* dixerunt. Hunc autem posteriorem titulum ei tribuisse facile judicandi sunt vel quia martyrem eum fuisse noverant, vel ex solis reliquiis scriptorum ipsius ubi orthodoxam doctrinam solide vindicatam reperiebant, vel, quod longe probabilius est, quia nomen *sancti* et *sanctissimi* vulgo tribui solebat episcopis catholicis, etiam nondum vita defunctis (3), sicut hodie iidem significatione reverentiæ

(1) Nec minus antiqua sunt testimonia ubi *martyr* appellatur (Test. II. **4, 5, 6, 7, 9, 13, 14, 17, 19**. Append. pagg. **22, 28**) quam ea ubi honoratur titulo *beati* vel *sancti*.

(2) Artt. I et II.

(3) Sic, ut quædam ex multis exempla afferamus, Hierónymi epistolæ ad Augustinum inscriptæ sunt « Domino vere *sancto* et *beatissimo* papæ Augustino » (P. L. t. XXXIII. pp. 243, 251, 275) et Augustini ad Paulinum et Therasiam, « *Sanctis* et Deo dilectis fratribus Paulino et Therasiæ » (Ibid. p. 273). In prima actione Concilii Ephesini (an. 431) *sanctissimus* appellatur non solum Cœlestinus S. P., sed et Memnon episcopus Ephesinus, Joannes episcopus Hephæsti, et Cyrillus Alexandrinus fere a singulis Patribus qui sententiam dixerunt circa ipsius epistolam ad Nestorium (Imo et Nestorius, quamdiu solemnis sententia depositionis contra eum lata non fuit, *piissimus* et *religiosissimus* et *venerabilis* appellabatur, etiam ab iis Patribus Concilii qui eum manifeste hæreticum pronuntiabant et anathema ipsi dicebant) (MANSI, *Conc.* t. IV. p. 500 sqq.). Sed et Hilarius eodem titulo utitur alloquens episcopos Semiarianos in suo libro *De synodis seu de fide Orientalium* n. 88

appellari solent *reverendissimi* et *illustrissimi*, titulo *sanctissimi* jam soli Summo Pontifici reservato.

64. Obj. II. Incredibile videtur, si Hippolytus fuisset auctor *Philos.* et caput ecclesiæ schismaticæ, nihil hac de re commemoraturos fuisse scriptores iis temporibus proximos, præsertim occasione schismatis Novatiani. — Nec juvat afferre ejus pœnitentiam. Nam « quæ obtenditur Hippolyti retractatio memoriam præteritæ perduellionis non abolevisset, sed magis, ut fieri solet, perpetuasset. Per id enim temporis contigisset ista conversio quod sexdecim tantum annis Novatiani rebellionem præcessit. Quam igitur ob caussam repertus est nemo qui tam clari capitis recessum ac reditum Novatiano objectaret? Cur ea de re quam proximus eorum temporum siluit Cyprianus, qui nihil prætermisit quo schismaticos ad ecclesiæ gremium revocaret, quique propterea Romanorum aliquot sacerdotum conversionem tam eloquenti oratione gratulatus est? Eventumne adeo catholicæ ecclesiæ honorificum, adeo post lapsum Hippolyto ipsi gloriosum christiana antiquitas universa reticuisset? idque ea prorsus ætate quæ res gestas martyrum tanta religione colligere et custodire consuevit? » Hactenus ARMELLINI (1).

(P. L. t. X. p. 540. — Cit. infra Diss. VI. Procem. not. ad N. 1). — Nec solum episcopos, sed et presbyteros *beatos* vel *sanctos* appellatos reperimus, ut apud Hippolytum *Contra hæresim Noeti* cap. 1 init. (Cit. supra N. 60) et in inscriptione epistolæ Augustini ad Hieronymum : « Domino dilectissimo et in Christi visceribus honorando, *sancto* fratri et compresbytero Hieronymo » (P. L. t. XXXIII. p. 276).

(1) Op. cit. cap. 12.

R. *a.* Non minus mirum est in contentionibus quæ occasione schismatis Novatiani locum habuerunt nusquam commemoratum reperiri schisma istud sub Callisto exortum. Et omnia explicantur si supponatur hoc schisma paucos sectatores habuisse et inde fuisse satis obscurum et probabiliter ad aliquam ecclesiam presbyteralem (seu cui presbyter præfectus esset) restrictum (1).

b. Neque adeo mirum est Cyprianum ignorasse ea quæ ante sexdecim (vel amplius) annos in ecclesia Romana acta essent, non autem ea quæ tempore Novatiani agerentur, cum de his certior fieret a S. P. et clero Romano, quibuscum eo tempore frequens ei epistolarum commercium intercessit.

c. Præterea gratuito supponitur Hippolytum sua ætate adeo clarum fuisse, quamvis postea propter scripta ejus, quæ jam sola nota erant, satis celebre nomen ejus extiterit (2).

d. Quod autem concluditur ex diligentia Christianorum hujus ætatis in colligendis actis martyrum, jam sæpius ab eruditis refutatum est (3).

e. Ac denique falso asseritur universam antiquitatem christianam siluisse de conversione Hippolyti, quum eam celebratam habeamus apud Prudentium (4).

(1) Cfr. supra N. 53.

(2) Cfr. supra N. 63.

(3) Ita scilicet ut ex illa diligentia, ab omnibus admissa, nequeat validum probari argumentum negativum quod nitatur silentio documentorum quæ *nunc* nobis supersunt. Cfr. *Introd. gener.* Tract. III. Cap. II. N. 2-6 (pag. 112-116).

(4) Test. **VI. 6** (Append. pag. **27**).

65. Obj. III. « Testatissimum est, plurimam operam in Sacris litteris enarrandis ab Hippolyto esse collocatam, eamque inibi tanta cum laude impensam ut præstantissimi Scripturarum interpretes ex Occidente atque Oriente præeuntem illum secuti fuerint. Qua vero Scripturarum scientia pollebat Hippolytus, ea passim utebatur tum Christianis dogmatis declarandis tum hæreticorum erroribus revincendis. Videamus jam quid agat in similibus plane adjunctis auctor Philosophumenon. Plurima ipse profert Scripturarum oracula quibus hæretici in rem suam abutebantur, nec tamen usquam... biblico argumento, ut mos erat Hippolyto, eos refellit... At in ipso tamen operis limine ac vestibulo promiserat, monstraturum se profanam hæreseon originem, quæ nimirum *neque e scripturis neque e sancti cujuspiam traditione* repeti potest (1). Cur ex duabus hisce partibus eam non absolvit quæ ad sacras litteras pertinebat? Insignis profecto Bibliorum enarrator, cujusmodi erat Hippolytus, commemorato hæreticorum abusu, ab interpretandis rite ac proferendis opportune Bibliorum testimoniis minime temperasset » (2). — R. Optime auctor *Philos.* prosecutus est scopum suum, qui erat exponere doctrinas philosophorum veterum et recentiorum hæreticorum et ostendere hos ab illis sua dogmata mutuatos esse. Jam vero ad illum scopum non juvabat uti argumentis biblicis.

(1) Cfr. supra Procem. N. 4.

(2) Ita ARMELLINI. cap. 14 extr. — Eamdem objectionem vehementer urget LEFEBVE (*Revue Catholique*. Nouv. Série, t. VI. p. 12).

Quod autem passim locos ab hæreticis e Scriptura citatos affert, id facit ut indicet quomodo Scripturam accommodarent suis commentis. Eos vero ulterius circa hæc refellere nec ad scopum ab ipso intentum necesse erat et unitati ejus operis nocuisset, ac simul id jam satis inutile fuisset, quum accomodatio ista ab hæreticis excogitata ubique per se absona omnino appareat.

66. Obj. IV. Hippolytus in tractatu contra hæresim Noeti (1) perspicue tradidit fidem in Spiritum Sanctum. Auctor *Philos.* vero videtur de Spiritu Sancto non recte sentire. Etenim 1° In professione fidei qua terminatur lib. X *Philos.* Spiritum Sanctum ne semel quidem nominat. — 2° « Vers le même temps, plusieurs hérétiques avaient été signalés pour leurs erreurs sur le Saint-Esprit, et, chose remarquable, notre auteur parle de ces hérétiques sans signaler leurs erreurs sur cette troisième personne de la Sainte-Trinité. Il ne rapporte pas l'opinion singulière des Ebionites, qui faisaient du Saint-Esprit un principe femelle, à peu près semblable au Christ, dont ils lui donnaient la figure. Il parle de Simon le Magicien, de Noétus et de Sabellius; il leur reproche d'avoir commis des erreurs sur le Père, d'avoir avancé des faussetés sur le Fils, mais il ne parle jamais du Saint-Esprit. » 3° « Enfin, vers le même temps, Praxéas, qui vivait à Rome, et qui n'admettait en Dieu qu'une seule personne, accusait les catholiques de trithéisme parce qu'ils reconnaissaient

(1) P. G. t. X. p. 803 sqq.

les trois personnes divines... Quant à notre auteur, on lui reprochait seulement d'être dithéiste, et cette accusation nous confirme dans la pensée qu'il devait être tombé dans quelque erreur grave relativement au Saint-Esprit. Si mon soupçon est fondé, c'est assurément... parce que l'auteur prétendait que le Verbe était l'esprit du Père » (1).

67. R. Transmissa 1^a parte assertionis, negatur 2^a. Nullus enim positivus error circa doctrinam de Spiritu Sancto occurrit in toto opere *Philos.* Præterea orthodoxe omnino loquitur auctor de Sp. S. et de erroribus hæreticorum circa ipsum *Phil.* I. proœm.; VI. 19 : ubi de erroribus Simonis Magi; VI. 31, 32, 35, 36 : ubi de Valentino; VI. 51 : ubi de Marco; fuse VII. 22, 23, 26, 27 : ubi de Basilide; VII. 35, 36 : ubi de Theodoto; VIII. 8 : ubi de Docetis; VIII. 17 : ubi de Hermogene; IX. 13 : ubi de Elchasaitis; IX. 30 : ubi de Sadducæis; X. 14 : ubi rursus de Basilide; X. 21 : ubi de Cerintho; X. 23 : ubi rursus de Theodoto (2). — Ad probationes autem

68. Ad 1^{am} R. *a.* In hac professione fidei (3) auctor noster agit tantum de creatione seu origine rerum et breviter de divinitate Christi; in tractatu contra Noetum vero agitur de doctrina circa Incarnationem Christi. *b.* In professione fidei sermo directus est ad ethnicos, in tractatu autem contra Noetum Hippolytus

(1) Ita Cruice, *Etudes*, etc. p. 92-94. 3019 sqq.
(2) P. G. t. XVI. part. III. p. (3) Ibid. p. 3445 sqq.

alloquitur fideles. Jam vero Patres primorum seculorum, ubi ethnicos alloquuntur, silere fere consueverunt de Spiritu Sancto. Unde parum proficit Cruice dum (1) affirmat fidem in Spiritum S. jam satis perspicue expressam esse apud primos Patres, iis locis scilicet ubi sermo eorum dirigitur ad fideles.

69. Ad 2^{am} R. *a.* Quo jure id affirmare potuerit Cruice satis colligitur ex responsione generali data supra (2).

b. Speciatim autem, opinionem quæ Spiritum S. principium fœmineum facit, diserte refert auctor noster IX. 13 (3). Ubi etiam illam tribuit Elchasaitis (4).

c. De commentis Simonis Magi circa Spiritum S. agit auctor *Philos.* VI. 19 (5). Nec quidquam amplius de iis referunt Irenæus (6) et Epiphanius, qui tamen satis fuse agit de Simone Hær. 21 (7).

d. Quoad Noetum autem, neque in tractatu contra ejus hæresim ullum specialem errorem circa Spiritum Sanctum ipsi affingit Hippolytus.

e. Denique non mirum est auctorem nostrum non esse locutum de erroribus Sabellii circa Spiritum Sanctum, quum errores Sabellii exponere omnino omiserit.

(1) Loc. cit.

(2) N. 67.

(3) Cit. Append. pag. 17.

(4) Unde obiter advertendum errasse Cruice dum illam opinionem singularem fuisse Ebionitarum asseruit. Ceterum Elcesæos cum Ebionitis aliqua ex parte convenire monet Epiphanius in Indiculo præfixo lib. I. Tom II. n. 10 (P. G. t. XLI. p. 283).

(5) P. G. t. XVI. part. III. p. 3223.

(6) *Adv. Hær.* I. 23 (P. G. t. VII. p. 670).

(7) P. G. t. XLI. p. 285 sqq.

Hoc tamen advertere debuerat Cruíce, dum (p. 67) catalogum texens hæreticorum contra quos egit auctor *Philosophoumenon*, nomen Sabellii jure in eo non recensuit.

70. Ad 3am R. Imo inde potius confirmatur non fuisse admissum ab auctore nostro aliquem positivum errorem contra Spiritum S. Nam ista accusatio ditheismi ideo contra eum prolata est a Catholicis, quia Filium a Patre nimis separaret. Nullius vero præterea specialis erroris circa Spiritum Sanctum eum accusarunt : quod utique non omisissent si illius reus fuisset. — Ad confirmationem autem quam in fine hujus probationis innuit Cruice, R. Etiam in tractatu contra Noetum Verbum ab Hippolyto Spiritus appellatur. Ait nimirum (1) : « Manifestum igitur est, quod [Christus] » se ipse obtulit Patri. Antea vero non erat in cœlo » caro. Quid ergo erat in cœlo, nisi Verbum sine » carne, quod missum est ut ostenderet se, qui in terra » erat, esse etiam in cœlo? Verbum enim erat, *Spiri-* » *tus* erat, Virtus erat. »

71. Obj. **V**. Libellus Hippolyti a Photio lectus (2) initium faciebat a Dositheanis. At auctor *Philos.* in toto suo opere nihil de his hæreticis habet. — Et augetur difficultas ex eo quod (3) profitetur se ne unam quidem hæresim irrefutatam omittere velle.

R. Si perpendantur ea quæ de Dositheo et Dosi-

(1) N. 4 extr. (P. G. t. X. p. 810).
(2) Test. I. 8 (Append. pag. 20).
(3) Speciatim *Philos.* VI. 6 (P. G. t. XVI. part. III. p. 3205).

theanis traduntur apud ORIGENEM, EPIPHANIUM et THEODORETUM, inde colligi potest : ***a.*** Plures extitisse hæresiarchas hujus nominis (1). ***b.*** Dositheum illum Samaritanum, de quo Origenes *de Principiis* IV. 17 (2) et Epiphanius *Hær.* 13 (3), eadem omnino dogmata professum esse cum Essenis. ***c.*** Dositheum alterum Samaritanum (de quo non locutus est Epiphanius et quem solum, omissis aliis, refert Theodoretus *Hær. Fab.* I. 1 extr.) (4) easdem fere doctrinas tradidisse quæ Simon Magus. Unde Origenes eum cum Simone conjungit *Contra Celsum* I. 57 et VI. 11 (5); et Theodoretus nihil omnino peculiare de ipso tradit, sed solum nomen Dositheanorum refert inter illos qui ex Simoniana secta orti sunt. ***d.*** Dositheanos istos satis obscuram sectam fuisse. Nam de iis Origenes *Contra Cels.* VI. 11 : « Dositheani (ait) nec primum admodum » valuerunt, et nunc omnino exstincti sunt, ita ut vix » triginta reliqui memorentur » (6). — Itaque, ut ad propositam objectionem veniamus, non adeo mirum est quod auctor noster, in accuratiori hoc hæresium examine, quum videret Dositheanos nulla peculiaria dogmata habuisse præter ea quæ profitebantur Simoniani et Esseni (de quibus fuse agit lib. VI et lib. IX),

(1) Ut recte post DRUSIUM notavit DE LA RUE ad Origenis *Contra Celsum* I. 57 (P. G. t. XI. p. 765. not. 67).

(2) P. G. t. XI. p. 380.

(3) P. G. t. XLI. p. 237.

(4) P. G. t. LXXXIII. p. 345.

(5) P. G. t. XI. pp. 765, 1305.

(6) Dixerat item de Simonianis ibid. I. 57 : « Nunc vero non arbitror in » toto orbe reperiri posse triginta » Simonianos. » Unde confirmari potest Dositheanos cum Simonianis conjunctos et confusos fuisse.

hanc sectam obscuram omiserit cum Cleobanis, Gorthenis, Masbotheis, Adrianistis, Eutychetis et Canistis, quos Theodoretus (1) conjungit cum Dositheanis tamquam ex Simoniana secta exortos. Sic etiam omisit Sabellium et Artemonem socium Theodoti.

72. Obj. **V**. Auctor *Chronici Paschalis* quædam citat contra Quartodecimanos prolata in libro Hippolyti adversus omnes hæreses (2). Hæc autem non habentur in opere *Philos.*, ubi tamen auctor agit de Quartodecimanis (3). Gelasius item affert verba « Hippolyti in *Memoria Hæresum* » (4), quæ in opere nostro non reperiuntur.

R. 1° Etiamsi nulla ratione solvi posset ea difficultas, quam (sed eam solam) satis gravem esse libenter agnoscimus, attamen illam ex una parte, ex altera vero complexum argumentorum quæ supra Art. III proposita sunt attente consideranti, satis, ut nobis videtur, constat hæc (simul sumpta) longe prævalere adversus illam (5).

2° Nec desunt conjecturæ probabiles quibus videtur solvi posse. Nimirum *a.* Locus citatus ab auctore *Chronici Paschalis* facile supponi potest desumptus ex

(1) Loc. cit.

(2) Test. **II. 4** (Append. pag. **22**).

(3) *Philos.* VIII. 18 (P. G. t. XVI. part. III. p. 3365).

(4) Test. **II. 9** (Append. pag. **22**). — Verba autem illa, ut mox indicabimus (R. 2° *b*) desumpta sunt ex Hippolyti tractatu contra Noetum.

(5) Neque enim, quod de regulis artis criticæ agentes advertimus (*Introd. gener.* Tract. I Cap. V. N. 10, 2°, pag. 50), necessarium est, ad hoc ut factum aliquod admittatur, ut omnia argumenta quæ afferuntur in contrarium demonstrentur nullius esse momenti.

brevi refutatione hæresium antea ab Hippolyto conscripta (1). *b.* Verba autem citata a Gelasio reperiuntur in Hippolyti tractatu contra hæresim Noeti, n. 18 (2). Unde supponi potest vel iste tractatus fuisse pars majoris operis ab Hippolyto conscripti adversus hæreses circa Incarnationem Christi; vel Gelasius per errorem citasse hunc tractatum specialem sub titulo *Memoriæ Hæresum*; vel denique locum a Gelasio citatum ab eo repertum fuisse in aliqua collectione testimoniorum adversus varias hæreses (simili catenis Patrum in varios libros Scripturæ sacræ) quæ titulo *Memoriæ Hæresum* insignita fuerit (3).

(1) Cfr. supra N. 48, 1° et Cap. II. N. 3, *a* (pagg. 143, 104).

(2) P. G. t. X. p. 828.

(3) Quominus autem verba citata a Gelasio e tractatu adversus hæreses quem describit Photius desumpta esse probabile existimemus, obstat quod refutatio illa satis prolixa non videtur jure posse supponi pars *libelli* quo refutabantur *hæreses duæ et triginta* et ubi *dictio non abundans* erat (Cfr. Test. I. 8. Append. pag. 20).

CAPUT V.

UTRUM PHILOSOPHOUMENON AUCTOR CENSERI POSSIT CAIUS.

ARTICULUS I.

QUÆNAM DE CAIO TRADIDERINT VETERES (1).

1. I. Floruit tempore Zephyrini S. P. (2), et eum fuisse discipulum Irenæi colligunt quidam ex testimonio satis incerto (3).

2. II. *Quænam conscripserit Caius.* — 1° Certe conscripsit dialogum contra Proclum Montanistam (4), in quo et Cerinthum refutavit (5). 2° Ipsi etiam tributi sunt libri qui inscripti erant *De universo*, *Labyrinthus* et *Parvus Labyrinthus* adversus Theodotum et Artemonem. Id tamen solus tradidit PHOTIUS (6), ex auctoritate librariorum qui hos libros descripserunt, at ne suspicati quidem videntur EUSEBIUS (7) et HIE-

(1) Testimonia veterum de Caio vid. in Append. **E** (pag. **40-42**).

(2) Test. **2, 5, 6.**

(3) Test. **1.**

(4) Test. **2, 4, 5, 6, 8.**

(5) Test. **3, 7.**

(6) Test. **8.**

(7) Nam ita librum contra (Theodotum et) Artemonem infert (*H. E.* V. 27, 28) : « Multorum etiam lucubrationes ad nos pervenerunt, quorum ne ipsa quidem nomina possumus recensere. Qui orthodoxi quidem et ecclesiastici [Cfr. Append. pag. **40**, not. ad test. **2**] omnes fuere, ut sacræ Scripturæ expositio a singu-

RONYMUS (1), sed neque (quoad *parvum Labyrinthum*) THEODORETUS (2).

3. III. *Utrum Caius fuerit presbyter Romanus et episcopus.* — Presbyterum eum fuisse neque diserte tradit EUSEBIUS (3), neque omnino HIERONYMUS (4); neuter autem quidquam innuit de dignitate episcopali ipsi attributa. Utrumque igitur titulum illi attributum fuisse primus memorat PHOTIUS (5), at ex ratione qua id refert satis apparet non aliunde id accepisse Photium quam ex titulo vel ex notis quæ a librariis adjecta fuerant *Labyrintho*. Accedit quod omnino singularis est hic titulus *Episcopi gentium*, quo Caium insignitum tradit. Nam hujusmodi episcopum fuisse sine ulla grege, sine certa sede, est aliquid omnino inauditi (6) seu, ut aiunt, ἅπαξ λεγόμενον (7). Admodum

- lis eorum allata testatur; obscuri - tamen nobisque ignoti sunt, pro- - pterea quod libri ipsi auctorum non - præferunt nomina. — Porro in cu- - jusdam ex illis auctoribus libro ad- - versus Artemonis hæresim elabo- - rato.... » (Et cetera indicata supra pag. 95. not. 2).

(1) Test. 6.

(2) Cfr. supra pag. 95. not. 2. — Recentioribus temporibus Muratorius et alii post ipsum Caio tribuerunt fragmentnm acephalum de canone sacrarum Scripturarum (insert. P. G. t. X. p. 33) ab eodem Muratorio Mediolani repertum, qui canon sine dubio concinnatus est extr. sec. II aut in. III. Sed argumenta quæ in hanc rem afferunt (P. G. t. X. p. 20-23) æque, imo potius probant Hippolytum esse hujus fragmenti auctorem.

(3) Test. 2.

(4) Test. 6.

(5) Test. 8.

(6) Neque enim quidquam in contrarium evincunt exempla quæ vulgo proferuntur episcoporum qui primis seculis in Gallias, Hispaniam, Britanniam, extremo seculo VI in Angliam, et seculo VIII ac deinceps in Germaniam et regiones Septemtrionales ad gentes illarum regionum convertendas a S. Sede missi sunt. Hi nempe ad *certam* gregem regendam ordinati erant, quamvis utique nondum haberent civitatem episcopalem in qua residerent.

(7) Quare proposuit FABRICIUS (*Bibl. Græc.* t. V. p. 267) ut apud

igitur dubium est Caium episcopali dignitate fuisse decoratum, imo nec satis certo affirmari potest eum fuisse presbyterum.

4. IV. In catalogo Ebed Jesu (1) inter opera Hippolyti indicantur « Capita contra Caium. » Sed nihil aliunde habetur unde concludi possit hunc esse Caium illum de quo nunc agimus. Quidam putarunt hæc fuisse scripta contra Caianos seu Caianitos hæreticos, de quibus obiter auctor *Philos.* VIII. 20 (2).

ARTICULUS II.

RESOLUTIO QUÆSTIONIS.

5. Si admittantur omnia quæ apud Photium habentur de Caio, eaque et cetera testimonia accipiantur sensu maxime favorabili, hæc sententia utique aliquam probabilitatem habere videri potest, quoniam notæ supra (cap. II) assignatæ aliqualiter ita convenire possunt Caio (3). At longe minor est ea probabilitas quam in sententia præcedente. — Si autem non admit-

Photium loco ἐθνῶν legeretur Ἀθηνῶν; sed hæc emendatio merito ab eruditis est rejecta, quia et omnino arbitraria est et Eusebius ac Hieronymus Atheniensem Caii sedem non ignorassent. — Neque satis probabilis etiam videtur explicatio DÖLLINGER putantis (*Hipp. u. Kall.* p. 342) Hippolytum se episcopum gentium dixisse, quia distingueret ecclesias e gentilibus ab ecclesiis e Judæis conversis conflatas. — Nonne potius supponere licet hunc titulum inscriptum fuisse lib. X. *Philos.* ab Hippolyto, dum ex pudore quodam non tam arrogantur ausus fuerit assumere titulum episcopi Romani?

(1) Test. **10**.

(2) P. G. t. XVI. part. III. p. 3367.

(3) Quoad 5m et 6m Cfr. N. seq. 2°.

tantur ut satis probabilia ea quæ tradit Photius, jam nulla ex notis quæ auctorem *Philos.* demonstrare possunt positive convenit Caio, præterquam quod Romæ versatus est tempore Zephyrini S. P.

6. Levia præterea quædam argumenta pro hac sententia proferunt Cruice (1) et Fessler (2). Nimirum

I. 1° NICEPHORUS conjungit nomen Caii cum nomine Tertulliani, qui etiam rebellis fuit contra ecclesiam (3).

2° Hippolytus scripsit contra Caium (4), forte ad defendendam ecclesiam Romanam adversus ejus accusationes.

3° Caius non est relatus inter Sanctos, dum ex iis qui ejus ætate clari extiterunt fere illi soli albo Sanctorum exclusi sunt qui aliquo modo a recto tramite deflexerunt et suum errorem non expiarunt per martyrium.

R. Ad 1m. Nicephorus eo loco utrumque laudat.

Ad 2m. Hæc est mera hypothesis, nulla ratione firmata.

Ad 3m. Responsio habetur ex verbis ARMELLINI (5) : « Neque vero est (ait) cur magnopere miremur obscuritatem quæ Hippolyti sedem tegit. Similibus quippe tenebris obductæ sunt memoriæ complurium scriptorum, qui non procul Hippolyti ætate claruerunt, Magnetis, Athenagoræ, Caii, Hermiæ, Agrippæ, Castoris,

(1) *Etudes sur de nouv. docum.*, etc. p. 144.

(2) *Theol. Quartalschr.* (Tübing.) an. 1852. p. 302.

(3) Test. 9.

(4) Cfr. supra N. 4.

(5) *De prisca refut. hær.*, etc. p. 45.

Modesti, Rhodonis, Maximi, Apollonii, aliorum : nec tamen idcirco quisquam animum induxit ut labem ullam claris adeo nominibus imponeret. » Porro nullus horum ut Sanctus colitur.

7. II. Auctor *Philos.* promittit se opus peculiare conscripturum esse contra Montanistas; ait enim (1) : « De his deinde subtilius exponam; multis enim malorum causa exstitit horum hæresis. » Jam vero Caius scripsit contra Proculum Montanistam.

R. ***a.*** Istud *de his* manifeste referendum est ad Noetianos, quos auctor proxime nominaverat et de quibus utique fusius loquitur lib. X.

Præterea ***b.*** Dialogus contra Proculum conscriptus est tempore Zephyrini (2); *Philosophoumena* vero post tempora Callisti.

(1) *Philos.* VIII. 19 (P. G. t. XVI. part. III. p. 3367).

(2) Test. **2, 5, 6.**

CAPUT VI.

UTRUM PHILOSOPHOUMENA TRIBUI POSSINT TERTULLIANO (1).

—

ARTICULUS I.

DE NOTIS AUCTORIS PHILOSOPHOUMENON, UTRUM CONVENIANT TERTULLIANO.

1. I. Tertullianus fuit quidem præstantis ingenii; disputatur tamen utrum magna eruditione polleret (2). Quæ autem prædicat VINCENTIUS LIRINENSIS (3), ex nimia exaggeratione qua hoc loco laudat Tertullianum, satis suspecta sunt. Ceterum ex nominibus eorum quos ibi citat tamquam a Tertulliano refutatos, concludi potest illum alludere ad opera Tertulliani quæ adhuc supersunt, non ad deperdita, et inde solum efformasse suum judicium : jam vero in illis operibus certe non tanta apparet eruditio quantam hic celebrat Vincentius.

2. II. *a.* Descriptionem opusculi contra hæreses ab auctore *Philos.* indicati opinatur CRUICE (4) optime

(1) De Tertulliano videsis LUMPER. Cujus dissertationem inseruit Migne P. L. t. I. p. 85. — Præcipua veterum de eo testimonia collecta habes in Append. F (pag. 43-45).

(2) Videsis Lumper.

(3) Test. 4.

(4) *Etudes*, etc. p. 119.

convenire Tertulliani libro *de Præscriptionibus.* — Verum hæc descriptio convenire quidem potest catalogo illi qui libro *de Præscriptionibus* subjunctus est (1), sed non a Tertulliano (2); nequaquam autem convenit ipsi libro *de Præscriptionibus,* ubi Tertullianus non *exponit placita* hæreticorum, sed argumentum novitatis contra hæreses generatim sumptas multis urget.

b. Nullum novimus Tertulliani librum *de universi substantia.*

c. Neque ullos novimus ejus commentarios in Genesim vel aliud simile opus.

3. III. Nemo unquam dixit Tertullianum fuisse episcopum aut sibi hanc dignitatem vindicasse. — Neque ex iis quæ habet AUGUSTINUS, et ex eo auctor anonymus *Prædestinati* (3), jure supponi potest Tertullianus ea dixisse quæ in proœmio lib. I. *Philos.* (4) de se prædicat auctor hujus operis.

4. IV. Dubium est utrum Tertullianus unquam Romæ versatus sit. Neque enim id satis valide concluditur ex testimoniis EUSEBII et HIERONYMI (5), ut ea examinanti facile patet; neque ex quibusdam locis ejus operum, ubi ad monumenta Romana provocat : potuit enim hæc dicere quin ea ipse viderit (6).

(1) P. L. t. II. p. 61.

(2) Ut inter eruditos certum est; ceterum neque Cruice hunc catalogum affert, sed ipsum librum.

(3) Test. **3, 6.**

(4) Vid. Append. pag. **16** med.

(5) Test. **1, 2.**

(6) Cfr. LUMPER.

5. V. A fortiori, saltem valde dubium est quod sine hæsitatione pronuntiat Cruice : « Tertullien a été prêtre de Rome; il y a exercé une grande influence par sa brillante éloquence et par sa vaste érudition » (1) : quod posterius nemo ante Cruice videtur arbitratus esse.

6. VI. Neque quidquam eorum quæ in sexta nota indicata sunt concordat cum iis quæ novimus de historia Tertulliani, nisi quod caput extiterit cujusdam sectæ schismaticæ et hæreticæ, sed Carthagine, non Romæ, idque, si auctori *Prædestinati* credendum sit, jam ante an. 177, ubi scilicet obiit Soter S. P., qui Tertullianistas damnasse dicitur (2).

ARTICULUS II.

ALIA ARGUMENTA CONTRA HANC SENTENTIAM.

7. Præterea contra hanc sententiam obstat quod :

1° Quamvis secundum ipsam Tertullianus opus *Philos.* conscripsisset ætate valde provecta (3), nihil tamen in toto hoc opere reperitur ubi aliquantulum perspicue alludatur ad opera ejus præcedentia, quibus varios hæreticos fuse refutaverat (4).

8. 2° Etsi nonnulla opuscula græce a Tertulliano scripta esse colligi potest e quibusdam ejus citationi-

(1) *Etudes*, etc. p. 115.

(2) Test. 6.

(3) Videlicet post mortem Callisti (Cfr. supra Cap. II. N. 5) seu post annum 225.

(4) Cfr. infra N. 13 extr.

bus (1), tamen probabile non est ipsum provecta ætate rursus græce scripsisse, præsertim Carthagine, ubi non vigebat usus græci sermonis.

9. 3° Auctor *Philos.* (2) accusat Callistum quod « hujus ætate primo baptismus iteratus ab iis tentatus est. » Jam vero Tertullianus ante ætatem Callisti S. P. defendit et docuit baptismum iterandum esse hæreticis qui, in hæresi baptizati, ad catholicam ecclesiam venirent (3). Ad hoc argumentum ita Cruice (4) : « La seule réponse que l'on puisse faire à une objection si grave, c'est que Tertullien s'est montré bien inconstant dans ses opinions : nous le voyons, avant son adhésion aux principes de Montan, soutenir avec zèle la doctrine catholique qu'il va bientôt combattre. Ensuite il se sépare des Montanistes et forme une secte à part. Cette inconstance dans ses doctrines peut faire supposer qu'il a également varié dans son enseignement sur la nécessité d'un second baptême. Mais ce n'est encore là qu'une supposition à peu près gratuite. » — Verum non modo gratuita est hæc hypothesis, sed et impossibilis. Quis enim sanæ mentis, postquam ipse publice et scripto necessitatem iterandi baptismi docuerit, alteri objiciat ejus ætate *primo* baptismum iteratum tentatum esse?

(1) Ut lib. *de Baptismo* cap. 15 : « Sed de isto plenius jam nobis in græco digestum est » (P. L. t. I. p. 1216). — Item *de Corona*, cap. 6 (P. L. t. II. p. 84); *De vel. virg.* cap. 1 (ibid. p. 888).

(2) IX. 12 extr. (Append. pag. **50**).

(3) *De Bapt.* cap. 15 (P. L. t. I. p. 1216).

(4) *Etudes*, etc. p. 139.

ARTICULUS III.

DE ARGUMENTIS QUÆ AFFERUNTUR AD HANC SENTENTIAM TUENDAM.

§ 1. De argumentis propositis apud Jallabert et Cruice.

10. Argumenta ista, præter ea quæ congeruntur ut aliqualiter tribui possint Tertulliano notæ auctoris *Philos.*, ad hæc fere reducuntur :

1° NICEPHORUS CALLISTI (1) et VINCENTIUS LIRINENSIS (2) testantur a Tertulliano conscripta esse opera contra hæreticos.

R. Hæc testimonia satis explicantur per opera nota Tertulliani. — Ad id autem quod confirmationis loco addit CRUICE (3) : « Or il n'existe aucun ouvrage de cet écrivain où je puisse rencontrer les moindres traces d'une attaque sérieusement dirigée contre Sabellius, »

Facile R. Neque in opere *Philos.* aliquid hujusmodi reperiri.

11. 2° Tertullianus magna vehementia suos adversarios et eorum non solum doctrinas, sed etiam privatos mores coarguere solet.

R. Et ex hoc ipso potest concludi *Philosophoumena* non esse illius. Certe multo vehementius egisset contra

(1) Append. E. Test. 9 (pag. 42).

(2) Append. F. Test. 4 (pag. 44).

(3) *Etudes*, etc. p. 119; post citatum OPTATUM Milevitanum, qui Sabellium a Tertulliano refutatum ait.

Callistum, idque confirmari potest ex ipso loco quem citat Cruice ex ejus libris contra Marcionem.

12. 3° Tertullianus magnum rigorem professus est quoad disciplinam circa pœnitentes. Et speciatim lib. *de Pudicitia* in irridendo et exprobrando decreto, ut videtur, Zephyrini (1) : « Audio (ait) edictum esse pro- » positum, et quidem peremptorium : Pontifex scilicet » Maximus, quod est Episcopus Episcoporum, edicit : » Ego et mœchiæ et fornicationis delicta pœnitentia » functis dimitto » (2). Jam vero similis plane reprehensio adversus Callistum reperitur *Philos.* IX. 12 (3).

R. Hoc argumentum utique sua vi non caret, sed non est sufficiens ad probandam sententiam propositam, deficientibus aliis argumentis et præsertim tot ac tam validis obstantibus.

13. 4° Auctor *Philos.* VIII. 19 (4) valde moderate loquitur de doctrinis Montanistarum, et quidem ita ut videatur indicare Montani asseclas inde in errores abiisse quia ejus libros non satis intellexerunt (5).

R. *a.* Hoc loco et X. 25 (6), satis explicat auctor noster quænam in Montanistarum libris videantur recte

(1) Cl. DE ROSSI (*Bullettino* an. 1866, p. 26) jam non dubitat librum *de Pudicitia* a Tertulliano conscriptum esse occasione decreti Callisti, non Zephyrini, quæ communis erat hactenus opinio. A Callisto enim, non a Zephyrino, illud decretum conditum esse jam novimus ex auctore *Philosophoumenon*, qui certe Zephyrinum carpere non omisisset, si et ipse aliquid hujusmodi attentasset.

(2) P. L. t. II. p. 980.

(3) Append, pag. 49.

(4) P. G. t. XVI. part. III. p. 3365.

(5) CRUICE, p. 124.

(6) P. G. t. XVI. p. 3439.

dicta. Hæc autem non sunt eadem cum iis quæ approbabat Tertullianus (1). *b.* Quod autem addit Cruice : « Ce n'est pas Montan qu'il accuse, c'est plutôt Priscille et Maxime, » satis refutatur inspiciendo *Philos.* VIII. 6, 19 (2) et X. 25 : ubique enim auctor Montanum cum Priscilla et Maxima conjungit. *c.* Præterea quod auctor *Philos.* satis breviter loquitur de erroribus Montani, facile explicatur ex ipsius scopo : ibi enim non poterat præstare id quod semper prosequitur, ostendere nimirum hæreticorum placita desumpta esse ex doctrinis gentilium. — Unde tandem *d.* ex reprehensione Montani quæ, sicut aliorum hæresiarcharum, habetur apud auctorem nostrum, potius concluditur *Philos.* non posse tribui Tertulliano.

14. 5° Tertullianus sæpe in philosophos ethnicos solebat invehi (3).

R. Auctor noster non adeo in hos invehitur, sed ostendere conatur hæreticos ab ipsis sua dogmata mutuatos esse. — Ceterum philosophorum gentilium opiniones irriserunt et multi alii scriptores ecclesiastici.

15. 6° Tertullianus admisit errores similes erroribus auctoris *Philos.* circa generationem Verbi divini (4).

R. Similes errores vel non satis accurati modi loquendi magis perspicue etiam occurrunt apud Hippo-

(1) Cfr. Test. **2, 3, 5** (Append. pagg. **43, 44**).
(2) P. G. t. XVI. pp. 3347, 3365.
(3) Cruice, p. 126.
(4) Cruice, p. 127.

lytum, speciatim in ejus tractatu contra hæresim Noeti (1).

§ 2. De argumento proposito apud de Rossi.

16. Aliud argumentum præter hucusque recensita, illudque non levissimum, pro sententia quæ Tertullianum auctorem *Philosophoumenon* facit, confici potest ex iis quæ in suo *Bullettino* passim indicat DE ROSSI. Imprimis scilicet advertit Praxeam, contra quem Tertullianus librum scripsit, eumdem probabilissime esse cum Epigono illo de quo loquitur auctor *Philosophoumenon* (2), quod probat conferendo (3) ea quæ apud hunc auctorem leguntur de Epigono et quæ apud Tertullianum de Praxea, simulque refutans sententiam HAGEMANN, qui Praxeæ nomine ipsum Callistum a Tertulliano designari putavit (4). — Inde non pauca notat quæ mirum in modum similia leguntur apud Tertullianum et apud auctorem *Philos*. Sic

17. 1° Tertullianus *Adversus Praxeam* (5) cap. 1 :
- Praxeas (ait) primus ex Asia hoc genus perversitatis
- [hæresim Noetanam] intulit Romæ... Fructificarunt
- avenæ praxeanæ, hic quoque *superseminatæ*, dor-
- mientibus multis *in simplicitate doctrinæ* (6), *tra-*
- *ductæ deinde per quem Deus voluit, etiam evulsæ*
- *videbantur*. Denique caverat pristinum doctor de

(1) Cfr. supra Cap. IV. N. 59.
(2) IX. 7. (Append. pag. 16 extr.)
(3) *Bullett.* an. 1866, p. 68-72.
(4) *Die Römische Kirche*, etc. p. 234 sqq. — Cfr. ARMELLINI, p. 60 sqq., 91 sqq.
(5) P. L. t. II. p. 154 sqq.
(6) Cfr. cap. 3 : « Simplices quique, - ne dixerim imprudentes et idiotæ... - expavescunt ad œconomiam, » ad doctrinam de Trinitate scilicet quam propugnabat Tertullianus.

- emendatione sua, et manet chirographum apud Psy-
- chicos (1), apud quos tunc res gesta est; *exinde*
- *silentium*... Avenæ vero illæ utique tunc semen
- excusserant. *Ita aliquamdiu per hypocrisin subdola*
- *vivacitate latitavit et nunc denuo erupit*. Sed et
- denuo eradicabitur, si voluerit Dominus. - Quæ omnia mire concordant cum iis quæ refert auctor *Philos*. IX. 7 (2), ubi Epigonus, discipulus Noeti, dicitur Romæ degens *superseminasse impiam illam sententiam*, Zephyrino, viro *indocto et illitterato*, illi *conniveute*, ipse autem auctor noster hæresi restitisse et Pontificem ac diaconum ejus coarguisse et invitos coegisse veritatem confiteri : - qui ad tempus quidem
- pudentes et a veritate coacti confitebantur, paulo
- post autem ad idem cœnum revolvebantur. - — Quod autem multo moderatior est sermo in libro adversus Praxeam quam in *Philos*. et speciatim quod nomina eorum qui impugnantur in illo suppressa sunt, non ita difficile explicatur, etiamsi idem supponatur auctor, si advertatur scilicet librum adversus Praxeam conscriptum esse ante Pontificatum Callisti, quando nondum ita exarserant iræ adversus eum et quando spes adhuc erat adversariis doctrinæ Zephyrini et Callisti quosdam, quos secum consentientes non habebant, ad suas partes adducendi (3) : quos non nimis offendere nec infamare imprimis referebat.

(1) I. e. Catholicos.

(2) Cit. Append. pag. 16 extr.

(3) Quod circa Sabellium tentatum et speratum fuisse satis significat auctor *Philos*. IX. 11 (Append. pag. 46).

18. 2° Auctor *Philos*, IX. 11 extr. et IX. 12 med. (1) queritur quod Callistus ipsum *ditheum* vocaverat. Similis querela reperitur apud Tertullianum, *Adv. Praxeam* cap. 3 : « Numerum et dispositionem trinitatis » divisionem præsumunt unitatis.... Itaque duos et tres » jam jactitant a nobis prædicari. »

19. 3° Vix ullum discrimen habetur inter ea quæ refert auctor *Philos*. IX. 12 med. (2) de doctrina adinventa a Callisto et ea quæ exponit Tertullianus de doctrina quæ docetur a schola Praxeæ *Adv. Praxeam* capp. 27, 29; ubi : « (Distinctionem Patris et » Filii) (ait) ad suam sententiam interpretari conantur, » ut æque *in una persona* utrumque distinguant, Pa» trem et Filium; dicentes Filium carnem esse, id est » hominem, id est Jesum; Patrem autem Spiritum, id » est Deum, id est Christum.... Directam blasphe» miam in Patrem veriti, diminui eam hoc modo spe» rant, concedentes jam Patrem et Filium *duos esse*, » si Filius quidem patitur, Pater vero compatitur. »

20. 4° Denique et allusionem satis perspicuam ad primam partem historiæ Callisti reperire licet in his verbis Tertulliani libri de *Pudicitia* extr. : « Alii ad » metalla confugiunt, et inde communicatores [litteras » communionis lapsis dantes] revertuntur, ubi jam » aliud martyrium necessarium est delictis post mar-

(1) Append. pagg. **46, 48** extr. (2) Append. pag. **48** extr.

» tyrium novis. Quis martyr seculi incola, denariis » supplex, medico obnoxius et fœneratori? » (1)

12. Certe negari non potest ex his omnibus jam longe majorem probabilitatem accessisse opinioni quæ *Philosophoumena* attribuit Tertulliano. Ut minimum, ex iis concludendum omnino videtur Tertullianum, qui forte Romæ degit tempore pontificatus Zephyrini, cum auctore *Philos.* consensisse adversus Callistum; imo vix videtur explicari posse tanta concordantia quantam perpeximus inter locos quosdam libri IX *Philos.* et librorum Tertulliani *Adversus Praxeam* et *de Pudicitia*, quin supponatur alter cum altero sensus suos communicasse. Attamen ultra hanc suppositionem non esse procedendum nec recedendum a sententia quam supra proposuimus de Hippolyto, suadent tum argumenta quibus hæc sententia probata est, tum ea quæ hujus Cap. VI. Art. I et II allata sunt adversus sententiam quæ *Philos.* auctorem Tertullianum supponit.

(1) P. L. t. II. p. 1027.

CAPUT VII.

UTRUM PHILOSOPHOUMENA TRIBUI POSSINT NOVATIANO (1).

—

1. Præcipua argumentatio P. Armellini in hoc versatur, ut probet schisma istud, cui se præfuisse signi-

(1) De Novatiano hæc habet ***a.*** Hieronymus *De viris illustr.* cap. 70 : « Novatianus, Romanæ urbis presbyter, adversus Cornelium cathedram sacerdotalem conatus invadere, Novatianorum, quod græce dicitur *καθάρων*, dogma constituit, nolens apostatas suscipere pœnitentes. Hujus auctor Novatus Cypriani presbyter fuit. Scripsit autem de Pascha, de Sabbato, de Circumcisione, de Sacerdote, de Oratione, de Cibis Judaicis, de Instantia, de Attalo, multaque alia, et de Trinitate grande volumen, quasi ἐπιτομὴν operis Tertulliani faciens, quod plerique nescientes, Cypriani existimant » (P. L. t. XXIII. p. 681). — ***b.*** Philostorgius dicit Novatianum e Phrygum gente esse oriundum (*H. E.* VIII. 15. P. G. t. LXV. p. 568). — ***c.*** Pacianus (Ep. 2. ad Symp.) tradit eum, antequam Christo nomen aret, fuisse philosophum seculi (P. L. t. XIII. p. 1062). — ***d.*** Cornelius S. P. Epist. ad Fabium Antiochenum (ap. Euseb. *H. E.* VI. 43. P. G. t. XX. p. 623) refert eum adhuc catechumenum gravi morbo correptum, clinicorum baptismo fuisse initiatum; præterea, postea, exorta persecutione Deciana, recusasse officio suo presbyterali fungi, metu periculi. — En omnia quæ de Novatiano novimus ante ejus schisma. De iis autem quæ in schismate egit satis fuse habetur in Epist. Cornelii modo citata et ***e.*** in epistolis Cypriani. — Denique ***f.*** Socrates (*H. E.* IV. 28. P. G. t. LXVII. p. 537) ait eum martyrio obiisse in persecutione Valeriani : quod tamen non ab omnibus admittitur. — Videsis quæ de Novatiano disserit Lumper, *De script. PP.* t. XI. Hanc dissertationem inseruit Migne P. L. t. III. p. 861.

ficat auctor *Philos.*, non tempore Callisti S. P., sed post medium seculum III, triginta scilicet post annis, excitatum fuisse. Itaque imprimis contendit ea quæ habentur *Philos.* IX. 12, 13 (1) non omnia intelligenda esse de Callisto ejusque ætate, sed quædam de Callisto, alia vero de ecclesia Romana quam regebat Cornelius S. P. (post an. 251), quamque auctor *Callisti scholam* appellarit. « Quamquam enim ibi, ut in virulenta declamatione, historicum ordinem auctor non omnino sequatur, accurate tamen distinguit Callistum pontificem a Callisti schola, quæ ipsa est ecclesia romana Callisti magisterio instituta eademque post Callisti decessum in custodia traditæ doctrinæ perseverans. — Et sané, commemorata Callisti doctrina de Patre ac Verbo, de romana ecclesia per Callistum administrata sic ille scribit : *Talia conatus præstigiator ille....* Tum de Callisti discipulis statim subdit : *Nam si forte qui....* Quod postremum sane post Callisti pontificatum evenire potuit (2). — Inde ad Callistum regreditur auctor, ut ostendat, quod initio proposuerat, malorum originem ex illo esse repetendam. *Hic præcepit, tametsi....* — Hinc rursum ad Callisti discipulos redit scribens : *Cujus auditores delectati placitis....* — Denique, aliis Callisti decretis ad invidiam commemoratis, ita concludit : *Hæc igitur mirificentissimus Callistus...* » (3). = Illam autem auctoris nostri accusationum

(1) Append. pagg. **46-50, 17.**

(2) Potuit utique, sed id nequaquam indicatur.

(3) *De prisca refut.*, etc. cap. 26 (p. 106-108).

distributionem magis ingeniosam esse quam probabilem pauci, credo, diffitebuntur.

2. Deinde opinionem suam de ætate qua scripsit auctor noster directe ita probare nititur P. Armellini (1). Auctor *Philos.* IX. 13 : « Hujus viri [Callisti] » doctrina per totum mundum divulgata (ait), vir quidam astutus et pravitatis plenus, cui nomen Alcibiadis, habitans Apameæ Syriæ, postquam machinationem vidit,.... prodiit Romæ ferens librum, dictitans » hunc.... accepisse virum quemdam justum Elchasai... » (2). Theodoretus vero (3) : « Adversus hanc » hæresim [Elchasaitarum] vere (ait) scripsit Origenes; eam vero Alcibiades ab urbe Syriæ Apamea » profectus propugnavit. » Denique ipse Origenes (4) : « Quidam, inquit, nuper advenit de se ipse magnifice » sentiens, utpote qui impiam et nefariam Helcesaitarum opinionem, quæ adversus ecclesiam recens coorta est, possit defendere. » — Ex his concludit P. Armellini, Alcibiadem illum, de quo auctor *Philos.*, esse eumdem cum hæretico Elchasaita de quo Origenes. Deinde ita pergit : « Quare superest ut videamus, intra quod spatium illam hæresim collocet Eusebius qui hoc Origenis testimonium posteritati servavit.... Jam vero Eusebius restitutam ab Alcibiade sectam inter annos tertii seculi quadragesimum sextum et quadragesimum nonum citra hæsitationem collocat. Nisi

(1) Ibid. cap. 27.

(2) Append. pag. 17.

(3) *Hær. Fab.* II. 7 (P. G. t. LXXXIII. p. 393).

(4) Ap. Eus. *H. E.* VI. 38 (P. G. t. XX. p. 599).

igitur graviora veterum testimonia eam chronotaxin emendari jubeant, non imprudenter arbitrabimur, intra illud triennium vel quadriennium Elchasaitarum hæresim ab Alcibiade propugnatam fuisse, » ac proinde *Philos*. post an. 251 conscripta esse.

3. At rursus istæ conclusiones satis gratuitæ et violentæ apparent. Etenim 1° Gratuito supponitur Origenes locutus esse de Alcibiade, et non alius quam Alcibiades hæresim Elchasaitarum excitasse iis locis ubi versabatur Origenes. 2° Nequaquam ita diserte tempus excitatæ rursus illius hæreseos definivit Eusebius. Nimirum, postquam (1) indicavit exordium imperii Philippi (2), agit de ultimis gestis et scriptis Origenis et de iis quæ ex his scriptis colligi possunt. Inter hæc itaque (3) refert : « Alius quoque tunc temporis error » exortus est, Helcesaitarum scilicet hæresis : quæ » quidem simul nata, simul exstincta est. Hujus mentionem facit Origenes in homilia ad populum qua » psalmum octogesimum secundum exponit, his verbis: Quidam, inquit, nuper advenit... » Certe hæc non sufficiunt ut dicatur Eusebius restitutam ab Alcibiade sectam inter an. 246 et 249 citra hæsitationem collocasse.

4. Subjungit P. Armellini quasdam suæ sententiæ confirmationes. Harum præcipuas hic exhibemus, subjungentes singulis brevem responsionem.

(1) *H. E.* VI. 34 (P. G. t. XX. p. 595).

(2) Qui obiit anno 249, et, secundum Eusebium (ibid. p. 599), septem annos regnavit.

(3) *H. E.* VI. 38 modo cit.

1° « Supervacaneum videtur immorari in conferenda Novatiani doctrina cum iis quæ scriptor hujus operis de Patre ac Verbo deque mutua utriusque hypostaseos habitudine. Adeo nempe similia sunt inter sesé, quæ leguntur in libro Novatiani *de Trinitate* (1) c. XXVII, atque in hac hæreseon confutatione IX. 12; quæque rursum hic X. 3 atque illic cc. XV, XXXI consignata sunt. » — R. Neque ista similitudo tanta est et non minor, imo major similitudo habetur apud Hippolytum.

5. 2° Novatianus, sicut auctor *Philos.*, cap. ult. sui libri de Trinitate, omnino silet de Spiritu S. — R. Positivi erroris circa doctrinam de Spiritu S. neque argui potest auctor *Philos.* (2) neque Novatianus, qui cap. 29 *de Trinitate* (3) hanc doctrinam recte omnino tradidit, quamvis uterque brevius de ea agat quam Patres sec. IV et V.

6. 3° Severitas autem disciplinæ circa pœnitentes communis fuit Novatiano cum Tertulliano et aliis schismaticis.

7. Ex his igitur concludendum videtur sententiam P. Armellini nulla probabilitate positiva gaudere, imo satis refutari ex eo quod nonnisi violenter admodum conciliari potest cum iis quæ habet auctor *Philos.* IX. 12 (4), et præterea argumento negativo satis valido, nimirum quod Cornelius S. P. in epistola sua ad Fabium

(1) P. L. t. III. p. 886 sqq.
(2) Cfr. supra Cap. IV. N. 66-70 (pag. 161).
(3) P. L. t. III. p. 943.
(4) Cfr. supra N. 1.

Antiochenum (1), ubi omnia congerit quæ Novatianum odiosum reddere possint, nihil omnino refert de simultatibus quas is jam antea, dum presbyter erat, contra Zephyrinum et Callistum SS. PP. exercuisset.

Jam itaque, ex iis quæ laboriosa hac dissertatione disputata sunt, omnino concludendum videtur, ex omnibus sententiis quæ circa auctorem *Philosophoumenon* propositæ sunt, longe probabilissimam, tum relative, tum etiam absolute, illam esse quæ famosum hoc opus attribuit Hippolyto, ob alia rectius scripta apud Patres inde a seculo IV tam frequenter laudato. Nihil autem incommodi quoad honorem ecclesiæ Romanæ inde consequi (cujus rei metus forte quosdam scriptores catholicos ab ea sententia admittenda deterruit) facile demonstrabit nunc aggredienda quarta Dissertatio.

(1) Ap. Euseb. *H. E.* VI. 43 (P. G. t. XX. p. 617).

DISSERTATIO IV.

DE ACCUSATIONIBUS AB AUCTORE PHILOSOPHOUMENON PROLATIS ADVERSUS CALLISTUM S. P.

—

PROŒMIUM.

1. Ex his accusationibus (1) præcipue exstitit nostris temporibus *Philosophoumenon* celebritas. Has exaggerando et prave interpretando, ecclesiam Romanam infamare conati sunt BUNSEN (2), WORDSWORTH (3), VOLKMAR (4), DE PRESSENSÉ (5), Car. DE RÉMUSAT et Alb. RÉVILLE (6). Eamdem vero adversus istorum calumnias egregie vindicarunt DÖLLINGER (7), CRUICE (8),

(1) Quæ leguntur *Philos.* IX. 7, 11, 12, 13 (Append. pag. **16, 46-50, 17**).

(2) Op. cit. Diss. III. Proœm. N. 6.

(3) Cit. ibid. N. 7.

(4) *Hippolytus und die Römische Zeitgenossen* (Zurich 1855).

(5) *Lutte entre Hippolyte et Calliste.* Paris 1856 (Extrait de la *Revue chrétienne*).

(6) *Revue des deux mondes*, 15 Juin 1863 et 15 Juin 1865.

(7) Op. cit. supra Dissert. III. Proœm. N. 9.

(8) Cit. ibid. N. 11.

ARMELLINI (1), LE HIR (2), DE ROSSI (3), HAGEMANN (4).

2. Et imprimis argumento generali auctori *Philosophoumenon* opponit Cruice silentium omnium scriptorum ecclesiasticorum et præterea factum electionis Callisti in Summum Pontificem, quod, præsertim si attendatur modus electionis illis temporibus usitatus (ubi scilicet ea non fiebat sine concursu totius cleri et etiam plebis christianæ), omnino conciliari non potest cum veritate eorum quæ adversus Callistum jactantur.

3. At quamvis inde jure concludatur non fuisse talem Callistum qualem eum depingit auctor noster, non tamen satis credibile fit ipsa facta ab ipso relata fuisse commentitia; præsertim si, secundum sententiam superiori Dissertatione assertam, opus *Philosophoumenon* tribuendum videatur Hippolyto. Fuit enim is vir doctus neque adeo improbus (quod satis ostendit sincera ejus conversio et martyrium). Præterea, quod præcipuum est, narrat apud coævos ea quæ in publica luce acta sint eo ipso loco ubi illa describit; de iis vero quæ pertinebant ad eam partem vitæ Callisti quæ magis occulta erat et ubi proinde multo facilius non pauca fingere potuisset admodum odiosa, omnino silet. Probabiliter itaque censendum est, ipsum mente

(1) Cit. ibid. N. 13.

(2) *Etudes relig.* Nouv. sér. t. VIII. 1866. pp. 163, 177.

(3) *Bullett. di Archeol.* an. 1866. p. 1. ssq.

(4) Op. cit. Diss. III. Procem. N. 10.

sincera hæc protulisse, quamvis præoccupata odio et sinistris de Callisto judiciis. Unde necesse videtur singula perpendere et, amotis interpretationibus quas auctor *Philosophoumenon* ex prava animi sui dispositione adjecerit, quid circa veram Callisti historiam inde colligi possit manifestare.

4. Examen istud in tria capita distribuemus. Quorum primum ea complectitur quæ Callistus egisse fertur ante Pontificatum Zephyrini; secundum vero, ea quæ Zephyrino S. P. usque ad suam in Pontificem electionem; tertium denique, ea quæ ipse Summus Pontifex non recte fecisse vel permisisse arguitur. Præterea quarto capite notabimus quæ ex ipsis auctoris nostri accusationibus in laudem ecclesiæ et Pontificum Romanorum eruere liceat.

CAPUT I.

DE IIS QUÆ EGIT ET PASSUS EST CALLISTUS ANTE PONTIFICATUM ZEPHYRINI (1).

—

1. Horum probabilissime non fuit Hippolytus testis oculatus, quum acta sint ante an. 200, quo tempore probabiliter versabatur apud Irenæum; præterea, etsi Romæ tunc adfuisset, certe non multum curasset ea quæ agebantur ab aliquo obscuro servo. Ea igitur accepisse censendus est e relatione asseclarum suorum et forte ipsius Carpophori, quem sectatorem illius fuisse facile persuasum erit consideranti paululum qua ratione de eo loquatur ejusque culpas dissimulet. — Quibus quasi præambuli loco notatis, in Hippolyti narratione tria præcipue examinanda occurrunt : 1. Fuga tentata a Callisto post rem argentariam infeliciter gestam. 2. Facinus ejus in synagoga Judæorum : propter quod flagellis cæsus et in Sardiniam deportatus est. 3. Ejus reditus Romam et Antii commoratio.

2. I. Quoad primum, advertisse sufficiat : 1° Non improbe, sed infeliciter argentariam fecisse refertur Callistus.

(1) *Philos.* IX. 12 init. (Append. pag. **46** extr. — **48** med.).

3. 2° Non valde mitem fuisse Carpophorum satis apparet ex sævitia qua paulo post erga Callistum usus est, quum scilicet eum e fuga retractum detruserit in pistrinum : quæ conditio miserrima erat, ut habetur ex descriptionibus veterum, et a domino christiano, præsertim servo item christiano, imponi potuisse sine gravi culpa, vix quisquam crediderit. Unde satis explicatur metus Callisti post deperditam domini pecuniam, ac inde ejus fuga.

4. 3° Gratuito supponit Hippolytus Callistum desiluisse e navi, non ad quærendam aliquo modo salutem, sed ad abjiciendam vitam : unde enim id scire potuerit ?

5. II. Quoad secundum, prænotandum est : *a.* plurimum interfuisse inimicorum Callisti martyrii laudem ipsi præripere. *b.* Non ita a dissimulatione abhorruisse Carpophorum, ut colligitur ex eo quod coram Fusciano præfecto negavit Callistum esse christianum, dum tamen antea « ei, *quippe fideli,* pretium non parvum concredidit » (1).

6. Jam, si consideramus nuda facta quæ Hippolytus ex relatione Carpophori et aliorum accepit, illud solum habemus, Callistum sabbato ivisse ad synagogam Judæorum et ab his afflictum verberibus, deinde abreptum esse ad tribunal Fusciani et accusatum quod eorum ritus religiosos turbasset : quare severissime eum damnavit Fuscianus.

(1) Append. pag. 46 extr.

7. Hippolytus autem et admittit veritatem accusationis Judæorum et affirmat Callistum id egisse ex desperatione quadam, ut vitam abjiceret, idque cum laude martyrii. Verum, quod spectat ad hanc intentionem Callisti, quomodo iterum eam Hippolytus nosse potuit? Cur, si eam habuisset Callistus, non potius aliquam aram idolorum evertit vel aliud simile facinus commisit, quod et magis ex zelo christianæ religionis profectum videretur et certius damnationem capitis inferret? Sciebat profecto se non ideo capitis damnatum iri quod aliquos clamores edidisset in synagoga Judæorum.

8. At facilem explicationem illius facti Callisti præbet ipsa narratio Hippolyti. Nimirum statim antea, dum de Callisti liberatione e pistrino egit, retulit eum dixisse « se pecuniam apud quosdam conditam ha- » bere » (1). Vix inde dubitari potest eum synagogam Judæorum adiisse ad repetendas pecunias quæ ipsi debebantur ab aliquibus eorum, quorum forte perfidia antea causa fuerit dissolutionis ejus argentariæ, quosque quum in eorum domibus convenire non posset, coram ipsorum principibus et sacerdotibus interpellare statuerit, si forte ita eos ad persolvenda debita posset adigere. Judæi autem miserum servum male mulctaverunt et, ut alias cum christianis factum legimus, eum rapuerunt ad tribunal Præfecti, quem probabiliter christiano nomini infensum noverant.

(1) Append. pag. 47 med.

9. Id ultimum enim satis colligitur ex exaggeratione ridicula, quæ reperitur in accusatione Judæorum et ex sententia, quam secundum illam tulit Fuscianus. Nam quod humilis aliquis servus in synagoga eorum inclamasset se christianum esse, non erat ratio cur ea gravitate quererentur violatam ipsorum libertatem patrios ritus exercendi : satis erat illum extrudere et dominum ejus monere ut eum contineret. Sed et manifeste ultra omnem modum severa fuit sententia Fusciani, qui certe officio suo affatim satisfecisset Callistum flagellis cæsum domino ejus tradendo. — Itaque rursus ex ipsa narratione Hippolyti concludendum videtur revera christianæ professionis nomine Callistum damnatum fuisse.

10. III. Quoad tertium : 1° Facile admitti potest nomen Callisti, obscuri scilicet servi, casu prætermissum esse inter ea quæ Victor Marciæ tradidit. Id autem data opera factum fuisse rursus est maligna interpretatio inimicorum Callisti.

11. 2° Et idem facile supponendum de humilibus iis precibus quas a Callisto adhibitas Hippolytus adeo exaggerat « ut et ipse dimissionem acciperet. »

12. 3° Idem denique certius etiam dicendum ubi asseritur Victor Callisti reditum molestissime tulisse. Quum enim simul id dissimulasse dicatur, undenam illud nosse potuit Hippolytus? Imo ratio agendi Victoris ostendit potius Callistum ab eo in magna existimatione habitum esse. Vix enim dubitari potest

Callistum tunc clero adscriptum fuisse et clericali alicui muneri præfectum (1). Quum enim statim inferius legamus eum post obitum Victoris a Zephyrino hujus successore præpositum fuisse clero Romano (seu præstantissima dignitate archidiaconi ornatum) et deputatum ad custodiam cœmeterii, inde satis habetur ipsum jam Victore S. P. varios clericalis officii gradus cum laude percurrisse. Id autem callide dissimulat Hippolytus, solummodo dicendo menstruum ei victum fuisse assignatum.

(1) Ad illud autem quod dicitur de Carpophoro, eum scilicet obstitisse ne Callistus Romæ commoraretur, advertendum nullum jam ipsi in Callistum jus fuisse, quum lex Romana pronuntiaret : « Servos in metallum, » vel in opus metalli, item in ludum » venatorium dari solere, nulla dubi- » tatio est : et si fuerint dati, servi » pœnæ efficiuntur : nec ad eum per- » tinebunt cujus fuerint antequam » damnarentur. Denique cum qui- » dam servus, in metallum damna- » tus, beneficio Principis esset jam » pœna liberatus : Imperator Anto- » ninus rectissime rescripsit, quia » semel domini esse desierat servus » pœnæ factus, non esse eum in po- » testatem domini postea redden- » dum. » *Dig.* lib. 48. tit. 19. l. 8. § 12. — Itaque non jure domini, sed odio egit Carpophorus adversus Callistum.

CAPUT II.

DE IIS QUÆ EGIT CALLISTUS ZEPHYRINO S. P. (1)

—

1. Ex assumptione Callisti in eminentem locum archidiaconi seu præpositi clero Romano satis (ut jam indicavimus Num. sup.) manifestatur, præteritam ejus vitam talem fuisse, ut maxime eum apud omnes commendaret, et speciatim ejus deportationem in Sardiniam existimatam fuisse verum martyrium et clericalia munera ab ipso præclare omnino administrata esse. Secus enim :

1° Non intelligitur qua ratione adduci potuerit Zephyrinus ut adeo eveheret virum obscurum, qui ex eleemosynis ecclesiæ vitam sustentaret et profecto ex conditione sua non multum gratia valeret apud divites et potentes. Præterea

2° Neque intelligitur qua ratione clerus Romanus, qui, ut ex epistolis Cypriani colligitur, tanta existimatione gaudebat et, vacante sede Pontificali, administrationem ecclesiæ tam firma manu suscipiebat, sine cujus consilio et consensu nihil alicujus momenti agi solebat a RR. PP., cui proinde honorem suum summo

(1) *Philos.* IX. 12 med., 11 (Append. pagg. 48 med., 46).

studio tueri in primis curæ esse debuit; non intelligitur, inquam, qua ratione passus esset ut sibi præficeretur vir ille qui tanta infamia ex præcedenti vita onustus depingitur. Neque enim ab ullo contra hanc tam splendidam Callisti evectionem reclamatum esse Hippolytus memorat : quod utique non omisisset, si aliquid hujusmodi potuisset jure asserere. — Denique 3° Callistum omnibus acceptum fuisse et in ipso munere quo sub Zephyrino functus est præclare se gessisse, testatur ejus electio in Summum Pontificem post obitum Zephyrini, unanimi consensu cleri et populi. Unanimi, inquam : nam rursus, si adfuisset contradictio quædam alicujus momenti, id memorare non omississet Hippolytus, qui toti rei certe interfuit (1).

2. Accusationes autem ab Hippolyto contra Callistum prolatæ circa hanc partem hujus vitæ, ad has reducuntur :

I. Quod, malitiæ callidus cum esset et vafer ad seducendum atque episcopi cathedram venaretur, Zephyrini favorem obtinuerit in omnibus ipsi adulando. — Hujusmodi autem generalis accusatio satis ordinario

(1) Imo et satis diserte hunc unanimem favorem et benevolentiam erga Callistum indicat Hippolytus dum ait : « omnes ejus dissimulationi assentiebant, nos autem non » (*Philos.* IX. 11 extr. Append. pag. **46** extr.). — Et hic etiam obiter adverti potest et sinceritas Hippolyti, quum de electione Callisti agens nullum factum vel circumstantiam commentus sit quo suum schisma excusaret, et vehementia ejus odii, unde, nedum Callisti merita ullo modo fateatur, neque aperte dicit eum in Summum Pontificem electum esse, sed invidiosa quadam paraphrasi ad id significandum utitur (« post Zephyrini obitum arbitratus se esse nactum quod venabatur. » Append. pag. **48** med.).

contra eos qui gratia principis valent, ab eorum inimicis et æmulis jactari solet.

3. II. Quod Zephyrinum pecuniæ avidum donis demulserit. — Non utique ex suis pecuniis, quum nullas haberet. Nihil aliud igitur hic significari supponi potest quam industrium studium positum a Callisto in colligendis eleemosynis. Jam vero hujusmodi cura et ad officium ejus omnino pertinebat et ex epistola Cornelii S. P. ad Fabium Antiochenum circa med. sec. III scripta (1) cernere licet quanti momenti ea esset in ecclesia Romana illo tempore. Facile autem potuit adversarius qui omnia sinistre interpretabatur, eam vitio vertere et tamquam avaritiam et cupiditatem sugillare (2).

4. III. Quod, non recte sentiens circa doctrinam de SS. Trinitate, Zephyrinum induxerit ad erronea et contradictoria circa eam profitenda coram populo. — At contra duplex illa formula, quam ut a Zephyrino prolatam citat Hippolytus ad probandam suam accusationem, demonstrat Zephyrinum mediam et veram viam tenuisse inter duos errores contrarios qui tunc spargebantur, alterum nimirum eorum qui consubstantialitatem divini Verbi cum Patre negabant vel

(1) Cit. sup. Diss. III. Cap. IV. N. 27 (pag. 126).

(2) Arguitur præterea Zephyrinus quod fuerit indoctus et definitionum ecclesiasticarum ignarus (*Philos.* IX. 11 init. Append. pag. 46). Sed nihil concludi potest ex hujusmodi acusatione generali prolata ab adversario cujus opinionibus contradixit Zephyrinus et qui revera facile supponi potest eruditione præstitisse.

non satis salvabant (quibus accensendus videtur auctor noster) et, quum simul tamen Jesum Christum verum Deum profiterentur, merito *dithei* vocari poterant; alterum eorum qui negabant veram trinitatem personarum, seu personas quasi modalitates quasdam Dei quoad substantiam et subsistentiam unici esse asserebant, et inde consequenter dicebant revera Deum Patrem passum esse in cruce. Contra utrosque igitur Zephyrinus, dum ex una parte affirmabat Deum illum qui pro salute hominum homo factus et in cruce passus est non alium esse a Deo vero et unico qui mundum creavit, ex altera vero non Patrem passum esse, sed Filium, simul secundum catholicam doctrinam et perfectam unitatem divinæ naturæ et distinctionem realem personarum tuebatur : hæc autem facile contradictoria videbantur illi qui perfectam consubstantialitatem personarum cum earumdem reali distinctione conciliari non posse existimaret.

CAPUT III.

DE IIS QUÆ EGIT CALLISTUS SUMMUS PONTIFEX.

—

1. Imprimis advertendum : 1° Ex iis quæ invidiose sæpius repetit Hippolytus (1) satis colligi magnam sibi fidelium benevolentiam conciliasse Callistum. 2° Nihil de ejus privatis moribus sinistri referri, nihil de ejus superbia, de ejus fastu; neque intemperantiam et solutiorem vivendi modum illi affinxit Hippolytus. Quæ omnia eodem seculo (circa an. 270) in Paulo Samosateno notarunt Patres Concilii Antiocheni (2), neque in Callisto notare omisisset Hippolytus, si quis ejusmodi accusationibus locus fuisset.

2. Multis tamen ceteroquin nominibus eum arguit. Nimirum

I. Carpit illum quod varie et subdole egerit cum Sabellio. Sed ex iis quæ de hac re habet, satis apparet Callistum cum Sabellio egisse solito sapientissimorum Pontificum more, qui errantes in fide persuasione primo

(1) « Erat igitur præstigiator... » (*Philos.* IX. 12 med. Append. pag. 48 post med.) et cetera hujusmodi.

(2) In sua Epist. Synod. ap. Euseb. *H. E.* VII. 30 (P. G. t. XX. p. 709).

ad recte sentiendum adducere conantur, ubi autem pertinaces eos compererint, solemni sententia ab ecclesia rescindunt (1).

3. II. Eum traducit tamquam hæreticas doctrinas professum. — Satis difficilis est hic locus in textu quem habemus, quum ibi in eadem phrasi (2) dicatur Callistus asseruisse Patrem unam esse personam cum Filio, et statim post referatur omnino contradictorium. Quod forte explicari potest supponendo Hippolytum, dum ait Callistum docuisse « hanc personam, quum una sit, non posse esse duas, et Patrem compassum esse cum Filio, » non tam ipsam ejus doctrinam retulisse quam id quod sibi ex hac doctrina (circa consubstantialitatem utriusque personæ) necessario consequi videbatur. Vel forte emendandus est textus (3). Ceterum ex eo, etiam sicut nunc jacet, satis manifestum est Callistum, sicut Zephyrinum, docuisse, et Filium non esse *aliud* a Patre et Patrem non esse passum neque unam personam cum Filio.

4. Aliæ accusationes Hippolyti versantur circa disciplinam ecclesiasticam, quam a Callisto pessumdatam esse contendit. Videlicet

(1) Quod autem asseritur ab Hippolyto, ipsius scilicet metu Callistum devenisse ad damnandum Sabellium, satis absonum apparet : nam potius eum timere poterat Callistus ante suam electionem, non autem ubi id quod, secundum Hippolytum, venabatur assecutus est. Præterea metus iste non facile conciliatur cum iis quæ paulo infra referuntur, ubi Pontifex dicitur adversarium suum aperte coram populo ditheismi insimulasse.

(2) *Philos.* IX. 12 med. (App. p. 48).

(3) Vid. Le Hir (*Etudes Théologiques*, tom. cit. pag. 292. not.).

III. Arguitur Callistus quod dixerit « omnibus a se dimitti peccata. » Advertendum autem :

1° Non dici peccata remissa fuisse sine pœnitentia. Unde

2° Omnino recte id pronuntiatum esse a Callisto, et iis tantum displicere potuisse qui peccatis quibusdam exclusionem perpetuam a communione ecclesiastica importari vellent (1).

5. IV. « Si forte qui apud alium quem congregatur » et christianus vocatur quid peccaverit, aiunt, non » imputatur ei peccatum, modo Callisti scholæ acce- » dat » (2). — Videtur hic accusari Callistus quod hæreticos vel schismaticos ad ipsius ecclesiam transeuntes, quamvis aliorum præter hæresim aut schisma gravium peccatorum reos, etiam sine pœnitentia ad communionem admiserit. Ut autem fundamentum hujus accusationis percipiatur, recolendum est discrimen quod ponebatur inter eos qui nunquam ad veram ecclesiam pertinuissent (sive quia in hæresi nati erant sive ad eam ex idololatria transgressi) et eos qui ab ecclesia discesserant ad hæresim. Multo scilicet mitius agi consueverat cum prioribus neque inquiri in peccata quæ commiserant ante suam accessionem ad ecclesiam, sicut etiam fiebat quoad istos qui ab idololatria ad veram fidem convertebantur. At severius agebatur cum posterioribus, qui fuerant veri apostatæ : hi enim

(1) Cfr. supra Diss. III. Cap. VI. N. 12 (pag. 178).

(2) *Philos.* IX. 12 post med. (Append. pag. 49).

non admittebantur nisi post peractam pœnitentiam, tum de sua defectione, tum de aliis peccatis quæ forte commisissent. — Verba autem Hippolyti satis explicantur si intelligantur de prioribus (1).

6. V. « Hic præcepit, tametsi episcopus peccet, » etiamsi ad mortem, eum non oportere loco suo mo- » veri » (2). — Quid proprie intelligatur hic illa voce *peccatum ad mortem*, utrum scilicet omnia peccata mortalia, an illa sola quæ si commisisset laicus, a communione ecclesiæ separabatur, difficile videtur definire. At

a. Si in priori sensu intelligatur, recte utique præcepit Callistus ut propter quodlibet hujusmodi peccatum non deponeretur episcopus. Quantæ enim turbæ in ecclesiis exstitissent, si, aliquot testibus asserentibus peccatum aliquod mortale ab episcopo esse commissum, is statim deponendus fuisset. Videmus hoc seculo factiones et schismata gravissima orta esse in ecclesia Carthaginensi contra S. Cyprianum et in Romana contra S. Cornelium. Quam plura exstitissent si ad petendam depositionem episcopi satis fuisset ipsum accusare alicujus peccati mortalis.

b. Sed et si altero sensu intelligatur, etiam imprudens fuisset generali regula statuere episcopum in ea

(1) Fortassis etiam Callistus prudenti œconomia dissimulavit culpam eorum qui Sabellio aut alii hujusmodi viro aliquamdiu adhæserant, quando scilicet eorum hæresis vel schisma nondum ita manifestum erat.

(2) Loc. cit.

delapsum deponendum esse. Nam et hæc peccata in quibusdam ecclesiis satis multiplicia erant. En quænam enumeret TERTULLIANUS (1) : « Perit igitur et fidelis » elapsus in spectaculum quadrigarii furoris et gla- » diatorii cruoris et scenicæ fœditatis et xysticæ » vanitatis, aut si in lusus, in convivia secularis so- » lemnitatis, in officium, in ministerium alienæ idolo- » latriæ aliquas artes adhibuit curiositatis, si in verbum » ancipitis negationis aut blasphemiæ impegit. Ob tale » quid extra gregem datus est vel et ipse forte ira, » tumore, æmulatione, quod denique sæpe fit, denega- » tione castigationis abrupit. » Scripsit quidem hæc Tertullianus Montanista; attamen hujusmodi disciplinam etiam apud catholicos viguisse concluditur ex eo quod Tertullianus inde argumentum, ut aiunt, ad hominem contra ecclesiam catholicam desumebat. Rursus quot turbis occasio data fuisset si crimen aliquod hujus generis episcopo imputatum satis fuisset ut is a sua dignitate et munere excidisse judicaretur. — Sapientissime itaque noluit Callistus ut istiusmodi generalis regula adhiberetur, sed in quovis casu particulari examinandum censuit num objecta episcopo crimina ea essent quæ depositionem ejus exigerent.

7. Aliam explicationem admodum probabilem proposuit DE ROSSI (2). Advertens scilicet in græco textu (pro verbo *præcepit*, quod habetur in ver-

(1) *De Pudicitia*, cap. 7 (P. L. t. II. p. 993).

(2) *Bullettino*, an. 1866, p. 31.

sione latina initio hujus Num. relata) haberi vocem ἐδογμάτισεν, existimat hic non agi de regula aliqua disciplinari, quam statuisset Callistus, sed de sententia dogmatica, qua refutavit eos qui jam profitebantur opiniones quas postea amplexi sunt Novatiani et Donatistæ : aiebant scilicet episcopum qui aliquod scelus commisisset propter quod deponendus erat, jam extra ecclesiam esse, etiamsi scelus occultum et nullum de eo institutum esset judicium, et sacramenta ab eo administrata nullius esse valoris. Quam Callisti doctrinam auctor *Philos.* pro more suo maligne nimis interpretatus sit. — Et hanc explicationem accommodat de Rossi duabus sequentibus accusationibus circa presbyteros bigamos et circa clericos uxoratos, eamque optime confirmat ex parabolis quas a Callisto ad suam sententiam probandam allegatas refert auctor *Philos.* : hæ enim secus omnino insulsæ essent et nequaquam ad rem de qua agebatur pertinentes, quum contra earum ratio optime intelligatur in explicatione mox proposita, et iisdem postea usi sunt auctor Anonymus adversus Novatianum (1) et Augustinus adversus Donatistas.

8. **VI.** « Hujus ætate inceperunt episcopi et presbyteri et diaconi bigami et trigami in ordines adsc isci. » — Antiqua ecclesiæ lex est, ut ad sacros ordines non admittantur ii qui aliquo modo bigami

(1) P. L. t. III. p. 1205.

fuisse dici possunt. Hanc autem transgressus esse videtur hic referri Callistus. Sed

1° Advertendum non dici hujusmodi homines in clerum adscitos fuisse ab ipso Callisto, sed *hujus ætate* : quasi Romano Pontifici imputari possint omnia ea quæ ipsius tempore in quibusdam ecclesiis fiant.

2° Etiamsi censeretur id consentiente vel tolerante Callisto factum esse, non tamen ideo statim culpandus foret. Etenim primis seculis aliquod dubium erat circa sensum illius legis. Nam *Canon Apostolorum* 16 (1) videtur illam limitare ad eos qui *post baptismum* bigami fuissent. Eamque sententiam secuti sunt passim Græci et admittebat etiam HIERONYMUS, ut habetur ex ejus epistola 59 (al. 83) ad Oceanum. Ubi (n. 2) : « Nosti (ait) problema tuum. Carterius Hispaniæ episcopus, homo et ætate vetus et sacerdotio, unam antequam baptizaretur, alteram post lavacrum, priore mortua, duxit uxorem; et arbitraris eum contra Apostoli fecisse sententiam, qui in catalogo virtutum episcopum *unius uxoris virum* præceperit ordinandum. Miror autem te unum protraxisse in medium, quum omnis mundus his ordinationibus plenus sit : non dico de presbyteris, non de inferiori gradu; ad episcopos venio, quos si singillatim voluero nominare, tantus numerus congregabitur ut Ariminensis Synodi multitudo superetur.... [n. 5] Proferuntur ergo Apostoli epistolæ, una ad Timotheum, altera

(1) Al. 17. — MANSI, *Conc.* t. I. p. 51.

» ad Titum.... Certe de baptizatis Apostoli sermo» nem esse, nemo dubitat. Si ergo omnia quæ in or» dinatione quæruntur episcopi, non præjudicant » ordinando, licet ea ante baptismum non habuerit » (quæritur enim quid sit et non quid fuerit), quare » solum nomen uxoris impediat, quod solum peccatum » non fuit?... » (1)

9. VII. « Verum etiam si quis in ordine constitutus » matrimonium ineat, manere talem hominem in or» dine, quasi non peccaverit. » — Rursus non satis perspicue apparet quid proprie intendat Hippolytus in hac accusatione. Nimirum

1° Voce κλῆρος designatus fuit modo clerus universus, adnumeratis etiam presbyteris et diaconis, modo clerus inferior seu ii qui non essent initiati ordinibus sacris seu majoribus. Hoc posteriori sensu accipitur in *Can. Apost.* 55 : « Si quis clericus presbyterum aut » diaconum injuria affecerit, segregetur » (2). Item in

(1) P. L. t. XXII. p. 654. — Non satis accurate itaque loquitur Le Hir, dum asserit (*Etudes Théologiques*, tom. cit. p. 186 med.) : « Une telle explication, qui s'éloigne visiblement de la lettre et de l'esprit de la loi, n'eut jamais cours chez les latins. » — Adverti etiam potest non ita exaggerari sicut loco citato numerum bigamorum ad sacerdotium promotorum et multo moderatius opinionem hanc circa liceitatem hujusmodi ordinationum proponi ab eodem Hieronymo *Apol. contra Rufin.* I. 32. Ubi : « Audio præterea (ait) objici » mihi.... cur in baptismate dixerim » universa peccata dimitti, et mortuo » bimarito, novum virum in Christo » resurgere; atque istiusmodi sacer» dotes in ecclesiis esse *nonnullos*... » Hæc dicimus, non quod ipse, pro» pitio Christo, hac quæstione tenea» mur, sed interrogati a fratribus, » quid nobis videretur, respondimus, » nulli præjudicantes sequi quod ve» lit, nec alterius decretum nostra » sententia subvertentes » (P. L. t. XXIII. p. 424).

(2) Mansi, *Conc.* t. I. p. 42.

canonibus Conc. Laodiceni (an. 320) clerici distinguuntur ab ἱερατικοῖς (1). Et AMBROSIUS Epist. 63. c. 64 : « Sed » prius cognoscamus (ait), non solum hoc Apostolum » de episcopo et presbytero statuisse, sed etiam Patres » in Concilio Nicæno tractatus edidisse, neque clericum » quemquam debere esse, qui secunda conjugia sorti» tus sit » (2). — Jam in præsenti accusatione agi de clero inferiori concludi forte potest ex eo quod Hippolytus superiores ordines non distinctius indicat; quod utique non videtur omissurus fuisse, si Callistus tam indulgentem se præbuisset erga diaconos et presbyteros : certe in accusatione præcedenti diserte recensentur episcopi, presbyteri et diaconi. In quibusdam autem ecclesiis non admittebantur clerici ad ordinem acolythorum, neque a fortiori ad subdiaconatum, nisi prius continentiam professi essent; in aliis vero permittebatur usus conjugii etiam subdiaconis, imo et quibusdam in locis etiam diaconis, modo ante ordinationem suam professi essent se continentiam servare non posse (3). Forte igitur arguit Hippolytus Callistum quod is primam illam seu severiorem disciplinam,

(1) Cann. 27, 30, 41, 42, 54, 55 (MANSI, *Conc.* t. II. pp. 569, 572, 573).

(2) P. L. t. XVI. p. 1206.

(3) Conc. Ancyran. (an. 314) Can. 10 (al. 9) : « Diaconi quicumque ordi» nantur, si in ipsa ordinatione pro» testati sunt, et dixerunt velle se » conjugio copulari, quia sic manere » non possunt : hi, si postmodum » uxores duxerint, *in ministerio ma» neant,* propter quod eis episcopus » licentiam dederit. Quicumque sane » tacuerint, et susceperint manus im» positionem, professi continentiam, » et postea nuptiis obligati sunt, a » ministerio cessare debebunt » (MANSI, *Conc.* t. II. p. 525).

quæ erat ecclesiæ Romanæ, ubique urgendam tunc non existimaverit. — Præterea

2° Non satis perspicua sunt illa verba *manere in ordine* : potest nimirum id ita intelligi ut permissi sint munera sui ordinis exercere, vel ita tantum ut ex eo non dejicerentur turpi quadam degradatione, jussi tamen deinceps ab ejus exercitio abstinere. — Ceterum hanc laxiorem disciplinam a Callisto non fuisse approbatam, sed toleratam tantum, patet ex textibus S. Scripturæ qui ab eo in hanc rem citati ab Hippolyto referuntur. Et probabile est illos textus referendos etiam esse ad omnia ea quæ præcedunt et a Callisto prolatos esse generatim contra Hippolytum et alios illi similes, qui omnes eos qui in aliquod grave peccatum vel ecclesiasticæ disciplinæ transgressionem prolapsi essent, statim ab ecclesia separandos vel ab episcopali aut sacerdotali dignitate dejiciendos contenderent (1).

10. VIII. « Etenim et mulieribus permisit ut si » innuptæ essent flagrarentque amore ætate indigna » vel dignitatem suam perdere nollent legitimo matri- » monio, haberent unum, quemcumque eligerent, » concubinum, sive servum, sive liberum, eumque ha- » beret pro marito non legitime nupta » (2). — Scilicet (nihil enim aliud hic indicatur) Callistus permisit mulieribus ut matrimonium christianum inirent cum iis quibuscum secundum leges Romanas justas nuptias contrahere non possent, sed solummodo consociatio-

(1) Cfr. præterea supra N. 7.

(2) Append. pag. 49 extr.

nem inferioris ordinis, legibus quidem toleratam, non firmatam. In quo non arguendus est Callistus, sed laudandus, si habeatur ratio horum temporum, ubi mulieres christianæ nobiles tam difficile matrimonium legitimum (secundum leges civiles) absque magnis incommodis et periculis inire potuissent (1).

11. At **IX**. « Exinde mulieres, quæ dicebantur fideles, medicamenta tentare cœperunt quæ steriles faciunt, fasciasque ad partus abigendos, propterea quod nolebant e servo infantem habere neque a viro tenuiore propter gentilitatem nimiamque rem familiarem. » — Hoc sceleris genus communissimum erat apud Romanos iis temporibus, etiam in matrimoniis legitimis. Et forte subinde, quamvis raro, quædam etiam mulieres christianæ illud admiserunt. Sed profecto id non erat ratio sufficiens cur impedirentur nuptiæ quibus alias magna commoda procurabantur. Præterea num id præcaveri poterat recusando benedictionem nuptialem hujusmodi conjunctionibus? Nonne potius credendum eas quæ in matrimonio abortum procurarent, facile præterea fornicationi indulsuras fuisse, si innuptæ remansissent?

12. **X**. « Hujus ætate primo baptismus iteratus ab eis tentatus est. » — Habemus rursus indeterminatum modum loquendi *hujus ætate*. Profecto id auctoritate Callisti factum non esse certo colligimus ex

(1) Cfr. DÖLLINGER, *Hippolytus und Kallistus*, p. 177-180. — CHAMPAGNY, *Les Antonins*, t. I. p. 185.

Stephano S. P., qui triginta circiter post annis invocavit constantem traditionem ecclesiæ Romanæ pro validitate baptismi hæreticorum; neque Cyprianus et Firmilianus, qui nihil omiserunt ut vim hujus argumenti eliderent, quidquam innuerunt quo hanc traditionem ullo modo interruptam significarent. Sed revera Callisti ætate praxis rebaptizandi hæreticos recepta erat in ecclesia Africana et probabiliter etiam in Asianis (1).

(1) Cfr. infra Diss. V. Procem. II. N. 1.

CAPUT IV.

QUÆNAM EX HIS ACCUSATIONIBUS COLLIGI POSSINT IN LAUDEM ECCLESIÆ ET PONTIFICUM ROMANORUM.

—

1. **1°** Ex iis quæ refert Hippolytus de doctrina fidei a Zephyrino et Callisto plebi christianæ proposita (1) apparet, diserte et perspicue ab iis assertam esse Verbi divini æternitatem et consubstantialitatem. Profecto vix ullum tam clarum testimonium de hac consubstantialitate habetur apud Patres Antenicænos quam illud Callisti, qui ab auctore nostro refertur professus esse « non aliud esse Patrem, aliud Filium, sed unum » idemque esse.... Spiritumque in Virgine carne in- » dutum non esse aliud atque Patrem, sed unum » idemque. Et hoc esse quod dictum est : Non credis » quia ego in Patre et Pater in me est? »

2. **2°** Deinde præclarum testimonium præbet auctor noster ad probandam catholicam traditionem de auctoritate Romani Pontificis quoad definitionem dogmatum fidei. Queritur enim Callisti doctrinam brevi (2) per to-

(1) Cfr. supra Cap. II. N. 4 et Cap. III. N. 3.

(2) *Brevi,* inquam : nam Hippolytus scripsit *Philosophoumena* mox post obitum Callisti, isque quinque tantum annos rexit ecclesiam.

tum mundum divulgatam esse (1). Id certe non obtinuit Callistus per libros quibus eam suadere conatus sit : neque enim ullos libros scripsisse refertur, neque hi tam brevi tempore per totum mundum spargi potuissent. Ergo per auctoritatem qua gaudebat ut Pontifex, idque in toto orbe christiano.

3. 3° Idem dicendum de auctoritate Romanorum Pontificum circa disciplinam ecclesiasticam. Nimirum imputantur Callisto abusus quidam qui obtinuerant, non in ecclesia Romana vel in Italia, sed in ecclesiis remotioribus (2); imo et permissio illa matrimonii diaconis concessa, quam carpere videtur Hippolytus (3), in solis ecclesiis Orientalibus locum habuisse refertur (4). — Inde itaque colligi potest, ea ætate Romano Pontifici agnitam fuisse potestatem, imo et obligationem, invigilandi integritati disciplinæ per universam ecclesiam.

4. 4° Præterea ex accusatione contra Callistum prolata, quod constituerit episcopos qui peccarent, etiam ad mortem, propterea statim deponendos non esse (5) concluditur jam tum Romano Pontifici agnitum fuisse jus statuendi de episcoporum causis, eorum appellationes recipiendi depositosque restituendi. Secus enim omnino inane et inefficax fuisset hujusmodi decre-

(1) *Philos.* IX. 13 (Append. pag. 17).
(2) Cfr. supra Cap. III. NN. 8, 9, 12.
(3) Cfr. ibid. N. 9.
(4) Idem affirmant quidam de ordinationibus bigamorum (Cfr. ibid. N. 8); sed, ut monuimus (ibid.) refutantur ex testimonio Hieronymi.
(5) Cfr. ibid. N. 12.

tum ac proinde inanis etiam accusatio quæ ex eo desumitur.

5. Objicere forte aliquis posset Hippolytum hoc loco non usum esse verbo κελεύειν aut ὁρίζειν, quæ proprie præceptum seu decretum significant, sed dixisse tantummodo οὗτος ἐδογμάτισεν.... « Iste censuit...., » ac proinde hic non decretum aliquod Callisti, sed sententiam quam docuit indicari. — At *a.* Observat SUICERUS (1) in canonibus conciliorum satis frequenter δογματίζειν eodem sensu sumi quo ὁρίζειν (2). Jam vero *b.* Hoc sensu hic sumendum esse colligitur tum ex eo quod cetera quæ hic congerit auctor, tamquam Callisti auctoritate facta illi imputat; tum quod paulo infra suas accusationes concludens : « Hæc (ait) mirificentissimus Callistus condidit (συνεστήσατο); » tum denique quod secus admodum frigida esset ista accusatio : quid enim momenti habuisset illa sententia episcopi qui in alios episcopos auctoritate non valuisset, præsertim quum non esset prolata in aliquo concilio, sed in cœtu fidelium suæ ecclesiæ (ubi præterea vix occasio esse potuit hujusmodi sententiam proferendi)?

(1) *Thes. Eccles.* ad h. v.

(2) Ita etiam CHRYSOSTOMUS in Cap. I Galat. n. 1 (Opp. t. X. p. 658. P. G. t. LXI. p. 613) : « Petrus, Jacobus et Joannes hæc [circumcisionem et alios ritus Judaicos].... non prohibebant. Ceterum id faciebant, non quod ita faciendum esse decernerent... » ἀλλ' οὐ δογματίζοντες τοῦτο ἐποίουν.... — Et ZONARAS ad Concilium Chalcedonense : « Dioscorum et Eutychetem deposuit et anathemate feriit hæc sancta Synodus, quæ definivit (δογματίσασα) Dominum nostrum Jesum Christum perfectum Deum et perfectum hominem esse in duabus naturis citra divisionem et confusionem. »

6. 5° Ulterius inde concludi potest Romano Pontifici ea ætate agnitum fuisse jus condendi canones ecclesiasticos. Neque enim carpit Hippolytus insolentiam aut defectum auctoritatis legitimæ in Callisto (1), sed ipsum decretum reprehendit tamquam nimis laxum. Jam vero, si jura sua excedere non videbatur Romanus Pontifex decretum ferendo circa judicia episcoporum, certe a fortiori non denegabatur ei jus statuendi de aliis materiis disciplinæ ecclesiasticæ, quæ minoris sunt momenti.

7. 6° Præclarum deinde ex auctore nostro testimonium habetur antiquitatis legis cœlibatus impositi iis qui sacris ordinibus initiati sunt (2).

8. 7° Ex historia Callisti apparet quam parvi faceret ecclesia præjudicia et contemptum quæ vigebant apud ethnicos erga conditionem servilem : quum videamus servum illum non modo clero adscriptum, sed et illi præpositum et deinde electum in Summum Pontificem. Ita certe efficacissime, quamvis indirecte, procurabat emendationem institutorum circa servos.

9. 8° Denique et simile aliquid adverti potest circa matrimonia. Nimirum quum ex legibus Romanis ex una parte matrimonium legitimum multis impedimentis subjectum esset, ex alia vero nuptiæ illegitimæ ac

(1) Quem agere supponit ut Romanum Pontificem : « arbitratus [enim » erat] se esse nactum quod venaba» tur » (Append. pag. 48 post med.).

(2) Cfr. supra Cap. III. N. 9.

facile dissolubiles variis nominibus per easdem leges permitterentur, ecclesia has nuptias omnes ad dignitatem matrimonii veri et indissolubilis evehendo, tot et tantos abusus, qui contra castitatem morum ex illis institutis oriebantur, correxit quoad fideles et eorum emendationem generalem præparabat.

DISSERTATIO V.

DE CONTROVERSIA S. STEPHANI R. P. CUM S. CYPRIANO ET ALIIS CIRCA VALIDITATEM BAPTISMI AB HÆRETICIS COLLATI.

PROŒMIUM I.

DE DOCUMENTIS AD HISTORIAM HUJUS CONTROVERSIÆ SPECTANTIBUS DEQUE EORUM AUTHENTIA.

1. Quænam in hac controversia prolata sint a Stephani adversariis discimus ex ipsis eorum epistolis et actis synodalibus satis prolixis quæ integra ad nos pervenerunt. Habemus nempe epistolam synodicam a CYPRIANO suo et aliorum episcoporum provinciæ Africæ nomine missam ad Januarium et ceteros episcopos Numidas (1); ejusdem CYPRIANI epistolas ad Quintum, ad Stephanum, ad Jubaianum et ad Pompeium (2); FIRMI-

(1) Cypriani Epist. (secundum editionem Benedictinam) 70.

(2) Epist. 71, 72, 73, 74.

LIANI epistolam ad Cyprianum (1); et sententias episcoporum 87 ex provinciis Africa, Numidia, Mauritania, in Concilio Carthaginensi prolatas (2). — Quibus accedunt ea quæ de epistolis a DIONYSIO Alexandrino occasione illius controversiæ scriptis summatim refert EUSEBIUS in sua *Historia Ecclesiastica* (3) et quæ HIERONYMUS circa eamdem memorat in fine *Dialogi adversus Luciferianos* (4).

2. Amissam vero dolemus epistolam quam rescripsit STEPHANUS ad Cyprianum, præter paucas sententias ex ea ab adversariis citatas, et si qua alia ejusdem generis documenta extiterunt.

3. Aliquid etiam forte subsidii ad præsentem tractationem repeti potest ex Anonymi sec. III opusculo *de rebaptismate* (5); AUGUSTINI *De baptismo contra Donatistas* lib. II-VII, *Contra Cresconium* lib. II. cap. 31 sqq. et lib. III, *Contra Gaudentium,* lib. II et Epistolæ 93 (al. 48) ad Vincentium Rogatistam cap. 10 seu n. 35-45 (6); VINCENTII Lirinensis *Commonit.* I. 6 (7); ac BASILII Epistola canonica ad Amphilochium I (epist. 188, al. 1), can. 1 (8).

4. Scriptores nonnulli catholici ad evitandas diffi-

(1) Inter Cypriani Epist. 75.
(2) Inter opera Cypriani.
(3) Lib. VII. cap. 2-9.
(4) Documenta hucusque citata, quibusdam subinde sententiis minoris momenti propter nimiam prolixitatem omissis, collecta reperies infra in Append. H (pag. 51-80).
(5) P. L. t. III. p. 1184 sqq.
(6) P. L. t. XLIII. pp. 125 sqq., 489 sqq., 741 sqq. et t. XXXIII. p. 338 sqq.
(7) P. L. t. L. p. 645.
(8) P. G. t. XXXII. p. 668.

cultates quæ ab inimicis ecclesiæ et auctoritatis Pontificiæ desumi solent ex monumentis coævis vel supparibus modo (1) memoratis, authentiam horum monumentorum et ipsius facti veritatem negare maluerunt. Ita præcipue, præter Christ. LUPUM, qui solam Firmiliani epistolam apocrypham censuit (2), Raym. MISSORIUS, O. S. F. (3); TOURNEMINE, S. J. (4); M. MOLKENBUHR, O. S. F. (5); Wolfg. FROELICH, O. S. B. (6); Joan. Nepom. ALBER, O. M. D. scholarum piarum (7); ac denique nuper Ill. D. TIZZANI, archiepiscopus Nisibensis (8). — Quos refutarunt J. G. WALCH (9), J. H. SBARALEA (10), L. BERTI (11), J. B. PALMA (12), Ill. D. FREPPEL (13).

5. Et quidem fatetur Ill. D. Tizzani epistolas Cypriani et Firmiliani (quæ vulgo supponitur ab ipso Cypriano latine reddita) reperiri in multis, iisque vetustissimis, codicibus quibus usi sunt varii operum

(1) Supra N. 1.

(2) In schol. ad Tertulliani lib. *de Præscript.*

(3) Duplici dissertatione edita Venetiis an. 1733.

(4) *Conjectures sur la supposition de quelques ouvrages de S. Cyprien et sur la lettre de Firmilien.* In Periodico *Mémoires de Trevoux*, an. 1734, p. 2246.

(5) Duplici dissertatione (inserta P. L. t. III. p. 1357 sqq.).

(6) In *Inquisit. critica in H. E. Eusebii* edita Posonii an. 1808.

(7) *Dissertt. in selecta argum. Hist. Eccl.* tom. I (1820).

(8) *La celebre contesa fra S. Stefano e S. Cipriano.* Roma 1862. 8. — Gallice. Paris 1866. 8.

(9) Dissert. edita Ienæ an. 1738.

(10) *Germana S. Cypriani et Firmiliani opinio de hæreticorum baptismate.* Bononiæ 1741. 4.

(11) *De theologicis disciplinis*, lib. XXXI. cap. 13.

(12) *Prælectt. Hist. Eccl.* t. I. part. I. cap. 28.

(13) *S. Cyprien et l'église d'Afrique au IIIe siècle* (Paris 1865) p. 429 sqq.

S. Cypriani editores (1). Fatetur etiam epistolas istas omnino referre stylum Cypriani, earumque authentiam confirmari ex iis quæ leguntur apud Eusebium *Hist. Eccl.* VII. 3 (2) et apud Hieronymum in *Dial. adv. Lucifer.* (3). Attamen non satis inde comprobari censet easdem esse genuinas. Quippe *non repugnat* ut aliquis falsarius, e parte Donatistarum, admodum callidus, omnes illas confinxerit ineunte seculo IV, eo scopo ut sententiam suæ factionis circa baptismum ab hæreticis collatum tantæ auctoritatis præsidio tueretur, isque ita potuerit Cypriani dictionem imitari, etiam in his prolixis documentis, ut omnes deciperentur, et deinde aliqui librarii per fraudem vel ignorantiam ea commenta transcripserint inter genuina Cypriani opera, unde postea in alios codices, qui ad nos pervenerunt, transierint. Eamque suspicionem confirmari ait ex eo quod in iisdem codicibus et alia quædam continentur opuscula Cypriano attributa, quæ jamdudum unanimi eruditorum consensu vel admodum dubia vel certo apocrypha judicata sunt. — Inde itaque deceptus fuerit Hieronymus. Quod autem ad testimonium Eusebii attinet, et hoc existimat Tizzani Cæsariensis *Historiæ Ecclesiasticæ* Donatistarum dolo interpolatum, ejusque rei duplex profert indicium : alterum quod caput illud tertium libri septimi, in quo continetur mentio controversiæ, ita parum cohæret cum superioribus et sequen-

(1) Sic epistola Firmiliani habetur in codicibus saltem viginti sex. Vid. BALUZII not. ad hanc epist. P. L. t. III. p. 1153.

(2) Cit. Append. pag. 77.

(3) Cit. Append. pag. 79-80.

tibus ut facile prætermitti possit, quin Eusebianæ narrationis series ulla ratione manca aut hiulca appareat; alterum quod hoc loco notatur error historicus in quem certe non incidisset Eusebius, ubi nempe asseritur Cyprianus *primus* fuisse qui iis temporibus baptismum iterandum censuerit, quum tamen ante ipsum et Asiani, ipso Eusebio teste (1), et in ipsa Africa Agrippinus Carthaginensis episcopus eamdem sententiam circa baptismum hæreticorum professi essent (2).

6. Sane hæc admodum imbecilla sunt. Etenim, ut ab ultimo exordiamur, quod supponitur de adulterato a Donatistis Eusebio, id, ut recte ait Palma, prorsus incredibile est. Existimandum enim esset, omnes Eusebii manuscriptos codices, qui in eadem historia referenda contentiunt, a Donatistis corruptos fuisse; catholicos passos esse in Eusebii codices qui apud ipsos erant Donatistarum additamenta inferri; germanos præterea et non vitiatos codices, iis tantum exceptis qui corrupti sunt, interiisse; hæc denique Donatistis feliciter evenire potuisse, licet catholici sibi ab eorum fraudibus diligenter prospexerint et Donatistis essent potentiores. — Neque quidquam evincunt argumenta quæ affert Ill. D. Tizzani ad probandam suam hypo-

(1) *H. E.* VII. 7 (Append. pag. 78).

(2) Aliam viam inierat Missorius, negando Eusebio, utpote hæretico, ullam fidem esse habendam. Sed præterquam quod Eusebius neque in Arianorum gratiam quidquam suæ *Historiæ* intulit quod falsum probari queat, certe suspectus non est in præsenti materia, quum nihil hic assignari possit quod ex partium studio protulisset; nam et Stephanum laudat et rebaptizantibus adversatur: quid igitur hic hæreticum sapit?

thesim. *a.* Falsum enim est, ut cuilibet rem examinanti facile constat, citatum caput tertium non optime cohærere cum iis quæ præcedunt ex quæ sequuntur. Quod autem illud sine incommodo prætermitti possit, id fere in tota Eusebii *Historia* quoad singularia capita locum habet et ejusmodi argumento vix non omnia interpolata censeri possent. *b.* Errorem vero historicum, quem certe Eusebius non admissurus fuisse asseritur, multo minus commisissent adeo callidi, ut supponuntur, falsarii Donatistæ ut in eum incurrerent, quippe qui in documentis quæ iidem commenti esse affirmantur, sententiam Asianorum et Agrippini non semel commemorarint (1). Præterquam quod nec judicari possunt hanc notam voluisse inurere sententiæ suæ, quæ sola jam maximum præjudicium adversus eam omnibus injecisset, eam scilicet tempore Cypriani seu medio seculo III primum in ecclesia fuisse prolatam (2).

7. Quæ vero, ut jam ad præcipuum disputationis caput redeamus, prorsus incredibilia visa sunt quoad codices Eusebii, ea longe etiam magis fidem superant ubi agitur de operibus Cypriani. Quod si in codicibus illa opera referentibus quædam occurrunt ab eruditis inter dubia vel apocrypha relegata, ea profecto non adeo constanter in omnibus, etiam vetustissimis, codi-

(1) Cfr. Append. pagg. **54** ante med., **56** med., **70** post med.

(2) Itaque hæc difficultas solvenda videtur intelligendo Eusebium locutum esse de publica quasi in ecclesia controversia circa baptismum hæreticorum, quam Cyprianus primus excitaverit.

cibus nominatim Cypriano attributa leguntur et multiplici indicio, ac speciatim ex styli diversitate, per se ipsa se produnt. — Neque profecto quod Hieronymus non semper ab omni errore immunem servare se valuit (quod solum ab Ill. D. Tizzani affertur ut et in re præsenti eum deceptum esse aliquatenus probabile videatur), satis est ut facile judicetur tam misere Donatistarum fraudibus fuisse irretitus.

8. At non pauca interna suppositionis indicia sibi in famosis Cypriani et Firmiliani epistolis deprehendisse visus est Ill. D. Tizzani, quæ et Augustinum jam commoverint ut eas suspectas pronuntiaret (1). Verum quæcumque illa indicia profert ultra omnem modum exaggerata videntur et violenta. Ea singillatim perpendere et refutare piget (2). Unum sufficiat retulisse quod

(1) *Contra Cresconium*, lib. I. n. 38; lib. II. nn. 39, 41 (P. L. t. XLIII. pp. 465, 490); Epist. 93. Ad Vincent. nn. 38, 39 (P. L. t. XXXIII. p. 340).

(2) Summatim ea recenset Ill. D. Freppel (*Saint Cyprien et l'Eglise d'Afrique au IIIe siècle*, p. 429-432) et recte concludit (ibid. p. 433) : « Il n'est aucun ouvrage dont on ne parviendrait à ébranler l'authenticité avec une pareille méthode. Examinons d'abord les raisons intrinsèques. La principale se réduit à dire que saint Cyprien a mal raisonné en soutenant la nullité du baptême conféré par les hérétiques, qu'il a donné une fausse interprétation à des textes de l'Ecriture, qu'il est tombé dans des contradictions manifestes, etc. Qu'est-ce que cela prouve? Est-il étonnant qu'un homme raisonne mal en voulant défendre une erreur, qu'il s'expose à de graves méprises, et qu'il se mette en désaccord avec lui-même? C'est le contraire qui devrait surprendre. Les hommes de talent ne sont pas à l'abri de cette infirmité qui venge la vérité outragée ou méconnue. Et d'ailleurs le raisonnement de saint Cyprien est-il aussi futile qu'on veut bien le dire? Saint Augustin n'était pas de cet avis, lui qui, après avoir lu la lettre à Jubaïen, avouait que peut être il embrasserait le même sentiment, si l'autorité catholique ne lui en signalait le péril (*De bapt. contra Don.* l. III. c. iv : « Jam legi fateor et profecto issem in

ipse omnino invictum prædicat et sæpius oggerit, apparentem scilicet quamdam contradictionem inter ea quæ leguntur in Cypriani epistola ad Quintum et ejusdem epistola ad Stephanum. In priori nimirum videtur satis perspicue Cyprianus sugillare sententiam a Stephano circa baptismum hæreticorum prolatam (1), quæ tamen sententia tunc ei nondum nota censeri potest, quippe qui in epistola ad Stephanum, quam scripsit ante celebre decretum ab hoc Pontifice editum, significet se epistolam antea ad Quintum scriptam ei mittere (2). Sed hæc difficultas facile tollitur, si supponatur Stephano jam antea controversia fuisse cum Asianis de eadem causa : quod satis manifeste colligitur ex verbis Firmiliani (3) et in alio argumento ab Ill. D. Tizzani ultro admittitur.

9. Augustinus vero nequaquam ipse ex indiciis suppositionis intrinsecis se adductum significat ad authentiam epistolarum Cypriani in dubium revocandam, sed, quod est longe aliud, a quibusdam aliis hanc suspicionem adversus eas motam esse, qui nempe, ut facile supponere licet, sicut recentiores quos nunc impugnamus, ex affectu quodam, ne scilicet macula illa

eamdem sententiam, nisi me revocaret tanta auctoritas, » etc.). A la distance où nous sommes des événements, et dans l'absence de renseignements plus détaillés, il ne faut pas se hâter de voir partout des inconséquences et des contradictions. Quintus, Jubaïen et les évêques de Numidie pouvaient fort bien connaître déjà l'opinion de Cyprien sur le baptême des hérétiques, et lui demander néanmoins des éclaircissements ultérieurs, des raisons à l'appui de son sentiment : tout cela se concilie sans la moindre peine.... »

(1) Append. pag. **52-54.**

(2) Append. pag. **55** ante med.

(3) Append. pag. **72** med.

præclaro Cypriani nomini aspergeretur et ne tanto gloriari possent hæretici patrocinio, potius quam facto diligenti et mente præjudiciis libera documentorum examine, ad eam opinionem amplectendam ferebantur. At ipse Augustinus ad eamdem non accedit, propterea quod nec ullis argumentis extrinsecis fulciebatur, sed solummodo incertis hypothesibus et analogiis, et omnino revincebatur intrincesis (1). Itaque et prolixe nec semel argumenta in illis epistolis contenta refutavit (2) : quod utique facturus fuisse difficile credi posset, si serio dubitasset de earum authentia. Ac denique *Retractationum* l. II. c. 18 (3) scripta a se ad

(1) « Quamquam non desint qui hoc » Cyprianum prorsus non sensisse » contendant, sed sub ejus nomine » a præsumptoribus atque mendacibus fuisse confictum. Neque enim » sic potuit integritas atque notitia » litterarum unius quamlibet illustris episcopi custodiri quemadmodum Scriptura canonica tot linguarum litteris et ordine et successione celebrationis ecclesiasticæ » custoditur; contra quam tamen non » defuerunt qui sub nominibus apostolorum multa confingerent : frustra quidem, quia illa sic commendata, sic celebrata, sic nota est; » verum quid possit adversus litteras » non canonica auctoritate fundatas, » etiam hinc demonstravit impiæ conatus audaciæ, quod et adversus » eas quæ tanta notitiæ mole firmatæ » sunt, sese erigere non prætermisit. » — Nos tamen duas ob res non negamus illud sensisse Cyprianum : » *quod et stilus ejus habet quamdam* » *propriam faciem qua possit agnosci,* » et quod ibi magis contra vos nostra » causa demonstratur invictior... » (Epist. 93. Ad Vincent. n. 38-39). — Aliis autem locis supra (pag. 225. not.1) citatis Augustinus tantummodo quasi jus exceptionis obiter reservat. Ita *Contra Crescon.* l. II. n. 39 : « Quamdiu aliter sapuit Cyprianus, si » scripta ejus esse constat quæ pro » vobis proferenda arbitramini.... »

(2) Locis citatis supra N. 3.

(3) « Contra Donatistas, auctoritate » beatissimi episcopi et martyris Cypriani se defendere molientes, septem libros de Baptismo scripsi; » in quibus docui nihil sic valere ad » refellendos Donatistas et ad eorum » prorsus ora claudenda, ne adversus » Catholicam suum schisma defendant, quomodo litteras factumque » Cypriani » (P.L. t. XXXII. p. 637).

refutanda Cypriani argumenta commemorat, nulla adversus epistolarum illarum attributionem adjecta exceptione : quam tamen hoc loco maxime apponere necesse erat, si quidem suspicio adversus eam excitata ipsi non visa fuisset nimis inanis.

10. Restant argumenta nonnulla negativa, quibus documenta nostra supposita demonstrari jactant, quod scilicet commemorata non leguntur a Pontio, Cypriani diacono, qui et ejus vitam diligenter conscripsit (1), ab anonymo auctore tractatus *de Rebaptismate* (2), a Dionysio Alexandrino (3), et a primis Donatistis (4). — Quibus tamen argumentis non difficilis statim occurrit responsio.

11. Et quidem *α*. Quod ad Pontium diaconum spectat, « certum est (ut recte ait PALMA) eum non omnia Cypriani facta referre. Etenim cap. 10 profitetur se præterire *multa alia et quidem magna* (5). Id autem et de facto ipso controversiæ verum est et de scriptis Cypriani. Etenim omittit commemorare Cypriani nonnullas epistolas absque ulla controversia genuinas. Talis est epistola, in qua Cyprianus agit de presbyteris factionis Felicissimi, deque iis quæ contra ipsum conati erant; talis illa ad Antonianum, ea de Cornelii confessione, item ad Lucium, in qua de ejus ab exilio

(1) Insert. P. L. t. III. p. 1481.
(2) Ibid. p. 1183.
(3) Ap. EUSEB. lib. VII (Cit. Append. pag. 77-79).
(4) A primis, inquam : nam documenta nostra a Donatistis confecta fuisse supponunt ante exitum sec. IV, quando Hieronymum iis deceptum asserant (Cfr. supra N. 5).
(5) P. L. t. III. p. 1490.

reditu gratulatur : quod si nemo harum epistolarum veritatem negat, eo quod a Pontio prætermittantur, quid est quod Pontii silentium adducatur ad epistolas Cypriano non tribuendas, in quibus de hæreticorum rebaptismo sermo est? Potest præterea probabilis causa afferri cur Pontius nihil de ea re scripserit, atque illas epistolas omittendas judicaverit. Timere enim potuit ne harum rerum recordatio dedecus aliquod Cypriano afferret, et cum ea maxime referenda suscepisset quæ B. Martyri honorifica erant, consilium amplexus esse videtur, totum rebaptisationis negotium prætereundi. »

12. ***b.*** Auctori anonymo tractatus *de rebaptismate* non erat ratio cur ea quæ in illa controversia acta erant distinctius commemoraret. Scribebat enim statim post eam agitatam vel etiam forte dum adhuc fervebat; alloquebatur Afros, apud quos Cypriani auctoritas maxime valebat; et contrariam Cypriani doctrinæ sententiam tuebatur (1).

(1) Ceterum, ut recte observat Ill. D. Freppel, in ipso opusculi ejus exordio quædam leguntur, ubi non obscure, caute tamen, ad Cypriani de quibus agitur epistolas, et ad ea quæ ex ipsis docemur, alludere videtur auctor. His enim verbis tractationem suam infert : « Animadverto » quæsitum apud fratres quid potius » observari oportet in personam » eorum qui in hæresi quidem, sed » in nomine Dei nostri Jesu Christi » sint tincti.... Ideoque *nonnulla su-* » *per hac nova quæstione scripta aut* » *rescripta esse jactabantur, quibus* » *utraque pars ad destruenda aliena* » *summo studio nitebatur.* In quo » genere quæstionis, ut mihi videtur, » nulla omnino potuisset controver- » sia aut disceptatio emergere, si » unusquisque nostrum contentus » venerabili ecclesiarum omnium » auctoritate et necessaria humilitate » *nihil innovare* gestiret, cum locum » contradictioni non quemlibet ani- » madverteret.... Ubi nullus alius » fructus reperiatur nisi hic solus, » *ut unus homo, quicumque ille est,* » *magnæ prudentiæ et constantiæ* » *esse apud quosdam leves homines* » *inani gloria prædicetur....* » (P. L. t. III. p. 1183-1185).

13. *c.* Dionysii vero Alexandrini epistolarum non nisi pauca fragmenta retulit Eusebius. Quonam itaque jure affirmari potest Dionysium in suis epistolis de documentis nostris nullam intulisse mentionem? Sed et præterea quænam in illis epistolis occasio assignari potest qua Dionysium omnino adduci oportuerit ad ea commemoranda? Atqui tamen hoc omnino præstandum esset ut aliquid momenti haberet argumentum negativum ex ejus silentio deductum (1).

14. Denique *d.* Cur primi Donatistæ (imo et forte posteriores) illa documenta non protulerint, facile explicatur. Etenim, quod Augustinus sæpius contra eos et vehementer urget, eorum schisma inde omnino auctoritate Cypriani reprobari demonstrabatur : quum Cyprianus, a multis collegis suis dissentiens circa validitatem baptismi hæreticorum, summopere tamen contenderet propterea non esse recedendum ab unitate ecclesiæ et communionis.

15. Et inde desumi potest argumentum validissimum adversus totum systema Ill. D. Tizzani. Supponit enim omnia illa documenta concinnata esse a Donatistis admodum peritis et callidis. Quomodo igitur hi commisisse supponi possunt ut palmare istud argumentum contra ipsorum schisma e Cypriani auctoritate repetendum, tam frequenter iis insererent et non potius,

(1) Videsis quæ de vi argumenti negativi diximus *Introd. Gener.* Tract. I. Cap. II. Art. IV (pag. 29).

quod tam obvium erat, aliquando saltem innuerent contrarium?

16. Ex his omnibus itaque affatim liquere videtur quam irrito conatu adversus unanimem fere eruditorum consensum in re præsenti reclamarint pauci illi quos exordio hujus disputationis commemoravimus recentiores scriptores. Quorum si prævaleret argumentandi et crisim exercendi ratio, vix ulla sunt opuscula Patrum aut ulla privata documenta historica quorum authentia in suspicionem adduci non posset.

PROŒMIUM II.

HISTORICUS TOTIUS CONTROVERSIÆ CONSPECTUS.

1. Nulla circa valorem baptismi ab hæreticis collati quæstio mota fuisse videtur ante seculum III. Communiorem autem praxim usque ad sua tempora fuisse ut hæretici in hæresi rite baptizati et ad ecclesiam venientes, denuo non baptizarentur, sed per solam manus impositionem cum ea reconciliarentur, testatur Stephanus (1) et satis aperte fatentur Cyprianus et Firmilianus (2). Ineunte vero seculo III orta est controversia in Africa, et in Concilio Carthaginensi

(1) Cypriani Epist. ad Pompeium, n. 1 extr. (Append. pag. **60** extr.) — Eusebius quoque *H. E.* VII. 2 : « Antiqua (ait) consuetudo invaluerat, ut in hujusmodi hominibus sola manuum impositio cum precationibus adhiberetur » (Append. pag. **77**).

(2) Cfr. infra Cap. IV. N. 2.

(an. circiter 217), cui præsidebat Agrippinus episcopus Carthaginensis, constitutum est baptizandos esse omnes hæreticos qui ad ecclesiam accederent (1). Idem mos obtinuit in Asia (2), et in Concilio Iconiensi, cui adfuit Firmilianus, decreto sancitus est (3).

2. Attamen in ipsa Africa de hujus moris rectitudine dubitatum fuisse ostendit interrogatio circa hanc rem ab episcopis Numidis octodecim ad Cyprianum directa (4). Eam discussit Cyprianus in Concilio Carthaginensi et suo ac 31 episcoporum nomine rescripsit, neminem extra ecclesiam seu ab hæreticis vel schismaticis valide baptizari posse (5). Paulo post similiter respondit ad Quintum (6), in Mauritania episcopum, ad quem et exemplar epistolæ ad Numidas misit (7). Utramque etiam epistolam communicavit cum Stephano R. P. (8), non tamen Carthaginensis decreti confirmationem petens, sed tantummodo ne illud improbaret. Stephanus autem adeo moleste illud decretum tulit ut episcopos a synodo Carthaginensi missos « nec ad sermonem colloquii communis admitteret, ad» huc insuper præciperet ne quis eos in domum suam

(1) Ep. ad Quint. extr. (Append. pag. **54**); Ad Jubaian. n. 3 (Append. pag. **56**) — Utrum autem ad illud *edictum* Agrippini alluserit Tertullianus *De Bapt.* cap. 15 (P. L. t. I. p. 1216), an ab ipso Tertulliano hanc doctrinam acceperit Agrippinus, admodum incertum est.

(2) Et quidem ultra omnem memoriam, ut asserit Firmilianus Epist. ad Cyprian. n. 19 (Append. pag. **70**).

(3) Firmil. Epist. nn. 7 extr. et 19 (Append. pagg. **67** extr., **70**).

(4) Anno 254 vel 255. — Cfr. infra N. 7.

(5) Append. pag. **51.**

(6) Append. pag. **52.**

(7) Epist. ad Quint. extr. (Append. pag. **54**).

(8) Append. pag. **54.**

« reciperet » (1), acrem vero ad Cyprianum epistolam scripsit qua illud omnino improbavit atque observari vetuit (2).

3. Forte quidquam jam noverat Cyprianus de infenso Stephani animo deque ejus ratione agendi cum episcopis legatis, ubi epistolam scripsit ad Jubaianum (3). Certe hæc paulo commotiorem animum manifestat quam præcedentes et ultimis verbis (4) non obscure videtur Stephanum carpere. In eadem (5) indicat alterum a se concilium episcoporum 71 provinciæ Africæ et Numidiæ congregatum et in eo prioris decretum unanimi consensu confirmatum esse.

4. Omnino autem exarsit ejus animus ubi ipsam Stephani epistolam accepit. Adversus quam statim vehementem confutationem scripsit Pompeio (6) episcopo Sabratensi in provincia Tripolitana (7). Stephani epistolam cum litteris suis misit etiam ad Firmilianum Cæsareæ Cappadociæ episcopum, quem profecto secum consentientem noverat. Qui prolixam et acerbis contra Stephanum aculeis refertam epistolam (8) ei rescripsit.

5. Porro Cyprianus tertium Concilium Carthaginem convocavit episcoporum 87 ex provinciis Africa, Nu-

(1) Firmil. Epist. n. 25 (Append. pag. **72** med.). — Aliqui tamen id referunt ad legationem quæ Acta Concilii Carthaginensis in ea causa III (de quo paulo inferius N. 5) Romam detulerit.

(2) Cypr. Epist. ad Pomp. n. 1 (Append. pag. **60**).

(3) Append. pag. **55**.

(4) Append. pag. **60** (n. 26).

(5) Append. pag. **56** (n. 1).

(6) Append. pag. **60**.

(7) Qui scilicet hoc titulo insignitus habetur in actis Concilii Carthaginensis III, de quo Num. seq.

(8) Append. pag. **66**.

midia, Mauritania et Tripolitana (1), ubi nihil quidem dictum est de Stephani epistola et ratione agendi, quæ tamen satis perspicue in Cypriani oratione procemiali sugillantur, sed lectæ Cypriani litteræ ad Jubaianum et omnium qui aderant episcoporum sententia circa quæstionem controversam rogata. Qui singuli decretum jam in duabus præcedentibus synodis propositum tertio confirmarunt (2).

6. Quid autem postea actum sit, prorsus ignoramus. Ut probabilissime conjicere licet, quievit controversia, exorta mox persecutione Valeriani, in qua Stephanus die 2 Augusti an. 257 (3) et Cyprianus die 14 Septembris an. 258 glorioso martyrio diem supremum obierunt. Cyprianum ante mortem errorem suum retractasse (4), magis pie quam probabiliter assereretur. Parum profecto huc juvat afferre testimonium Augustini, qui de eo (5) : « Correxisse autem (ait) istam » sententiam non invenitur; non incongruenter tamen » de tali viro existimandum est quod correxerit et

(1) Inter episcopos scilicet qui sententiam suam in eo concilio protulerunt, quidam habentur provinciæ Tripolitanæ.

(2) Append. pag. 78 sqq. — Habemus, præter documenta citata, Cypriani epistolam ad Magnum (Epist. 76. P. L. t. III. p. 1137. — Hunc Magnum laicum fuisse vel saltem non episcopum, vulgo colligunt ex eo quod in epistolæ inscriptione Cyprianus eum *filium* vocat, non *fratrem*) ubi baptisma a Novatianis collatum invalidum pronuntiat. Sed illam ante exortam controversiam cum Stephano scriptam esse probabilius est, quum nullam hujus controversiæ et epistolarum quas supra memoravimus mentionem habeat.

(3) Cfr. infra Diss. VII, ubi de Stephani Pontificatu agitur.

(4) Quod probare nititur SUYSKENUS *Commentar. præv. de S. Cypriano* § XLIV (*Act. SS.* tom. IV. Septemb. p. 312-314).

(5) Epist. 93 (al. 48). Ad Vincentium Rogatistam n. 38 (P. L. t. XXXIII. p. 340).

„ forte suppressum sit ab eis qui hoc errore nimium „ delectati sunt et tanto velut patrocinio carere nolue- „ runt. „ Hieronymus vero, dum episcopos, qui rebaptizandos hæreticos cum eo statuerant, ad antiquam consuetudinem revolutos esse et novum emisisse decretum testatur (1), in horum numero neque Cyprianum neque etiam episcopos Afros diserte indicat (et quidem hoc eorum decretum, si extitisset, Augustino ignotum futurum fuisse aut contra Donatistos ab ipso non citatum, vix credibile est), sed potius videtur intelligere Orientales, quos re vera a priori cum Afris consensione mox recessisse ait Cresconius Donatista (2). Restat itaque solum testimonium auctoris libri *Variarum Quæstionum* qui editus est inter opera dubia vel spuria Ven. Bedæ (3) : cujus auctoris ad manus pervenisse scriptum aliquod Augustino et Hieronymo et no-

(1) *Dialog. adv. Lucif.* n. 23 (cit. Append. pag. **79**).

(2) Apud Augustin. *Contra Crescon.* l. III. c. II, ubi Cresconium alloquens : „ Majores autem vestri „ (ait) quibus tale testimonium perhibuisti, *quod ab Orientalium propterea communione discreti sunt quia illi suum judicium resciderunt, quo eis placuerat de ista baptismi quæstione Cypriano atque illi Africano concilio consentiri oportere, contra Cyprianum fecerunt* „ (P. L. t. XLIII. p. 496). — Hanc autem Orientalium retractationem opera Dionysii Alexandrini procuratam esse, qui plures ad Stephanum et successores ejus epistolas de illa quæstione scripsit (Euseb. *H. E.* VII. 2-9. Cit. Append. pag. **77-79**) admodum credibile est.

(3) Quæst. v extr. „ Si bona quæ „ nostis per charitatem operamini, „ tribuet vobis divina gratia, ut si „ quid aliter quam decet sapitis, et „ hoc aliquando intelligatis. Sicut „ beato Cypriano contigisse perspicuum est, qui cum suis coepiscopis, qui erant in Africa, rebaptizandos esse hæreticos contra morem Ecclesiæ statuit. Sed quia in „ suo sensu, qui sibi rectus videbatur, bonis abundare operibus studuit, mox corrigi meruit atque ad „ universalem sanctæ Ecclesiæ normam spiritualium virorum institutione reduci „ (P. L. t. XCIII. p. 458).

bis ignotum, unde illam palinodiam didicerit (1), nemo profecto facile crediderit.

7. Defectu etiam documentorum non potuit hactenus satis exacte definiri quo tempore singula supra memorata contigerint. Hoc solummodo certum est, ea omnia terminata fuisse ante exortam anno 257 persecutionem Valeriani. Quumque Stephanus anno 253 vel 254 ad Pontificium solium evectus sit, nec statim exordio Pontificatus sui Cyprianum adversarium habuerit, quod satis constat ex hujus epistolis circa negotia Marciani Arelatensis (2) et Basilidis ac Martialis (3) scriptis : omnino concludendum est controversiam de baptismo hæreticorum ponendam esse intra annos 254 et 256.

8. Jam ad quæstiones circa illam historiam apud recentiores præcipue agitatas accedimus, præmisso brevi elencho eorum quos de illis disserentes perlegimus. Horum præcipui sunt

BARONIUS, *Annal.* ad an. 258. n. 11 sqq. — PAGI (A.) *Critic. in Baronium,* ad an. 255 (Baron. 258) n. 9-16 et an. 256. n. 3-17. — BELLARMINUS, *De Rom. Pont.* l. IV. c. 7. — THOMASSINUS, *In Concilia* Diss. II (inserta P. L. t. III. p. 1217). — COUSTANT (P.) *De vera Stephani sententia in causa baptismi hæreticorum* (ibid. p. 1249). — Anonymi *De auctoritate Pontificia notissimo Cypriani facto impugnata* Dissertatio

(1) Quod, post BOSCHIUM, subtimide opinatus est SUYSKENUS (*Act. SS.* tom. IV. Sept. p. 312. n. 756).

(2) Epist. 67 (P. L. t. III. p. 990).

(3) Epist. 68. n. 5 (ibid. p. 1028).

(ibid. p. 1273). — VALESIUS (H.) Adnotat. ad Eusebii *H. E.* VII. 3, 5, 7. — SCHELSTRAETE (E.) *Antiquit. illustr.* (Ed. 1678) Part. II. Diss. I. cap. 5. — LAUNOIUS (J.) *Epistola ad Jac. Bevilaquam de discordia Stephani cum Cypriano* (Epist. VIII. 5). — BOSSUET, *Defensio Declarationis Cleri Gallicani,* Diss. præv. cap. 67 sqq. — DU PIN (ELLIES) *Bibliothèque des auteurs ecclés.* t. I. pp. 151, 176. — TILLEMONT (LE NAIN DE) *Mémoires pour servir à l'hist. eccl.* t. IV. *Saint Cyprien,* art. 42-52 et not. 42-44. — ALEXANDER (Nat.) *Hist. Eccl.* sec. III. Diss. XII, XIII et XIV (cum notis RONCAGLIA et MANSI ad easdem). — MARANUS (Prud.) Præfat. ad Opp. S. Cypriani § 4-7 (P. L. t. IV. p. 27-42) — SUYSKENUS (C.) *De S. Cypriano* Comment. præv. § 38 sqq. (*Act. SS.* t. IV. Septemb. p. 295 sqq.). — SANDINIUS (A.) *Disput. histor. ad vitas PP. RR.* Disp. VII. — HOLTZCLAU (J.) *De Sacramentis in genere,* diss. II. cap. 2. art. 2 (*Theol. Wirceb.* tom. V. fasc. I). — ZACCARIA (F. A.) *Sulla controversia tra S. Stefano Papa e S. Cipriano* (in *Raccolta di dissert. di stor. eccl.* t. VII). — RECCO (De eodem argum. Ibid.). — PALMA (J. B.) *Prælect. hist. eccl.* t. I. part. I. cap. 29. — MATTES, *Die Ketzertaufe* (in *Theolog. Quartalschrift* Tubing. an. 1849. p. 571 et an. 1850. p. 24). — HEFELE (C. J.) *Conciliengeschichte,* t. I. § 6. — FREPPEL, *Saint Cyprien et l'église d'Afrique au IIIe siècle* (Paris 1865. 8) p. 363 sqq. — TOULEMONT, *Le schisme anglican et l'Eglise des trois premiers siècles,* § IV (in *Etudes religieuses,* etc. an. 1866. p. 474).

CAPUT I.

UTRUM STEPHANUS IN CYPRIANUM ET FIRMILIANUM EXCOMMUNICATIONIS SENTENTIAM TULERIT.

—

1. I. Qui affirmantem opinionem tenent, præcipue afferunt : 1° Verba Firmiliani *Epist. ad Cyprian.* n. 6 : „ In... plurimis provinciis multa pro locorum et hominum diversitate variantur, nec tamen propter hoc „ ab ecclesiæ catholicæ pace atque unitate aliquando „ discessum est. Quod nunc Stephanus ausus est facere, rumpens adversus vos pacem, quam semper „ antecessores ejus vobiscum amore et honore mutuo „ custodierunt „ (1).

2° Ibid. n. 24; ubi Stephanum alloquens : „ Lites „ (ait) et dissensiones quantas parasti per ecclesias „ totius mundi! Peccatum vero quam magnum tibi „ exaggerasti, quando te a tot gregibus scidisti! Excidisti enim te ipsum. Noli te fallere; siquidem ille est „ vere schismaticus qui se a communione ecclesiasticæ „ unitatis apostatam fecerit : dum enim putas omnes

(1) Append. pag. 67.

» a te abstineri posse, solum te ab omnibus abstinuisti » (1).

3° Rationem agendi Stephani cum legatis Afrorum. Quam ita ironice refert Firmilianus (2) : « Quid enim » humilius aut lenius quam cum tot episcopis per » totum mundum dissensisse, pacem cum singulis » vario discordiæ genere rumpentem, modo cum » Orientalibus, quod nec vos latere confidimus, modo » vobiscum, qui in Meridie estis; a quibus legatos » episcopos patienter satis et leniter suscepit, ut eos » nec ad sermonem saltem colloquii communis admitteret, adhuc insuper, dilectionis et charitatis memor, præciperet fraternitati universæ ne quis eos » in domum suam reciperet, ut venientibus non solum » pax et communio, sed et tectum et hospitium negaretur. »

4° Verba Cypriani in Conc. Carthag. de Baptismo III: « Superest ut de hac ipsa re [de baptismo hæreticorum] singuli quid sentiamus proferamus, neminem » judicantes, aut a jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes. Neque enim quisquam » nostrum episcopum se episcoporum constituit, aut » tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit, quando habeat omnis episcopus » pro licentia libertatis et potestatis suæ arbitrium » proprium, tamque judicari ab alio non possit quam

(1) Append. pag. 71.

(2) Epist. cit. n. 25. (Append. pag. 72).

» nec ipse potest alterum judicare. Sed exspectemus » universi judicium Domini nostri Jesu Christi, qui » unus et solus habet potestatem et præponendi nos » in ecclesiæ suæ gubernatione et de actu nostro judi- » candi » (1). Quibus verbis satis manifeste, quamvis tacito nomine, Stephanum reprehendere videtur.

2. II. Argumenta sententiæ negantis ita recenset HOLTZCLAU (2):

1° Eusebius, S. Hieronymus et alii, referentes hoc dissidium, nihil unquam de lata aliquando excommunicatione meminerunt; ne quidem S. Augustinus, etsi hic opportunitatem haberet illius in rem suam mentionem faciendi; quum enim constanter Donatistæ Catholicis exemplum Cypriani opponerent, qui hæreticos rebaptizasset, Catholici et præsertim Augustinus, dum contra Donatistas disputabat, non omisisset reponere Cyprianum ideo excommunicatum fuisse, si ita se res habuisset; attamen de excommunicatione lata nec Augustinus nec ullus alius verbulo meminit.

2° S. Cyprianus ipse *Epist. ad Pompeium* n. 8 de Stephano inquit : « Sacerdotes Dei veritatem Christi » et ecclesiæ unitatem tuentes abstinendos putat » (3); quod solum excommunicationis comminationem indicat, non executionem.

3° Clariora quoque S. Augustini verba sunt, quam ut ullo modo eludi possint; nam lib. V. *de Bapt. contra*

(1) Append. pag. 78.

(2) Loc. cit. (supra pag. 237) n. 134 sqq.

(3) Append. pag. 64.

Donatistas c. 25 de Stephano et Cypriano inquit : « Ita quamvis commotius, sed tamen fraterne indignarentur; vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, » ut in tali disceptatione nullum inter eos schismatis » malum oriretur » (1). Rursum lib. *de unico Bapt. contra Petilian.* n. 23 : « Cum ergo Stephanus non » solum non rebaptizaret hæreticos, verum etiam hoc » facientes, vel ut fieret decernentes, excommunicandos esse censeret... tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit.... nec ulla facta est a Cypriano » et eis qui pariter de baptismo sapiebant, ab illorum » communione divisio » (2). Ergo et nulla lata fuit excommunicatio.

4° Cum utroque præsule ceteri omnes per orbem christianum episcopi fuerunt semper communione conjuncti, ac Sixtus Stephani successor cum Cypriano communionem habuit, planeque egit pacifice.

3. Ad testimonia autem supra citata ex epistola Firmiliani respondet Holtzclau, vel ***a.*** hanc epistolam non esse genuinam, vel certe ***b.*** nihil mereri fidei, utpote a viro scriptam perquam subirato ac æstu nimio contra Stephanum, atque idcirco res supra verum exaggerante et excommunicationem intentatam pro lata venditante; vel denique ***c.*** ad summum per illa indicari privationem a communione speciali amicitiæ et fraternitatis, olim perquam usitatam, non autem a corpore ecclesiæ catholicæ præcisionem. — Ad argumen-

(1) P. L. t. XLIII. p. 194. (2) Ibid. p. 607.

tum vero ex verbis Cypriani in Concilio Carthagin. III respondet : *a.* Hæc verba intellecta in sensu obvio optime referri posse ad præsentes episcopos quorum nullus se dicat episcopum episcoporum nec alios terrendo conetur in suas partes pertrahere (1). Sed *b.* etiamsi supponantur spectare Stephanum, iis non excommunicationem actu latam, sed ferendæ minas sugillat.

4. III. Omnino autem concludendum videtur sicut in simili quæstione quoad controversiam Victoris cum Asianis (2). Sic enim optime explicantur testimonia quæ a fautoribus sententiæ affirmantis urgentur. Nec obstant argumenta sententiæ negantis. Nam quod ad testimonia positiva Augustini attinet, imprimis advertendum est non alia ipsi documenta circa eam controversiam præ manibus fuisse quam epistolas Cypriani et sententias ab episcopis prolatas in Concilio Carthaginensi III, ut facile constat ejus scripta perlegenti : unde in hac re ejus auctoritas non est major quam scriptoris recentioris. Præterea Augustino schisma Donastistarum impugnanti illud maxime cordi erat, ut eis argumentum eriperet quod ex Cypriani, viri tantæ

(1) Verba Cypriani etiam ad episcopos qui in concilio aderant restringit Suyskenus (ejus argumenta referuntur P. L. t. III. p. 1077). Qui tamen rem non ita probatam existimare videtur : nam disputationem suam sic concludit : « Negari igitur » non potest, objecta S. Cypriani » verba sano sensu restringenda » esse, aut dicendum eum ex contentionis ardore aliquid humani hic » passum esse. » Hoc posterius autem potius dicendum suadet nimia exaggeratio quæ secus in verbis Cypriani appareret.

(2) Supra Diss. II. Cap. III. N. 12 sqq. (pag. 67 sqq.). — Nisi quod non ita constat Stephanum aliis episcopis injunxisse ne cum rebaptizantibus communicarent.

apud Afros existimationis et auctoritatis, exemplo desumere potuissent, ideoque in eo totus versabatur ut ostenderet Cyprianum, quamvis cum Stephano circa quæstionem de validitate baptismi hæreticorum dissentiret, noluisse tamen se ab ipsius et eorum qui cum ipso sentiebant communione separare : quod utique vere dicere potuit; sed inde non habetur, Stephanum eadem ratione egisse erga Cyprianum.

5. Porro hinc colligitur quam infirmum sit argumentum negativum ex ejusdem Augustini silentio propositum primo loco : longe enim magis sollicitus erat Augustinus ne Cypriani exemplo gloriari possent Donatistæ ad suum schisma excusandum quam ne ejus auctoritate uterentur ad confirmandam opinionem suam de iterando baptismo.

6. Argumentum autem ex silentio Eusebii, Hieronymi et aliorum petitum *mere negativum* est, nequaquam positivo æquivalens (1). Quid enim cogebat Eusebium, Hieronymum (2) et si qui sunt alii qui hic citari possent, ut vel omnino in quæstionem hic nobis propositam ipsi inquirerent vel, si novissent communionem aliquamdiu a Stephano cum Afris et Asianis interruptam fuisse, id commemorarent?

7. Denique quod spectat ad argumentum quarto

(1) Cfr. *Introd. Gener.* Tract. I. Cap. II. Art. IV (pag. 29).

(2) Quorum non alii loci ubi de hac controversia agendi occasionem habuerint proferuntur præter eos quos citamus in Appendice pag. 77-80.

loco (1) propositum, facilis patet responsio, tum ex eo quod forte Stephanus ab aliquid circa hanc rem præcipiendo aliis episcopis abstinuit (2), tum quod ipse mox vita defunctus est, Xystus autem, hujus nominis secundus, qui ei successit, sæviente persecutione Valeriani sive aliam ob causam, mansuetudine potius quam severitate cum rebaptizantibus agendum censuit (3).

(1) Supra N. 2.

(2) Cfr. supra pag. 242. not. 2. — Ceterum, ut et hoc obiter advertamus, rectius dicitur non constare ullo documento de communione Cypriano aut Firmiliano negata ab aliis episcopis quam affirmatur cum utroque præsule ceteros omnes per orbem christianum episcopos semper (positive scilicet) communicasse.

(3) Et forte etiam intra brevem suum pontificatum non fuit occasio Xysto manifestandi animum suum circa eam rem.

CAPUT II.

UTRUM CYPRIANUS EIQUE ADHÆRENTES EPISCOPI CONTROVERSIAM HANC PUTARINT PERTINERE AD FIDEM.

—

1. Scriptores catholici, præter Gallicanos, fere negativam partem secuti sunt, ne scilicet videantur Cyprianus et Firmilianus, cum aliis episcopis, non agnovisse infallibilitatem Romani Pontificis circa res fidei. Præcipuum autem eorum argumentum est quod Cyprianus, Firmilianus et post ipsos Basilius, qui eamdem cum iis sententiam tenuit, cuilibet tamen aliter sentiendi, imo agendi, libertatem integram salvamque voluerunt. Id autem minime potuissent, si sententiam suam de fide credidissent, non vero ad disciplinam pertinere (1).

2. In contrarium arguitur ex eo quod Cyprianus et Firmilianus totam controversiam statuunt circa validitatem baptismi hæreticorum, quam ex Scriptura, traditione et ex aliis dogmatis certis omnino negandam contendunt, et ex iisdem fontibus sententiam Stephani illum baptismum validum pronuntiantis erroneam

(1) Cfr. Holzclau, loc. cit. (supra pag. 237) n. 138.

affirmant. Jam vero doctrina speculativa quæ ostenditur necessario sequi ex iis quæ a Deo revelata sunt, manifeste pertinet ad materiam fidei.

3. Ad argumentum autem sententiæ negantis facile respondetur, Cyprianum voluisse ut opinio in hac re sequenda singulis ecclesiis libera relinqueretur, quoniam quæstio illa de validitate baptismi hæreticorum nondum satis elucidata videbatur, vel saltem auctoritate ecclesiæ nondum decisa, et donec ista auctoritate terminaretur. Quod ipsum indicat Augustinus, dum pertinaciam Cypriani excusare nitens (1) : « Nec nos » ipsi (ait) tale aliquid (2) auderemus asserere nisi » universæ ecclesiæ concordissima auctoritate firmati; » cui et ipse sine dubio cederet, si jam illo tempore » quæstionis hujus veritas eliquata et declarata per » plenarium concilium solidaretur. Si enim Petrum » laudat et prædicat ab uno posteriore collega pa- » tienter concorditerque correctum, quanto citius ipse » cum concilio provinciæ suæ universi orbis auctori- » tati patefacta veritate cessisset :.... et fortasse » factum est, sed nescimus.... Quomodo enim potuit » ista res, tantis altercationum nebulis involuta, ad » plenarii concilii luculentam illustrationem confirma- » tionemque perduci, nisi primo diutius per orbis ter- » rarum regiones multis hinc inde disputationibus et » collationibus episcoporum pertractata constaret? Hoc

(1) *De Bapt. contra Donatist.* lib. II. cap. 4. n. 5 (P. L. t. XLIII. p. 129).

(2) Scilicet validum esse baptismum ab hæreticis collatum.

» autem facit sanitas pacis ut, cum diutius aliqua » obscuriora quæruntur, et propter conveniendi diffi- » cultatem diversas pariunt in fraterna disceptatione » sententias, donec ad verum liquidum perveniatur, » vinculum permaneat unitatis, ne in præcisa rema- » neat insanabile vulnus erroris » (1).

4. Ceterum notandum est : 1° Aliam esse quæstionem utrum Cyprianus hanc controversiam tractaverit tamquam, saltem præcipue, ad materiam fidei pertinentem; aliam vero, utrum explicite et distincte intenderit illam tractare tamquam rem fidei, non disciplinæ. Illud prius solum videtur affirmandum, non posterius.

2° Vix magis salvari traditionem de infallibilitate Summi Pontificis in prima sententia quam in secunda. Rationes enim quæ ostendunt Romanum Pontificem infallibilem esse in pronuntiando de rebus ad materiam fidei pertinentibus, eædem fere demonstrant ejus infallibilitatem circa eas partes universalis disciplinæ (quæ scilicet non est obnoxia mutationi secundum tempora et loca) quæ maxime intersunt ad salutem

(1) Adverti præterea potest id satis usuvenire ut qui novam aliquam vel minus receptam doctrinam proponit, quam ingratam esse novit plerisque doctorum vel iis qui auctoritate in eum agere possunt, non adeo audacter illam apud hos propugnet, sed roget tantummodo ut ea toleretur et contrariam doctrinam se non damnare significet; quamvis idem suam opinionem certissimam, contrariamque omnino et graviter erroneam existimet, ac magna vi in hanc sententiam agat apud eos apud quos ipse auctoritate valet. Certe, in præsenti controversia, non ita moderate loquitur Cyprianus dum scribit ad Januarium, ad Quintum, ad Jubaianum et ad Pompeium, sicut in epistola ad Stephanum.

animarum, et imprimis circa ea quæ necessaria sunt ad validam collationem sacramentorum, ac præcipue primi et maxime necessarii omnium eorum seu baptismi. Itaque is qui admitteret Romanum Pontificem posse incidere in gravissimum errorem, validum pronuntiando baptismum multis collatum, qui proinde vero baptismo a Christo instituto carerent, atque in re tanti momenti deficere ab officio confirmandi fratres suos in vera doctrina Christi : idem certe consequenter admitteret eum a fortiori errare posse in pronuntiando de multis articulis fidei, qui simile momentum ad salutem non habent.

CAPUT III.

UTRUM STEPHANUS, DUM ERROREM CYPRIANI REFUTAVIT, IPSE IN ALIOS ERRORES INCIDERIT.

—

1. Id jactant quidam Gallicani. Nimirum arguunt Stephanum : I. Quod approbarit omnem hæreticorum baptismum, non solum scilicet eorum qui institutam a Christo baptismi formam servarent, sed et eorum qui eam adulterabant. Id autem concludunt ex eo quod Stephanus *a quacumque hæresi* venientes baptizari vetuerit (1).

Sed facile R. ***a.*** Sensum decreti satis manifestum esse ex statu quæstionis, quæ erat solummodo de persona seu fide ministri. Sed et

b. Rectam baptismi formam postulatam fuisse a Stephano, et forte expressis verbis, colligitur ex verbis Firmiliani : « Non putant quærendum esse quis ille sit » qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus sit gratiam » consequi poterit invocata trinitate nominum Patris » et Filii et Spiritus Sancti » (2) et ex aliis paulo infe-

(1) Cypr. Epist. ad Pompeium, n. 1 (Append. pag. 60).

(2) Epist. ad Cypr. n. 9 (Append. pag. 68).

rius : « Nisi si et dæmonem in nomine Patris et Filii » et Spiritus Sancti gratiam baptismi dedisse contendunt qui hæreticorum baptisma defendunt » (1).

2. II. Quod erraverit non distinguendo sacramentum ab effectu sacramenti. Quem scilicet errorem passim videntur tribuere Stephano Cyprianus et Firmilianus, dum illi exprobrant eum docere eos qui in hæresi seu fidem veram non habentes baptizarentur, nihilominus remissionem peccatorum et gratiam Christi consequi (2).

R. 1° Coustant (3) : Hic observandum est primo, nulla Stephani verba nisi ex adversariorum ejus scriptis ad nos pervenisse. Nec dubium quin ea exscripserint, ac forte eo etiam modo expresserint, unde illi majorem invidiam conflare possent. — Deinde metuendum est, ne qui sacramentum et sacramenti effectum non distinguebant, eamdem confusionem Stephano attribuerint, adeo ut quod ille de uno sacramento dixerit, hoc ex præoccupata mente tamquam rem inde consequentem, ab eo etiam de sacramenti effectu dictum interpretati sint. — Quamquam etiam si Stephani verba non mutasse, sed summa fide expressisse ponantur; nihil in iis est, quod aut erroris argui aut non

(1) Epist. cit. n. 11 (Append. p. 69). — Argui forte posset adversus prius testimonium, ea verba obvio sensu optime intelligi de fide baptizati, non de forma adhibita a baptizante, ac proinde ex eo loco non haberi invictam responsionem; sed illa exceptio profecto non valet quoad verba posteriora, imo vero et ex his plane refutatur quoad priora.

(2) Ita Firmilianus Epist. ad Cypr. n. 9 (cit. N. præc.).

(3) Diss. cit. supra (Prooem. II. N. 8) § 4. n. 13.

catholicæ veritati consentaneum judicari possit. Si enim de infantibus sermo est, certum est eos ubicumque et a quocumque baptizati fuerint, statim consequi gratiam Christi. Si de adultis agitur, etiam illud vere in epistola a Jubaiano ad Cyprianum missa scriptum erat « quod quærendum non sit quis baptizaverit, » quando is qui baptizatus sit accipere remissam pec- » catorum potuerit » (1), non simpliciter quidem, et, quemadmodum infantes, ipso sacramenti usu, sed, ut ibi proxime adjicitur, « secundum quod credidit, » hoc est si recta fide acceperit atque omnia præ se tulerit quæ Christiana religio ad hanc gratiam consequiendam requirit. Et hanc quidem Stephani et eorum qui eum illo consentiebant sententiam esse Firmilianus confirmat, ubi de iis qui « non putant quærendum esse quis sit ille qui baptizaverit » hoc testatur : « Dicunt » eum qui quomodocumque foris baptizatur mente et » fide sua baptismi gratiam consequi posse » (2). Quoties igitur Stephanus, et ceteri episcopi cum illo consentientes, baptizatum ab hæreticis gratiam adipisci posse dicunt, ibi « secundum quod credidit » seu « pro fide atque animi dispositione » (3) subaudiendum esse haud suspectis Cypriani atque Firmiliani testimoniis habemus. In quo sane nihil est absurdi, nihil quod veritati non apprime congruat. Potest enim fieri ut quis recte sentiens ab eo quem hæreticum nescit baptismum

(1) Vid. Cypr. Epist. ad Jubaian. n. 4 (Append. pag. 56).

(2) Firmil. Epist. n. 9 (Append. pag. 68).

(3) Ibid. et Cypr. Epist. ad Jubaian. n. 4 (Append. pag. 56).

accipiat : tunc vero hæresis dantis nihil officiet viro sacramentum hoc sana et integra fide suscipienti. Immo et Catholicus ab eo quem hæreticum novit baptismum cum sacramenti hujus effectu potest percipere, si v. g. urgeat periculum mortis et non adsit periculum scandali. — Hactenus Coustant.

3. 2° Aliam explicationem sententiæ Stephani proponit Prud. MARANUS (1). Citatis nimirum verbis a Firmiliano exprobratis Stephano : « Secundum quod » Stephano videtur, hæresis quidem parit et exponit, » expositos autem ecclesia suscipit » (2); perspicitur ex his verbis (ait Maranus), hæresim non sibi, sed ecclesiæ parere, vel potius ecclesiam per hæresim velut per ancillam parere, ita ut quos parit hæresis, filii sponsæ fieri possunt si ad ecclesiam accedant; ab ecclesia autem non suscepti interitum effugere non possint. Stephani doctrinæ simillima est hæc Augustini sententia : « Ecclesia quippe, inquit lib. I. *de* » *Bapt.* n. 12 [23] omnes per baptismum parit, sive » apud se, id est ex utero suo, sive extra se de semine » viri sui... » (3). Immerito ergo Cyprianus et Firmilianus existimarunt Stephanum hæresi veluti sponsæ filios (ad hæreditatem Christi jus habentes) attribuere.... Non absimili sententia videtur (Stephanus) peccatorum remissionem in baptismo hæreticorum agnovisse. Quemadmodum enim ejusmodi baptismus

(1) Præf. ad Opp. Cypr. § 5.

(2) Epist. ad Cypr. n. 14 (Append. pag. 69).

(3) P. L. t. XLIII. p. 121.

hanc vim habet ut quos peperit ancilla ad sponsam pertineant, cum ab ecclesia suscipiuntur; sic quamvis peccata non dimittat in hæresi manentibus, id tamen valet ut redeuntibus ad ecclesiam dimittantur. Id egregie Augustinus explicat lib. I. *de Bapt.* n. 18 : « Intelligant (Donatistæ), inquit, in communionibus ab » ecclesia separatis posse homines baptizari, ubi Christi » baptismus eadem sacramenti celebratione datur et » sumitur : qui tamen tunc prosit ad remissionem pec» catorum, cum quis reconciliatus unitati sacrilegio » dissensionis exuitur, quo ejus peccata tenebantur et » dimitti non sinebantur » (1). Admodum quidem probabilis est ista explicatio Marani, sed non ideo rejicienda prior Coustantii : videtur enim Stephanus, sicut et Augustinus, modo hoc, modo illo sensu locutus.

4. III. Quod Confirmationis sacramentum ab hæreticis collatum invalidum ac proinde reiterandum judicaverit. Accusatio illa confici potest ex verbis Stephani in suo decreto relato a Cypriano, præsertim si adjungantur interpretationes Cypriani et Firmiliani. Ait nimirum Stephanus : « Si quis ergo a quacumque » hæresi venerit ad vos, nihil innovetur nisi quod tra» ditum est, ut manus illi imponatur in pœniten» tiam » (2). Contra quæ arguit Cyprianus : « Si » effectum baptismi majestati nominis tribuunt, ut » qui in nomine Christi ubicumque et quomodocumque

(1) Ibid. p. 119.

(2) Epist. ad Pomp. n. 1 (Append. pag. 60).

» baptizantur, innovati et sanctificati judicentur, cur » non in ejusdem Christi nomine illic et manus baptizato imponitur ad accipiendum Spiritum Sanctum?... » Nam si potest quis, extra ecclesiam natus, templum » Dei fieri, cur non possit super templum et Spiritus » Sanctus infundi?... Qui potest apud hæreticos baptizatus Christum induere, multo magis potest Spiritum Sanctum, quem Christus misit, accipere » (1). Et Firmilianus : « Utique (ait) qui... in Christo baptizatus est induit Christum. Si autem induit Christum, » accipere potuit et Spiritum Sanctum, qui a Christo » missus est, et frustra illi venienti ad accipiendum » Spiritum manus imponitur » (2). Et inferius : « Si in » nomine Christi valuit foris baptisma ad hominem » purgandum, in ejusdem Christi nomine valere illic » potuit et manus impositio ad accipiendum Spiritum » Sanctum » (3). Ex quibus et aliis similibus locis colligi posse videtur manus impositionem, de qua Stephanus in suo decreto, significasse sacramentum Confirmationis, quod Stephanus omnibus ab hæresi ad ecclesiam accedentibus conferri ac proinde iis qui illud in hæresi receperant iterari voluerit.

5. Verum, quidquid sit de interpretatione quam forte ex nimio studio carpendi Stephanum ejus verbis subjecerint Cyprianus et Firmilianus, ex ipsis iis verbis satis colligitur non agi hic de sacramento Confirma-

(1) Ibid. n. 5 (pag. 62).

(2) Epist. ad Cypr. n. 12 (Append. pag. 69).

(3) Epist. cit. n. 18 (pag. 70).

tionis, sed de impositione manus *in pœnitentiam*, in signum scilicet pœnitentiæ acceptæ ab ecclesia et reconciliationis cum ea. Hunc enim ritum recipiendi hæreticos ad ecclesiam redeuntes passim in usu fuisse probari potest multis testimoniis, et speciatim Cypriani ac episcoporum illi adhærentium. Cyprianus etenim Epist. ad Quintum n. 2 : « Quod nos quoque (ait) hodie » observamus, ut quos constet hic baptizatos esse, et a » nobis ad hæreticos transiisse, si postmodum, peccato » suo cognito et errore digesto, ad veritatem et ma- » tricem redeant, satis sit *in pœnitentiam manum* » *imponere* : ut, quia ovis fuerat, hanc ovem abalie- » natam et errabundam in ovile suum pastor reci- » piat » (1). Et Crescens a Cirta in Conc. Carthag. de Bapt. III censere se dixit « omnes hæreticos et schis- » maticos qui ad catholicam ecclesiam voluerint ve- » nire non ante ingredi nisi exorcizati et baptizati » prius fuerint, exceptis his sane qui in ecclesia catho- » lica fuerint ante baptizati, ita tamen ut *per manus* » *impositionem in pœnitentiam* ecclesiæ reconcilien- » tur » (2).

6. Porro, quum ex allatis testimoniis constet quam facilis esset explicatio verborum Stephani quin ea de sacramento Confirmationis intelligerentur, satis mi-

(1) Append. pag. 58.

(2) Ibid. pag. 74 — MATTES tamen (loc. cit. supra Procem. II. N. 8 p. 530 sqq.) et HEFELE (Op. cit. ibid. p. 104. — Cfr. p. 107) admittunt a Stephano etiam Confirmationis iterationem iis qui illam in hæresi receperant necessariam judicatam esse : quam opinionem et ipsi probant contra sententiam communiter receptam (Cfr. Theol. Wirceb. tom. V. fasc. I. p. 283. n. 209).

rum apparet illa a Cypriano potuisse de hoc sacramento intelligi. Itaque MARANUS (1) ut hanc labem a Cypriano avertat, citatis (2) verbis Cypriani Epist. ad Steph. n. 1 : « Tunc enim demum plene sanctificari » et esse filii Dei possunt, si sacramento *utroque* » nascantur, cum scriptum sit : Nisi quis renatus » fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in re- » gnum Dei » (3) et aliis similibus ex epistola ad Jubaianum n. 21 (4) : S. Stephanus (ait) et qui ab illo stabant, etsi baptisma hæreticorum ratum habebant, fatebantur tamen Spiritum Sanctum in ejusmodi baptismo non conferri; ac proinde redeuntibus ab hæresi necessarium esse aliud sacramentum, ut Spiritum Sanctum acciperent, quem in hæresi consequi non potuerant. Hoc autem sacramentum erat manus impositio in pœnitentiam, sive *sacramentum Pœnitentiæ*, quod, teste Cypriano, Spiritum Sanctum pœnitentibus confert. Nam inter alias causas quibus adductus Cyprianus pacem pœnitentibus concesserat, hanc recenset, quod necesse duxerit pœnitentes ad persecutionem sustinendam præparare et Spiritus Sancti donis instruere. « Quando autem [Dominus] dicat, inquit, in » traditis atque in confessione nominis constitutis Spi- » ritum Patris loqui, quomodo potest ad confessionem » paratus aut idoneus inveniri qui non prius, pace » accepta, receperit Spiritum Patris, qui, corroborans

(1) P. L. t. IV. p. 39.
(2) Præter locos supra N. 4 allatos.
(3) Append. pag. 54.
(4) Append. pag. 59.

» servos suos, ipse loquitur et confitetur in nobis » (1). — Hanc Marani explicationem valde probabilem dicere non ausim.

7. IV. Quæri adhuc potest quid intelligendum sit ultimis verbis decreti Stephani a Cypriano relati (2). Ait nimirum : « Si quis ergo a quacumque hæresi » venerit ad vos, nihil innovetur nisi quod traditum » est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam, *cum* » *ipsi hæretici proprie alterutrum ad se venientes* « *non baptizent,* sed communicent tantum. » Rigaltius vocem *proprie* conjungit cum præcedente *hæretici*, ita ut sensus sit : *qui proprie dicuntur hæretici*. Quod non videtur probandum. Nam secundum ingenium latini sermonis referendum est illud adverbium ad ea quæ sequuntur : atque ita videtur hic sensus confici : *Cum hæretici non utantur proprio ritu in baptizando, sed communi* ipsis cum catholicis. Simili modo voces *proprium* et *commune* invicem opponit Horatius poeta, dum ait (3) : « Difficile est *proprie communia* dicere. »

(1) Epist. 54. P. L. t. III. p. 858. pag. 60).
(2) Epist. ad Pomp. n. 1 (Append.
(3) *Art. poët.* v. 128.

CAPUT IV.

UTRUM CYPRIANUS ET FIRMILIANUS OCCASIONE HUJUS CONTROVERSIÆ ALIA QUÆDAM CATHOLICÆ DOCTRINÆ CONTRARIA ADMISERINT.

—

1. Protestantes scilicet ex horum Patrum modo agendi et loquendi concludunt ab iis rejecta fuisse tum auctoritatem traditionis ut regulæ fidei, tum infallibilitatem ecclesiæ, tum denique primatum et infallibilitatem Romani Pontificis. Quod ultimum (circa infallibilitatem Rom. Pont.) contendunt etiam Gallicani.

ARTICULUS I.

UTRUM CYPRIANUS ET FIRMILIANUS RESPUERINT AUCTORITATEM TRADITIONIS.

2. Videtur id colligi posse ex eo quod, quum Stephanus præcipue niteretur antiqua et universali ecclesiæ traditione, Cyprianus et Firmilianus eam existere non negant, sed nihil inde roboris sententiæ Stephani accedere significant. Sic Cyprianus *a.* Epist. ad Quintum n. 2 : « Non est autem (inquit) de consuetudine præ-

» scribendum, sed ratione vincendum (1). » *b.* Epist. ad Jubaian. n. 13 : « Proinde frustra quidam qui ra- » tione vincuntur consuetudinem nobis opponunt : quasi » consuetudo major sit veritate » (2). Et n. 23 : « Non » tamen quia aliquando erratum est, ideo semper erran- » dum est » (3). *c.* Epist. ad Pomp. n. 3 : « Quæ ista » obstinatio est, quæve præsumptio, humanam tradi- » tionem divinæ dispositioni anteponere, nec animad- » vertere indignari et irasci Deum quoties divina » præcepta solvit et præterit humana traditio » (4)? Et n. 9 : « Nec consuetudo quæ apud quosdam obrepserat » impedire debet quominus veritas prævaleat et vincat. » Nam consuetudo sine veritate vetustas erroris est. » Propter quod, relicto errore, sequamur veritatem » (5). *d.* Firmilianus item Epist. ad Cypr. n. 19 : « Quod » autem pertinet ad consuetudinem refutandam, quam » videntur opponere veritati, quis tam vanus sit ut veri- » tati consuetudinem præferat, aut qui, perspecta luce, » tenebras non derelinquat? Nisi si et Judæos, Christo » adventante, id est veritate, adjuvat in aliquo anti- » quissima consuetudo, quod, relicta [s. rejecta] nova » veritatis via, in vetustate permanserint » (6).

3. Verum (7) Cyprianus et Firmilianus nusquam que- runtur quod Stephanus traditionem apostolicam ut

(1) Append. pag. **58.**
(2) Append. pag. **58.**
(3) Append. pag. **60.**
(4) Append. pag. **61.**
(5) Append. pag. **64.**
(6) Append. pag. **70.**
(7) Ita fere MARANUS (P. L. t. IV. p. 37).

fidei regulam proponat. Nec diffitentur hanc traditionem de baptismo non iterando observandam esse, si ab apostolis orta sit; sed ortam ab apostolis negant. Sic Cyprianus *a.* Epist. ad Jubaian. n. 13 : « Nec quis» quam dicat, quod accepimus ab apostolis hoc se» quimur, quando apostoli nonnisi unam ecclesiam » tradiderunt et baptisma unum, quod nonnisi in » eadem ecclesia sit constitutum, et neminem invenia» mus ab apostolis, cum apud hæreticos baptizatus » esset, in eodem baptismo admissum esse et commu» nicasse, ut videantur apostoli baptisma hæreticorum » probasse » (1). Et n. 15 : « Quare si rejectis humanæ » contentionis erroribus ad evangelicam auctoritatem » atque ad apostolicam traditionem sincera et religiosa » fide revertamur, intelligimus nihil eis ad gratiam ec» clesiasticam et salutarem licere qui spargentes atque » impugnantes ecclesiam Christi, a Christo ipso ad» versarii, ab apostolis vero ejus antichristi nominan» tur » (2). *b.* Epist. ad Pomp. n. 10 : « Quod et nunc » facere oportet Dei sacerdotes præcepta divina ser» vantes, ut si in aliquo nutaverit et vacillaverit veri» tas, ad originem dominicam et ad evangelicam atque » apostolicam traditionem revertamur et inde surgat » actus nostri ratio, unde et ordo et origo surrexit » (3). *c.* Et Firmilianus Epist. ad Cypr. n. 19 : « Quod » quidem adversus Stephanum vos dicere Afri potestis,

(1) Append. pag. 58.
(2) Ibid.
(3) Append. pag. 65.

» cognita veritate errorem vos consuetudinis reliquisse.
» Ceterum nos veritati et consuetudinem jungimus, et
» consuetudini Romanorum consuetudinem, sed veri-
» tatis, opponimus, ab initio hoc tenentes quod a Chri-
» sto et ab apostolis traditum est. Nec meminimus
» hoc apud nos aliquando cœpisse... » (1)

ARTICULUS II.

UTRUM CYPRIANUS ET FIRMILIANUS NON AGNOVERINT INFALLIBILITATEM ECCLESIÆ, ET SPECIATIM ROM. PONTIFICIS.

4. Nimirum, aiunt, quamvis agnoscerent isti Patres antiquitatem et quasi universalitatem traditionis ecclesiasticæ circa validitatem baptismi ab hæreticis collati, hanc traditionem tamen erroneam et Christi ac apostolorum doctrinæ contrariam pronuntiabant. Ergo ecclesiam infallibilem negabant quoad interpretationem hujus doctrinæ. — Et multo magis id constat quoad infallibilitatem Romani Pontificis. Quum enim Stephanus diserte definivisset baptismum ab hæreticis collatum validum esse nec proinde iterandum, ipsi præfracte eam definitionem respuerunt et erroneam ac perniciosam contenderunt.

5. Nec juvat reponere 1° definitionem hanc non fuisse dogmaticam, sed Stephanum prudenti consilio abstinuisse a definiendo ipso principio dogmatico et

(1) Append. pag. 70.

tantummodo jussisse ut nihil innovaretur quoad praxim. Nam *a.* Cyprianus et Firmilianus certe istam quæstionem tamquam dogmaticam tractarunt et principium dogmaticum decreto Stephani definitum esse intellexerunt (1). Et confirmari id potest ex iis quæ attulimus paulo supra (2), ubi rejiciunt argumentum ex consuetudine deductum. Nam si existimassent quæstionem agitatam esse mere disciplinarem, certe consuetudo ecclesiastica quasi universalis et antiqua (etiamsi non instituta ab apostolis) præcipuum quoddam argumentum fuisset ad eam resolvendam. — *b.* Definitio disciplinaris in præsenti materia non minus ad objectum infallibilitatis pertinebat quam definitio dogmatica (3). — *c.* Denique, etiamsi daretur agi de re mere disciplinari, inde consequeretur eos denegasse Romano Pontifici potestatem statuendi de iis quæ ad universalem ecclesiæ disciplinam pertinent, ac proinde ejus primatum jurisdictionis : is autem æque perspicue inter privilegia Romanæ sedis a catholicis asseritur atque infallibilitas, ac proinde qui hujusmodi primatum seu jus definiendi quæstiones disciplinares huic sedi denegat, non minus illi infallibilitatem seu jus definiendi quæstiones dogmaticas denegare censendus est.

6. Neque juvat reponere 2° saltem Stephanum rem non definivisse ex cathedra (4). Nam, quidquid sit de

(1) Cfr. supra Cap. II.
(2) Huj. Cap. N. 2.
(3) Cfr. supra Cap. II. N. 4, 2°.
(4) Cfr. Theol. Wirceb. *De Sacram. in gen.* n. 140 (tom. V. fasc. I. p. 106).

ipsa re, certe Cyprianus et Firmilianus nusquam, in prolixis iis epistolis ubi auctoritatem decreti Stephani omnibus modis impugnant, vel minimo indicio significarunt se ideo posse abstinere ab adhærendo illi quia non satis solemni ritu latum esset aut dubitare num Stephanus usus esset omni sua auctoritate apostolica.

7. Jam ut via sternatur ad hanc difficultatem, prima specie adeo gravem, penitus solvendam, recoluisse primo juvabit quæ illustriores primævæ illius antiquitatis Patres antea prædicaverant de Petri et ejus in ecclesia Romana successorum primatu et prærogativis. Ubi omissis nonnullis factis quibus auctoritas Romanæ sedis in universam ecclesiam in exercitio agnita demonstratur, qualia sunt epistolæ a Corinthiis ad Clementem R. P. et ab hoc Pontifice ad illos scriptæ (1), epistola item Dionysii Corinthii ad Soterem (2), recursus Valentini, Cerdonis, Marcionis et aliorum hæreticorum Romam (3) ubi in sua ecclesia condemnati fuerant et solemnes condemnationes a Romanis Pontificibus contra eosdem pronuntiatæ (4), ratio agendi

(1) P. G. t. I. p. 200 sqq.

(2) Ap. Euseb. *H. E.* II. 24 et IV. 23 (P. G. t. XX. pp. 209, 388, 389).

(3) Iren. *Adv. Hær.* III. 4 (P. G. t. VII. pp. 856, 857).

(4) Sic Ebionitas « Clemens [Romanus]... redarguit iis *Epistolis circularibus* quæ ab eo scriptæ in sacrosanctis ecclesiis leguntur, » teste Epiphanio *Hær.* 30. n. 15 (P. G. t. XLI. p. 430); Theodotus Byzantinus a Victore S. P. et Montanistæ seu Cataphryges a Zephyrino condemnati sunt (Euseb. *H. E.* V. 28); Sabellius item et rursus Montanistæ a Callisto (Cfr. Append. pag. 48 post med. et supra pag. 178).

Victoris et aliorum episcoporum in controversia circa celebrationem festi Paschalis (1), ea solum testimonia recensebimus ubi illa auctoritas magis directe et distincte asseritur. Hæc autem præbent :

1. IGNATIUS Antiochenus, dum epistolam suam ad Romanos missam inscribit « Ecclesiæ quæ *præsi-* » *det* (*προκάθηται*) in loco regionis Romanorum,... *uni-* » *verso cœtui fraternitatis præsidens* (*προκαθημένη τῆς* » *ἀγάπης*) » (2). — Certe nulla hujusmodi verba reperiuntur in capite aliarum Ignatii epistolarum, quæ inscriptæ sunt *Ecclesiæ quæ est Ephesi* (3), *Ecclesiæ quæ Magnesiæ est* (4), *Ecclesiæ sanctæ quæ est Trallibus* (5), *Ecclesiæ... quæ est Philadelphiæ* (6) *Ecclesiæ... quæ est Smyrnæ* (7), quarum ecclesiarum nulla, sicut Romana, dicitur *præsidere*. Nec vim argumenti minuit, sed auget locus parallelus adductus ab Hefele (8), ubi Antiochia *προκαθημένη τῆς ἀνατολῆς*, præsidens Orienti, vocatur apud Joannem Antiochenum.

2. IRENÆUS de ecclesia Romana : « Ad hanc enim » ecclesiam (ait) propter potentiorem [*al.* potiorem] » principalitatem necesse est convenire omnem eccle- » siam, hoc est eos qui sunt undique, in qua semper ab » his qui sunt undique conservata est ea quæ est ab » apostolis traditio » (9). — Quod præclarum testimo-

(1) Cfr. supra Diss. II. Cap. V. N. 4 (pag. 80).
(2) P. G. t. V. p. 686.
(3) Ibid. p. 643.
(4) Ibid. p. 662.
(5) Ibid. p. 674.
(6) Ibid. p. 698.
(7) Ibid. p. 707.
(8) Ibid. p. 686. not. 30.
(9) Append. pag. 2.

nium frustra violentarum interpretationum nebulis offuscare conati sunt qui illius præsidium Romanæ ecclesiæ ereptum vellent (1).

3. ORIGENES *a.* Sæpius enuntiat Petrum esse fundamentum ecclesiæ (2) et aliis locis soliditatem petræ super quam ædificavit Christus ecclesiam prædicat (3).

(1) Has cavillationes egregie refutavit Ill. D. FREPPEL in suo opere *Saint Irénée et l'éloquence chrétienne dans la Gaule pendant les deux premiers siècles* (Paris 1861. 8), 20ᵉ leç.

(2) Sic *α*) Hom. v. *in Exod.* n. 4 : „ Vide magno illi ecclesiæ fundamento et petræ solidissimæ, super quam Christus fundavit ecclesiam, quid dicatur a Domino : Modicæ, inquit, fidei, quare dubitasti „ (P. G. t. XII. p. 339). — *β*) Lib. v. *expositionum in Joann.* ap. EUSEB. *H. E.* VI. 25 : „ Petrus autem, cui tamquam fundamento superstructa est (ἐφ' ᾧ οἰκοδομεῖται) ecclesia Christi, adversus quam nec ipsæ inferorum portæ prævalituræ sunt „ (P. G. t. XX. p. 583). — *γ*) Lib. v. *Comment. in Epist. ad Rom.* : „ Petro cum summa rerum de pascendis ovibus traderetur, et super ipsum velut super terram fundaretur ecclesia, nullius alterius ab eo virtutis confessio nisi charitatis exigitur „ (P. G. t. XIV. p. 1053).

(3) Sic tom. XII. *Comment. in Matth.* n. 11 extr. : „ ... Non prævalebunt adversus eam. Quam autem, eam? An enim petram, super quam Christus ædificat ecclesiam? An ecclesiam? Ambigua quippe locutio est. An quasi unam eamdemque rem, petram et ecclesiam? Hoc ego verum esse existimo; nec enim adversus petram, super quam Christus ecclesiam ædificat, nec adversus ecclesiam portæ inferi prævalebunt : quemadmodum neque via colubri super petram, juxta id quod in Proverbiis scriptum est, reperiri possit. Quod si adversus aliquem inferi portæ prævalebunt, qui talis erit, neque petra super quam Christus ecclesiam ædificat nec ecclesia a Christo super petram ædificata fuerit. Petra quippe serpenti inaccessa est et fortior portis inferi sibi adversantibus, adeo ut propter robur illius portæ inferi adversus eam non prævaleant. Ecclesia vero, tamquam Christi ædificium, qui sapienter ædificavit domum suam super petram, portarum inferi capax non est, prævalentium quidem adversus quemcumque hominem qui extra petram et ecclesiam fuerit, sed invalidarum adversus illam „ (P. G. t. XIII. p. 1003). — Quo loco quidem Origenes, more suo ad allegoricos et morales sensus deflectens, petræ nomine significat quemlibet christianum qui fidem Petri imitatur. Inde tamen non mi-

b. Petrum quoad auctoritatem in ecclesia exercendam aliquid amplius quam ceteros apostolos ait accepisse a Domino (1). — Unde, quum ejus tempore dubium non esset, sicut generatim episcopos in locum apostolorum, ita speciatim Romanum Pontificem successisse in locum Petri, sponte consequitur hujus in illos ex divina institutione primatus. Præterea nimia hæc exaggeratione prolata sunt quam ut de Petro individue sumpto et non tamquam personam officii perpetuo in ecclesia perseveraturi gerente intelligantur.

4. TERTULLIANUS *a.* Non semel indicavit Petro singulariter a Domino collatas esse claves regni cœlorum

nuitur vis argumenti ex eo desumpti quod ex una parte petram, super quam Christus ædificavit ecclesiam suam, litterali sensu ipsum esse apostolum Petrum, ex alia vero, adversus hanc petram numquam prævalituras inferi portas affirmat.

(1) Sic tom. XIV. *Comment. in Matth.* n. 31 : « Verum quæ uni Petro supra concessa sunt, hic omnibus quoque videtur tribuisse qui peccatores quoslibet ter corripuerint, ut si mos iis gestus non fuerit, supra terram eum alligent qui ut pro ethnico et publicano dignus haberetur judicatus est, cum et in cœlo alligatus ille sit [MATTH. XVIII. 15-18]. At quoniam præ iis qui ter arguerunt, peculiare aliquid Petro tribui oportebat, etiamsi de Petro et qui ter fratres arguerunt commune aliquid dictum sit, privatim illud Petro attributum est : Dabo tibi claves regni cœlorum, prius quam illud : Quæcumque alligaveritis super terram, et cætera. Ac sane si ad evangelica scripta animum diligenter appellamus, ibi magnum inveniemus discrimen et excellentiam eorum quæ Petro præ iis quæ aliis dicta sunt, etiam in iis rebus quæ Petrum inter eosque qui ter fratres objurgaverunt communes esse videntur. Nec enim exigua differentia est claves non unius cœli Petrum, sed plurimorum accepisse, et quæcumque super terram alligaverit, non in uno cœlo, sed in omnibus ligata esse, præ pluribus aliis qui super terram et alligant et solvunt ita ut hæc alligata et soluta sint non in cœlis, sicut Petro concessum est, sed in uno cœlo : nec enim eo penetrandi facultate pollent, quemadmodum Petrus, ut alligent vel solvant in omnibus cœlis » (P. G. t. XIII p. 1179).

et in ipso fundatam esse ecclesiam (1). *b.* Distinctius etiam significavit eas claves a Domino *per Petrum* relictas esse ecclesiæ (2). *c.* Per ea quæ habet in libro suo *de Pudicitia,* arguens decretum a Zephyrino vel potius Callisto contra Montanistas promulgato, ostendit Pontifici Romano attributa esse jus ferendi decreta *peremptoria* in materia fidei et juris ecclesiastici, ac titulos *Pontificis Maximi* et *Episcopi episcoporum* (3) et *Apostolici* (4), necnon tamquam successori Petri universalem potestatem ligandi et solvendi ex verbis Domini ad Petrum (5) deductam (6). Hæc quidem irridet

(1) *De Præscript.* c. 22 : « Latuit » aliquid Petrum, ædificandæ eccle- » siæ petram dictum, claves regni » cœlorum consecutum, et solvendi » et alligandi in cœlis et in terris po- » testatem? » (P. L. t. II. p. 34). — *De Monogamia* c. 8 : « Petrum solum » invenio maritum, per socrum; mo- » nogamum præsumo, per ecclesiam, » quæ super illum ædificata, omnem » gradum ordinis sui de monogamis » erat collocatura » (Ibid. p. 939). — Adde cit. in nott. seqq.

(2) *Scorpiace* c. 10 : « Nam et si ad- » huc clausum putas cœlum, me- » mento claves ejus hic Dominum » Petro et, per eum, ecclesiæ reli- » quisse » (Ibid. p. 142).

(3) *De Pudic.* c. 1 : « Audio etiam, » edictum esse propositum et quidem » peremptorium. Pontifex scilicet » maximus, quod est Episcopus epi- » scoporum, dicit : Ego et mœchiæ » et fornicationis delicta pœnitentia » functis dimitto » (Ibid. p. 981). — Cfr. supra pag. 178. not. 1. — Nota etiam verba subsequentia, ubi significatur illud decretum pro Ecclesia absolute seu pro tota Ecclesia latum : « Sed hoc in Ecclesia legitur, » et in Ecclesia pronuntiatur, et » virgo est. Absit, absit a sponsa » Christi tale præconium... »

(4) Ibid. c. 21 : « Exhibe igitur et » nunc mihi, apostolice, prophetica » exempla... » (Ibid. p. 1024).

(5) MATTH. XVI. 18, 19.

(6) *De Pudic.* c. 21 : « Vindica tibi » delictorum ejuscemodi remittendo- » rum potestatem.... Si, quia dixerit » Petro Dominus : Super hanc pe- » tram ædificabo ecclesiam meam; » tibi dedi claves regni cœlestis, vel : » Quæcumque alligaveris vel solveris » in terra, erunt alligata vel soluta » in cœlis; idcirco præsumis et ad te » derivasse solvendi et alligandi po- » testatem, id est ad omnem eccle- » siam Petri propinquam, qualis es » evertens atque commutans mani-

et impugnat Tertullianus tunc hæreticus; at profecto nemo crediderit eum in hac impugnatione expressisse sensum catholicum. Certe olim, antequam ita Montanistarum errori immersus esset, auctoritatem ecclesiæ Romanæ ex auctoritate Petri et Pauli in ea permanente, magnificis verbis prædicavit (1), et hic, ubi contendit potestatem solvendi et alligandi Petro a Domino tributam *nihil* pertinere *ad delicta fidelium capitalia*, laboriosa et miserrima argumentatione contradicit sensui totius antiquitatis christianæ et præterea, sicut et dum affirmat potestatem illam *personaliter Petro collatam* esse, sibi ipsi, quum antea tam diserte enuntiasset àd aperiendum cœlum claves a Domino *Petro et, per eum, ecclesiæ* relictas (2).

" festam Domini intentionem *perso-* " *naliter hoc Petro conferentem. Su-* " *per te,* inquit, ædificabo ecclesiam " meam; et Dabo *tibi* claves, non " *ecclesiæ;* et Quæcumque *solveris* " vel *alligaveris,* non quæ *solverint* " vel *alligaverint.* Sic enim et exitus " docet. In ipso ecclesia exstructa " est, id est per ipsum, ipse clavem " imbuit; vide quam : Viri Israelitæ, " auribus mandate quæ dico; Jesum " Nazarenum virum a Deo vobis de- " stinatum [*Act.* II. 22], et reliqua. " Ipse denique primus in Christi " baptismo reseravit aditum cœlestis " regni, quo solvuntur alligata retro " delicta et alligantur quæ non fue- " rint soluta, secundum veram salu- " tem; et Ananiam vinxit vinculo " mortis, et debilem pedibus absolvit " vitio valetudinis [*Act.* V. 5; III. 7]. " Sic et in illa disceptatione custo- " diendæ necne legis, primus omnium " Petrus spiritu instinctus et de na- " tionum vocatione præfatus : Et " nunc, inquit, cur tentatis Domi- " num de imponendo jugo fratribus " quod neque nos neque patres nostri " sufferre valuerunt? Sed enim per " gratiam Jesu credimus nos salu- " tem consecuturos sicut et illi [*Act.* " XV. 10, 11]. Hæc sententia et solvit " quæ omissa sunt legis, et alligavit " quæ reservata sunt. *Adeo nihil ad* " *delicta fidelium capitalia potestas* " *solvendi et alligandi Petro emanci-* " *pata* " (P. L. t. II. p. 1024-1026).

(1) *De Præscript.* cap. 36 (cit. Append. pag. 8).

(2) Cfr. supra pag. præc. not. 2.

5. Quædam reperiuntur in recens invento opere *Philosophoumenon*, quæ auctoritatem primatialem Romanæ ecclesiæ in universum orbem christianum, idque tum circa doctrinam fidei tum circa disciplinam, agnitam præclare manifestant (1).

6. Ecclesia Romana simpliciter *catholica* dicitur tum a Cornelio R. P. in epistola ad Fabium Antiochenum (2), tum a confèssoribus illis qui aliquamdiu a Novatiano seducti ut ipsius schismati adhærerent, mox ad veram ecclesiam reversi sunt (3), tum etiam a Cypriano (4).

7. Cyprianus *a.* Sæpe testatus est ecclesiam in Petro esse fundatam et indè præcipuum principium unitatis ejus desumi (5), speciatim vèro celebri testimonio

(1) Cfr. supra Diss. IV. Cap. IV. N. 2-6 (pag. 214 sqq.).

(2) Cit. supra Diss. III. Cap. IV. N. 27 (pag. 126).

(3) « Nos, inquiunt, Cornelium episcopum sanctissimæ catholicæ ecclesiæ electum a Deo omnipotente et Christo Domino nostro scimus. Nos errorem nostrum confitemur... Nec enim ignoramus ... unum episcopum in catholica ecclesia esse debere. » Cornelii S. P. Epist. ad Cyprian. (inter Cypr. epist. 46. n. 2. P. L. t. III. p. 721).

(4) « ... Nec posse a quoquam nostrum sibi communicari, qui episcopo Cornelio in catholica ecclesia de Dei judicio et cleri ac plebis suffragio ordinato.... » Cypr. Epist. 67. Ad Stephan. R. P. (P. L. t. III. p. 994).

(5) Sic Epist. 40. n. 5 : « Deus unus est et Christus unus, et una ecclesia et cathedra una super petram Domini voce fundata » (P. L. t. IV. p. 336). — Epist. 55. n. 7 : « Petrus tamen, super quem ædificata ab eodem Domino fuerat ecclesia.... » (P. L. t. III. p. 806). — Epist. 69. n. 8 : « Loquitur illic Petrus, super quem ædificanda fuerat ecclesia » (P. L. t. IV. p. 406). — *De habitu virg.* n. 10 : « Petrus etiam, cui oves suas Dominus pascendas tuendasque commendat, super quem posuit et fundavit ecclesiam... » (Ibid. p. 449). — Epist. ad Fortunatum seu *De exhortatione martyrii* cap. 11 :

quod habetur lib. *De Unitate Ecclesiæ* n. 3. extr. — 4; ubi (1) : « Hoc eo fit (ait) fratres dilectissimi, dum

« Cum septem liberis plane copula- » tur et mater origo et radix, quæ » ecclesias septem postmodum pepe- » rit, ipsa prima et una super Pe- » trum [*al.* petram] Domini voce fun- » data » (Ibid. p. 668). — Et in ipsis documentis ad præsentem controversiam pertinentibus, Epist. 70. Ad Januar. n. 3 : « ... Una ecclesia a » Christo Domino super Petrum ori- » gine unitatis et ratione fundata » (Append. pag. 52). — Epist. 71. Ad Quintum, n. 2 : « Nam nec Petrus, » quem primum Dominus elegit et » super quem ædificavit ecclesiam » suam, ... » (Append. pag. 53). — Epist. 73. Ad Jubaian. n. 7 : « Nam » Petro primum Dominus, super » quem ædificavit ecclesiam, et unde » unitatis originem instituit et osten- » dit.... » (Append. pag. 57). Et n. 11: « Quo venturus est qui sitit, utrumne » ad hæreticos... An ad ecclesiam, » quæ una est super unum, qui et » claves ejus accepit, Domini voce » fundata? » (P. L. t. III. p. 1116).

(1) Plerique codices mss. non habent textum integrum sicut eum hic transcripsimus. Unde Baluzius, post Rigaltium, eum interpolatum censuit (Vid. P. L. t. IV. p. 497. n. 4.). Fusius argumenta quæ interpolationem ostendant affert Oxoniensis editor Operum S. Cypriani (Fellus, Oxoniensis episcopus Anglicanus) p. 76. not. 2. Quam argumentationem ita concludit : « Præterquam vero quod exiguus omnino iste sit numerus (codicum textum nostrum integrum exhibentium) si cum illis conferatur qui veterem tuentur lectionem : hoc peculiare occurrit, quod illi plerique qui interpolationibus istis favere videntur non magis a recepta prius lectione quam ab invicem discedunt: et ita locum varie torquent, amputant et perturbant.... Monere pretium operæ fortasse hic fuerit, quod duo illi Bodleiani codices, qui interpolationi supra memoratæ videntur assentire, nuper Bibliothecæ nostræ inferebantur; quorum alter hoc habet admodum peculiare, quod postquam paragraphum totum assumentis prædictis locupletasset, et plurimis textui detractis, vices denuo rependisset, omnia de integro exequitur, assumentis prorsus omissis, et quæ prius præteriebantur restitutis; ita ut cuilibet constare possit, librarium quæ in margine invenerat textui inseruisse, deinde in opere bona fide progressum. » Itaque uncinis intercludentibus distinguenda duximus ea quæ primævo textui interpolata ab his eruditis censentur. Ceterum cum Marano (Præf. ad Opp. S. Cypriani § III. — P. L. t. IV. p. 26) observare licet « si ea retineantur quæ Oxoniensis editor et Baluzius expunxerunt, nihil affuturum quod cum Cypriani doctrina non apprime quadret; sin autem recidantur, reliquas testimonii hujus partes satis per se habituras momenti ad primatum ecclesiæ Romanæ. »

„ ad veritatis originem non reditur, nec caput quæri-
„ tur, nec magistri cœlestis doctrina servatur. Quæ si
„ quis consideret et examinet, tractatu longo atque
„ argumentis opus non est. Probatio est ad fidem
„ facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad
„ Petrum : Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, et
„ super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, et
„ portæ inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claves
„ regni cœlorum : et quæ ligaveris super terram erunt
„ ligata et in cœlis : et quæcumque solveris super ter-
„ ram, erunt soluta et in cœlis. Et iterum eidem post
„ resurrectionem suam dicit : Pasce oves meas. *Super*
„ [*illum*] *unum ædificat ecclesiam suam*, [et illi
„ pascendas mandat oves suas]. Et quamvis apostolis
„ omnibus [post resurrectionem suam] parem potesta-
„ tem tribuat et dicat : Sicut misit me Pater, et ego
„ mitto vos; accipite Spiritum Sanctum; si cujus remi-
„ seritis peccata, remittentur illi, si cujus tenueritis,
„ tenebuntur, tamen, *ut unitatem manifestaret*, [unam
„ cathedram constituit], *unitatis ejusdem originem ab*
„ *uno incipientem sua auctoritate disposuit*. Hoc
„ erant utique et ceteri apostoli quod fuit Petrus,
„ pari consortio præditi et honoris et potestatis, *sed*
„ *exordium ab unitate proficiscitur* [et primatus Pe-
„ tro datur, ut una Christi ecclesia et cathedra una
„ monstretur. Et pastores sunt omnes, et grex unus
„ ostenditur, qui ab apostolis omnibus unanimi consen-
„ sione pascatur] *ut ecclesia* [*Christi*] *una monstretur*.
„ Quam unam ecclesiam etiam in Cantico Canticorum

» Spiritus Sanctus ex persona Domini designat et dicit: » Una est columba mea, perfecta mea, una est matri » suæ, electa genetrici suæ. Hanc ecclesiæ unitatem » qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui ecclesiæ » renititur et resistit, [qui cathedram Petri, super quem » fundata est ecclesia deserit], in ecclesia se esse confidit? Quando et beatus apostolus Paulus hoc idem » doceat, et sacramentum unitatis ostendat, dicens: » Unum corpus et unus Spiritus, una spes vocationis » vestræ, unus Dominus, una fides, unum baptisma, » unus Deus » (1).

b. Romanum Pontificem successorem Petri prædicavit (2).

c. Ecclesiam Romanam vocavit *ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est* (3), *ecclesiam catholicam* (4), *ecclesiæ catholicæ radicem et matricem* (5).

8. Denique FIRMILIANUS Stephanum R. P. « qui (ait) » sic de episcopatus sui loco gloriatur et se successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta » ecclesiæ collocata sunt,... qui per successionem cathe-

(1) P. L. t. IV. p. 498.

(2) Epist. 52. n. 8 et Epist. 55. n. 14 (cit. Append. pag. 4).

(3) Epist. 55. n. 14 (Append. pag. 4).

(4) Vid. supra pag. 269. not. 4.

(5) Epist. 45. ad Corn. S. P. n. 3: » Nos enim singulis [Romam] navigantibus, ne cum scandalo ullo » navigarent rationem reddentes, scimus nos hortatos eos esse ut ecclesiæ catholicæ radicem et matricem » agnoscerent ac tenerent » (P. L. t. 3. p. 710).

» dram Petri habere se prædicat » (1) non reprehendit quod dignitatem suam inaniter vel insolenter jactitet, sed quod, hæreticorum baptismum probando, eam dignitatem non satis tueatur.

8. Ex his omnibus itaque liquido constat, necessitatem adhærendi ecclesiæ Romanæ et cum ea conveniendi circa doctrinam christianam tamquam cum fundamento ecclesiæ universalis et principio principali unitatis ejus, explicite agnitam fuisse in catholico intellectu et in manifesta prædicatione ecclesiastica ab exordio ecclesiæ aut certe inde ab extremo seculo II. Restat ut explicetur quomodo factum hoc conciliari possit cum facto non minus certo resistentiæ Cypriani et ceterorum omnium, ut videtur, episcoporum Afrorum, itemque Firmiliani et episcoporum provinciæ suæ, decreto alicui summi Pontificis, quod utique ex una parte *peremptorium* agnoscebant, ex alia vero parte manifeste erroneum ac Scripturæ divinæ et apostolicæ traditioni contradicere magna vi asserebant. In qua re, ne cogamur dicere omnes illos episcopos in formalem hæresim incidisse et pertinaciter eidem inhæsisse, hæc una videtur superesse ratio. Nimirum altera hæc veritas, quæ jamdudum consensu theologorum et catholicæ plebis admissa, nuper a SS. DD. Pio IX, de sententia Concilii œcumenici Vaticani solemniter definita est, *singulos* scilicet Romanos Pontifices in *singulis* decretis quæ in re fidei aut morum *peremptorie* seu *ex*

(1) Epist. ad Cypr. n. 17 (Append. pag. 69).

cathedra edunt, privilegio inerrantiæ gaudere : hæc veritas, inquam, ex priori, exordio hujus numeri enuntiata, tam facili et necessaria consecutione eruitur ut mirum videri debeat, id aliquem unquam latere potuisse. Attamen hanc posteriorem veritatem *sub illa distincta formula* antiquis iis temporibus propositam non videmus, ac proinde forte judicandum est eam tunc « usu et praxi magis quam theoretica et distincta propositione ac instanti prædicatione » fuisse admissam (1). Hoc autem statu rerum non ita difficile fieri potuit ut quorum mentibus præjudicium de certitudine alicujus suæ sententiæ alte insedisset, ii, ubi eam sententiam deinde a Romano Pontifice refutatam viderent, jam in æstu controversiæ, non quidem explicite et theoretice, sed practice contradicerent capiti doctrinæ quod alias sincero et magno animo defendissent vel etiam defenderant. Cujus rei exemplum aliquod ex documentis nostris proferre licet, quod scilicet Cyprianus, qui adeo diserte et vehementer prædicaverat quæcumque ad unitatem ecclesiæ tuendam conferunt, in hac controversia ea principia protulit quæ maxime unitati ac hierarchiæ omni in ecclesia destruendæ essent, ubi scilicet satis distincte enuntiavit unicuique episcopo plenam esse potestatem in sua diœcesi ovibus suis proponendi quidquid ad earum salutem opportunius judicaverit ac soli Deo de hujus potestatis exer-

(1) Cfr. quæ de explicatione doctrinæ catholicæ ex Em. Card. Franzelin tractatu *De Divina Traditione* memoravimus *Introd. Gener.* Tract. II. N. 9-12 (pag. 57-61).

citio rationem illi esse reddendam (1). Hæc certe mente quieta nunquam protulisset Cyprianus, sed potius, si fuissent proposita, vehementer impugnasset.

(1) Epist. ad Steph. n. 3 : « Qua in » re nec nos vim cuiquam facimus aut » legem damus, quando habeat in » ecclesiæ administratione voluntatis » suæ arbitrium liberum unusquis- » que præpositus, rationem actus sui » Domino redditurus » (Append. pag. **55**). — Epist. ad Jubaian. n. 26 : « Hæc tibi breviter pro nostra medio- » critate rescripsimus, frater caris- » sime, nemini præscribentes aut » præjudicantes quominus unusquis- » que episcoporum quod putat faciat, » habens arbitrii sui liberam potesta- » tem » (Append. pag. **60**). — Act. Conc. Carthag. III. de bapt. init. « ... Neque enim quisquam nostrum » episcopum se esse episcoporum » constituit, aut tyrannico terrore ad » obsequendi necessitatem collegas » suos adigit, quando habeat omnis » episcopus pro licentia libertatis et » potestatis suæ arbitrium proprium, » tamque judicari ab alio non possit » quam nec ipse potest alterum judi- » care. Sed exspectemus universi ju- » dicium Domini nostri Jesu Christi, » qui unus et solus habet potestatem » et præponendi nos in ecclesiæ suæ » gubernatione et de actu nostro ju- » dicandi » (Append. pag. **78**).

DISSERTATIO VI.

DE DEFINITIONE CONCILII ANTIOCHENI (ANNO 269 VEL 270) CIRCA VOCEM ὁμοούσιος.

PROŒMIUM.

1. Dum post Concilium Nicænum vehementes fervebant controversiæ circa Arianam hæresim, exorta est factio quædam quasi media inter catholicos, qui decreta Nicæna et speciatim vocem ὁμοούσιος, ad significandam habitudinem Filii ad Patrem a Concilio professioni fidei introductam, omni ope tuebantur, et Arianos, qui Filium Dei creaturam dicebant. Hujus sectatores nomen acceperunt Semiarianorum. Qui quidem, quoad rem ipsam, orthodoxam omnino fidem profitebantur, Verbum non creatum, sed ex substantia Patris genitum affirmantes, at respuebant vocem ὁμοούσιος et rectius Filium Patri ὁμοιούσιον dicendum contendebant. Eos autem Patres illius temporis non hæreticos, sed ortho-

doxos reputabant, ut habetur ex testimoniis Athanasii, Hilarii et Basilii (1).

(1) ATHANASIUS, *De Synodis Arimini et Seleuciæ celebratis* n. 41 : « Viros » (ait) qui alia quidem omnia Nicææ » scripta recipiunt, de solo autem » consubstantialis vocabulo ambi- » gunt, non ut inimicos spectari par » est. Neque enim velut Ariomanitas » aut Patrum adversarios, homines » aggredimur, sed disputamus veluti » fratres cum fratribus, qui eadem » qua nos sunt sententia, solo nomine » in controversiam adducto... Talis » est Basilius Ancyræ qui de fide » scripsit » (P. G. t. XXVI. p. 763). — HILARIUS item in suo libro *de Synodis seu de fide Orientalium*, ubique eos ut fratres alloquitur, speciatim n. 88 : « Homousion, sanctissimi viri, » intelligo ex Deo Deum, non dissi- » milis essentiæ, non divisum, sed na- » tum, et ex innascibilis Dei substan- » tia congenitam in Filio, secundum » similitudinem, unigenitam nativi- » tatem... Decernatur nihil differre, » unius et similis esse substantiæ... » Unum atque idem pie sapimus, » rogo ut unum atque idem quod sa- » pimus, pium inter nos esse velimus. » Date veniam, fratres, quam fre- » quenter poposci : Ariani non estis : » cur negando homousion censemini » Ariani? » (P. L. t. X. p. 540). Et n. 91 ita eos carpit quod homousion anathemate damnavissent : « Oro » vos, fratres, adimite suspicionem, » excludite occasionem. Ut probari » possit homœusion, non improbe- » mus homousion. Cogitemus tot sa- » cerdotes sanctos et quiescentes : » quid de nobis Dominus judicabit, si » nunc anathematizantur a nobis? » Quid de nobis erit, qui rem eo de- » ducimus, ut quia episcopi non fue- » runt, nos quoque nec [esse] cœpe- » rimus? Ordinati enim ab his sumus, » et eorum sumus successores. Re- » nuntiemus episcopatui, quia offi- » cium ejus ab anathemate sumpse- » rimus. Date veniam, fratres, dolori » meo : impium est quod audetis. » Non patior hanc vocem, ut in ana- » themate sit homousion secundum » religiosam intelligentiam confi- » tens... Pium est quod volumus. Ne » damnemus patres, ne animemus » hæreticos : ne dum hæresim appel- » limus, hæresim nutriamus. Inter- » pretati patres nostri sunt post Sy- » nodum Nicænam homousii proprie- » tatem religiose, exstant libri, manet » conscientia : si quid ad interpreta- » tionem addendum est, communiter » consulamus. Potest inter nos opti- » mus fidei status condi : ut nec ea » quæ bene sunt constituta vexentur, » et quæ male sunt intellecta resecen- » tur. [n. 92] Egressus sum, fratres » charissimi, humanæ conscientiæ » pudorem : et humilitatis meæ im- » memor, de tantis ac tam reconditis » rebus et ad usque hanc ætatem no- » stram intentatis ac tacitis amore » vestri coactus hæc scripsi, et quæ » ipse credebam locutus sum... Ve- » strum est in commune tractare ac » providere atque agere, ut quod us- » que nunc inviolabili fide manetis, » religiosa conscientia conservetis et » teneatis quod tenetis » (Ibid. p. 543). Certe non ea modestia Hilarius allo-

2. Anno 358 convenerunt quidam episcopi Semiariani Ancyræ in Galatia, ibique synodum celebrarunt, præside Basilio episcopo Ancyrano. In qua Arianorum quidem seu (ut tunc appellabatur præcipua horum secta) Anomœorum impietatem vehementer detestati sunt et profligarunt, attamen anathematismis contra eos prolatis hunc adjecerunt auctoritati Concilii Nicæni adversantem : « Si quis Patrem potestate simul » et substantia Filii Patrem asserens, consubstantia- » lem (ὁμοούσιον) vel ejusdem cum Patre substantiæ

cutus fuisset viros quos hæretice sapientes putasset. Sed et paulo supra (*De Syn* n. 78) summis illos laudibus extollit et tamquam fidei patronos et servatores prædicat. Alludens scilicet ad ea quæ ab Ancyranis Patribus (Cfr. infra Num. seq.) contra Arianos et speciatim contra Pseudo-Synodum Sirmiensem II acta sunt : « O studiosi tandem (ait) apostolicæ et » evangelicæ doctrinæ viri, quos fidei » calor in tantis tenebris hæreticæ » noctis accendit! Quantam spem » revocandæ veræ fidei attulistis, » constanter audacis perfidiæ impe- » tum retundendo! Antea enim in » obscuro atque in angulis Dominus » Christus Dei esse secundum natu- » ram filius negabatur : et essentiæ » inops paternæ, accepisse cum crea- » turis originem de non exstantibus » prædicabatur. At vero nunc publicæ » auctoritatis professione hæresis » prorumpens, id quod antea furtim » mussitabat, nunc non clam victrix » gloriabatur. Quibus enim antea » cuniculis in catholicam Ecclesiam » non tentavit irrepere? Quas non » exseruit, falsæ religionis blandi- » mento, sæculi potestates? Homines » enim perversi eo usque prorupe- » rant ut cum hoc ipsi prædicare pu- » blice non auderent, Imperatorem » tamen fallerent ad audiendum. Fe- » fellerunt enim ignorantem regem, » ut istiusmodi perfidiæ fidem bellis » occupatus exponeret, et credendi » formam ecclesiis nondum regene- » ratus imponeret. Contradicentes » episcopos ad exsilium coegerunt. » Coegerunt enim nos ad voluntatem » exsulandi, dum impietatis impo- » nunt necessitatem. Sed exsulemus » semper, dummodo incipiat verum » prædicari. Domino enim gratias, » quod ignorationem per vos admo- » nitus Imperator agnovit, et erro- » rem non suum, sed adhortantium, » per has fidei vestræ sententias re- » cognovit; et se invidia apud Deum » atque homines impiæ voluntatis » exemit, cum legationem vestram » honorifice habens, falsitatem eo- » rum quorum auctoritate in invi- » diam deducebatur, coacta a vobis » ignorantiæ suæ professione, cogno- » vit » (P. L. t. X. p. 530-531).

» Filium esse dicat, anathema sit (1). » Ad hunc autem suum anathematismum comprobandum, provocarunt ad auctoritatem Synodi Antiochenæ an. 269, ubi episcopos 80, in doctrinam hæreticam Pauli Samosateni sententiam ferentes, vocem ὁμοούσιος respuisse et proscripsisse affirmabant.

3. Argumentum istud perpenderunt paulo post, contra Semiarianos agentes, ATHANASIUS, HILARIUS et BASILIUS (2). Quorum nemo ipsius facti veritatem in dubium vocavit, sed unice allaborarunt ut consequentiam, quam inde deducebant Semiariani, eis eriperent, ostendendo scilicet quo sensu vocem ὁμοούσιος repudiare potuerint Patres Antiocheni, quin inde quidquam contra rectam significationem illi a Concilio Nicæno attributam legitime concludi valeat.

4. Alia, præter hæc tria testimonia, documenta coæva aut supparia ad quæstionem nostram directe pertinentia non habemus. ***a.*** Quam enim recitat EUSEBIUS (3) partem epistolæ synodicæ Patrum Antiochenorum, hæc tantum versatur circa mores Paul Samosateni, omnino transmissa ea quæ agebat de ejus doctrina.

(1) EPIPHAN. *Hær.* 73 (P. G. t. XLII. p. 426).

(2) Cit. infra in Append. I (pag. **81-82**).

(3) *H. E.* VII. 30; hujusmodi præmisso procemio : « Omnes itaque in » unum congregati antistites, unam » ex communi sententia ad Diony- » sium Romanæ urbis episcopum et » ad Maximum Alexandrinum scri- » pserunt epistolam, eamque ad » omnes deinde provincias transmi- » serunt : tum ut studium suum ac » diligentiam omnibus declararent, » tum ut perversum Pauli dogma, » confutationes quoque et disputatio- » nes adversus illum habitas, cunc- » tamque hominis vitam ac mores » exponerent. Porro ipsam et illorum » verba ad perpetuam posterorum » memoriam non incommodum fue- » rit hic referre » (P. G. t. XX. p. 710).

b. Neque ad rem nostram juvant ceteræ nonnullæ Conciliorum Antiochenorum I (an. 264) et II (an. 269 vel 270) in causa Pauli Samosateni quæ in Collectionibus Conciliorum proferuntur Actorum reliquiæ, videlicet epistola missa ad Paulum ab orthodoxis (1), epistola Dionysii Alexandrini adversus Paulum (2) et fragmenta disputationis quam cum eodem hæresiarcha habuit Malchion presbyter (3). *c.* Majoris momenti foret professio illa fidei quæ habetur inter Acta Concilii Ephesini (4), hoc titulo inscripta : « De incarnatione » Verbi Dei, Filii Patris, definitiones episcoporum qui » in *Nicæa* in synodo convenerunt, et expositio ejus- » dem synodi adversus Paulum Samosatenum » (5), si quidem vera esset opinio Baronii (6) existimantis hanc professionem in alterutro ex memoratis Antiochenis conciliis editam esse. Posterior enim ejus pars versatur in asserendo quo sensu Filius consubstantialis sit Patri, secundum divinitatem scilicet, non secundum carnem. Verum tum ex inscriptione tum ex materia illius expositionis concluserunt fere unanimi consensu eruditi eam in Concilio Nicæno fuisse prolatam.

5. Ex solis igitur Athanasii, Hilarii et Basilii testimoniis dijudicanda est quæstio inter recentiores agitata, circa quam versatur jam aggredienda nostra disputatio.

(1) MANSI, *Conc.* t. I. Ad an. 264.
(2) Ibid. p. 1039.
(3) Ibid. p. 1101. — Cfr. EUS. *H. E.* VII. 29 (P. G. t. XX. p. 709).
(4) Part. III. cap. 6.
(5) MANSI, *Conc.* t. V. p. 175.
(6) Ad an. 272. n. 15-17. — Cfr. FASSON ap. ZACCARIA, *Thes. Theol.* t. III. p. 228 sqq.

CAPUT UNICUM.

UTRUM CONCILIUM ANTIOCHENUM ANNO 269 VOCEM ὁμοούσιος REPUDIAVERIT.

—

1. Scriptoribus scilicet nonnullis catholicis hujusmodi difficultates, quominus factum istud admittatur, obstare visæ sunt ut illud omnino confictum pronuntiare non dubitaverint. Inter quos præcipue citari possunt Prud. MARANUS, *Divinitas N. D. J. C. manifesta in Scripturis et traditione*, lib. IV. cap. 29. §. 2; et Liberatus FASSONIUS in dissertatione *De voce Homousion*, etc (1). Horum argumenta refutavit, præter alios, FROHSCHAMMER, tunc adhuc catholicus, in diss. *Ueber die Entscheidung der Synode von Antiochia* (269) *in Betreff des Wortes* ὁμοούσιος (2). — Illa argumenta jam proferimus, responsiones deinde subjecturi quæ iisdem videntur opponi posse.

(1) Ap. ZACCARIA, *Thesaur. Theolog.* t. III. p. 211.

(2) In Periodico Tubingensi *Theologische Quartalschrift*, an. 1850.

ARTICULUS I.

ARGUMENTA SENTENTIÆ NEGANTIS.

2. Ea exponere aggrediens Maranus reste statuit imprimis, « ejusmodi facta rejicienda esse, quæ hoc triplici vitio laborant, ut cum exploratissimis historiæ monumentis pugnent; et iis, a quibus nec ignorari nec taceri potuerunt, ignota fuerint et silentio prætermissa; a nullo denique idoneo teste, sed sero ac sine argumentis ab hominibus, quorum intererat ita rem evenisse, narrata sint. » Porro triplex istud vitium ei quam asserunt vocis ὁμοούσιος per Concilium Antiochenum proscriptioni inesse contendit. Videlicet

3. I. « Cum Paulus sede Antiochena dejectus est, nondum anni decem effluxerant, ex quo Dionysius Alexandrinus a Pentapolitanorum nonnullis apud Dionysium Romanum accusatus fuerat *quod Filium rem creatam nec Patri consubstantialem diceret*. Synodus Romæ coacta rem indigne tulit, ac Romanus episcopus omnium sententiam ad gentilem suum perscripsit. Permolesta res accidit Dionysio Alexandrino, qui cum pati non posset tantam labem nomini suo insidere, statim epistolam ad Dionysium Romanum scripsit, in qua mendacii arguebat affictam sibi criminationem, *quod non diceret Christum Deo esse consubstantialem*, ac non multo post quatuor libris ad eumdem Pontificem missis sese purgavit. Hoc factum longe certissimum est, ac non semel ab Athanasio Arianis objicitur,

ut ex monumentis, quæ tunc exstabant, exploratum (1). Sed cum hac historia an conciliari possit affficta Synodo Antiochenæ *consubstantialis* condemnatio? Paucis annis ante synodum vel ipsi laici certo sciunt Filium Patri esse consubstantialem : suspicantur hoc dogma a Patriarcha suo negari, statimque illum summæ impietatis accusant : indignatur Romanus episcopus cum sua synodo, ut in gravissimo crimine : ipse Dionysius horrendum errorem a se detestatur. Quomodo ergo synodus paulo post Antiochiæ coacta adversus impium hæreticum, qui Filium simplicem esse hominem docebat, non modo non decernit Filium esse consubstantialem Patri, ut postulabat optima fidei defendendæ ratio, sed etiam, id quod erroris reprimendi proposito maxime adversarium erat, ipsa *consubstantiale* rejicit et proscribit? Non quadrat profecto ut tot insignes sanctitate et doctrina episcopi aut ignoraverint quod ipsos laicos non latebat, aut scientes prudentesque id quod erat fidei insigne ac veluti tessera ab usu ecclesiæ removerent. Neque etiam fieri potuit ut rem paulo ante in luce totius ecclesiæ inter Romanum episcopum et Alexandrinum gestam ignorarent; multo minus ut a debita illis reverentia discederent, damnando quod isti sanciverant, cum præsertim litteras suas omnibus quidem episcopis, at nominatim Dionysio Romano et

(1) Speciatim in epistola *de sententia Dionysii Alexandrini* (P. G. t. XXV. p. 479), quæ tota est de hac re. Item Epist. *de decretis Nicænæ Synodi* nn. 25, 26 (ibid. p. 459), et Epist. *de Synodis Arimini et Seleuciæ celebratis* nn. 43, 44 (P. G. t. XXVI. p. 767).

Maximo Dionysii Alexandrini successori inscribant (1), nedum contra eorum sententiam ac decreta venire voluerint. Repugnat ergo certissimis historiæ monumentis ut *consubstantiale* in Antiochena Synodo proscriptum dicatur. » Ita Maranus.

4. II. Altera pars seu argumentum negativum multipliciter statui potest. Nimirum arguere licet :

1° Ex silentio Catholicorum. Nam « si tamen ejusmodi decretum a Synodo Antiochena prodiisset, debuit illius fama longe manare, Synodi litteris, in quibus *consubstantiale* damnatum fuisse dicitur, ad omnes ecclesias missis (2). Nam si tantum turbarum exortum est, dum unus episcopus apud nonnullos laicos offendit; quanto magis si septuaginta episcopi, si apud omnes ecclesias, si non levem suspicionem, sed consignata publicis litteris indicia dedissent? Nemo tamen synodo reclamat, sed omnium plausu et gratulatione excipitur, ac semper in honore et pretium fuit. »

5. 2° Ex silentio Arianorum. — « Saltem Arianorum cognitionem hujusmodi decretum, si quod fuisset, effugere non potuit. Viderant primi Ariani Antiochenorum Patrum non paucos; erant in omnium manibus litteræ Synodi; cito olfecissent venatici illi canes, si quid adversus *consubstantiale* his litteris consignatum fuisset. At forte hoc decretum noverant, sed objicere noluerunt. Nemo sane id suspicabitur, nemo negligentiam Arianis

(1) Cfr. Eus. *H. E.* VII. 30. cit. supra pag. 279. not. 3.

(2) Vid. ibid.

in hoc rerum cardine aut oblivionem affinget. Cur igitur a Concilio Antiocheno usque ad Ancyranum, id est ab anno 270 ad annum 358, nulla decreti Antiocheni mentio, nulla prorsus ea de re littera in antiquis monumentis occurrit? Quomodo res tanti momenti per annos 90 in silentio et tenebris jacet? »

6. 3° Speciatim ex silentio Eusebii. — « Eusebius, quem Arianum perpauci, Arianorum acerrimum defensorem nemo negaverit, in epistola paulo post Synodum Nicænam scripta (1) homousion ab antiquis scriptoribus usurpatum fatetur, damnatum prorsus ignorat. — Idem scriptor insignem partem litterarum Antiochenæ Synodi intexit historiæ suæ lib. VII (2). Nullum in ea vestigium rejecti *consubstantialis*. Num dicemus decretum adversus *consubstantiale* in altera epistolæ parte exstitisse? At quis credat Eusebium tam male de Arianis meritum esse ut quæ eorum causæ favere videbantur, ea de industria dissimularet ac posteris invideret? — Statuere ergo possumus *consubtantialis* condemnationem iis, qui nec ignorare, nec tacere poterant, ignotam et silentio prætermissam fuisse. »

7. III. « Quibus igitur testibus factum de quo disserimus, quibus fidejussoribus nititur? Non aliis profecto quam Semiarianis, id est hominibus *homousion* rejicientibus, quorum proinde intererat ut quod ipsi faciebant, idem olim Antiocheni Patres fecisse viderentur.

(1) P. G. t. XX. p. 1535.

(2) Vid. supra pag. 279. not. 3.

Hi in quadam epistola de *homusii* et de *homœusii* expositione omnium primi *consubstantiale* ab Antiochenis Patribus damnatum dixerunt. Sed quosnam hujus rei testes aut quæ argumenta protulerunt? Nam nimis sero venerunt quam ut eis prima denuntiatione fides habeatur. Ne ipsa quidem Synodi verba ausi sunt referre, quamvis id necessarium esset in re tam inaudita quam adversarios rejecturos suspicari poterant. Quomodo ergo illis in re ab eorum temporibus remota et cum antiquioribus monumentis pugnante credemus? Et quod tamdiu Ariani adeo sagaces ejusmodi rerum venatores in epistola Antiochenæ Synodi non viderunt, id Semiariani quomodo investigarunt? Non obscuris indiciis perspicere mihi videor ne lectam quidem Semiarianis epistolam Synodi fuisse. Sic eos compellat Hilarius in libro de Synodis : « Secundo quoque (1)... » Numquam hoc de Paulo judicium affinxissent Semiariani Antiochenis Patribus, si eorum epistolam legissent. Nam in ea parte quam Eusebii diligentia ab interitu vindicavit, Paulus accusatur quod Filium Dei e cœlo venisse negaret, quod e terra ortum diceret, seque in Artemæ hæresi plurimum jactaret, nedum illum cum Patre confunderet. »

8. « Non me latet sanctos Patres Athanasium, Hilarium, et Basilium hujus facti testes citari. Sed immerito testari dicuntur quod non suo nomine referunt, sed ab adversariis objectum ita concedunt ut non tam

(1) Vid. Append. pag. 82.

illud exploratum et perspectum habere quam humanitatis causa negare nolle videantur. Nemini sane dubitare fas est quin nec Athanasius, nec Hilarius, nec Basilius decretum illud Antiochenum legissent. Declarat Athanasius epistolam Synodi Antiochenæ in manibus suis non esse, tum cum scriberet. « Quoniam autem, inquit, ut ipsi dicunt (1)... » Postquam demonstravit quo sensu id a Patribus Antiochenis dictum putaret, hæc addit (2) : « Quod si epistolæ, quam illos scripsisse » dicuntur, mihi copia fuisset, existimo plures deprehensurum me fuisse causas, cur beati illi ita scribere » coacti sint. » Ex his patet Athanasium tum primum audiisse de Antiocheno adversus *homousion* decreto, quamvis jam tot annos hoc fidei propugnaculum defenderet..... — Neque etiam Hilarius et Basilius ex ipsis Synodi litteris decretum Antiochenum cognoverunt. De Hilario jam vidimus, qui a Semiarianis deceptus Samosatenum in eadem ac Sabellium hæresi fuisse putat, cum contrarium illi errorem litteræ Synodi attribuant. Basilius vero sic loquitur, ut totam rem minus considerasse videatur. Nam iis qui decreta Nicæna excepto *consubstantiali* suscipiebant, aliquid excusationis relictum putat, quia hanc vocem ut minus aptam et commodam vituperaverant qui in causa Pauli Samosateni convenerant. « Revera, inquit,..... Dixerunt.... » (3). Miror tantum virum ea in Antiochenos

(1) Vid. Append. pag. 81.
(2) Loc. cit. n. 47 extr.
(3) Vid. Append. pag. 82.

Patres transferre, quæ Paulo Samosateno Athanasius tribuit. Nam apud Athanasium non Synodus, sed Samosatenus *consubstantiale* exagitat, sicque ratiocinatur : « Si Christus.... » (1). Ne ipsi quidem Semiariani ineptam hanc sententiam Synodo Antiochenæ tribuere ausi sunt. Nam cum hanc primam afferrent *consubstantialis* rejiciendi causam, « quia per verbi » hujus enuntiationem substantia prior intelligeretur, » quam duo partiti essent » (2), id suo nomine proferebant, nec se Synodi auctoritate tuebantur, quod quidem omissuros non puto, si quid ejusmodi ab ea dictum existimassent. — Ex his satis superque perspicitur Athanasium, Hilarium et Basilium immerito opinati illius decreto testes citari, ac totam rem auctoribus niti Semiarianis, quos equidem credere malim incertis rumoribus deceptos fuisse quam de industria hoc decretum finxisse » (3).

ARTICULUS II.

RESPONSIONES AD HÆC ARGUMENTA.

9. Quamvis argumenta præc. Art. ex Marano recitata, prima fronte satis valida videri possint, attamen non desunt responsiones probabiles quibus eorum vis elidatur. Nimirum

Ad I^m R. 1° Accusatio adversus Dionysium Alexan-

(1) Vid. ibid.

(2) HILAR. *De Synod.* n. 81. immediate ante verba citata Append. p. 82.

(3) MARAN. loc. cit.

drinum prolata non tam versabatur circa omissionem vocis ὁμοούσιος quam circa ipsam rem seu doctrinam de divinitate Christi (1). — Idque confirmatur ex eo quod Dionysius Romanus in iis quæ hac occasione scripsit, nec semel, ut videtur, usus est voce ὁμοούσιος. Etenim Athanasius in epistola de decretis Nicænæ Synodi, ubi ex professo probandum aggreditur contra Arianos, terminum ὁμοούσιος non esse respuendum tamquam novum, sed ab antiquioribus Patribus esse acceptum (2), affert (3) satis prolixam citationem ex scripto Dionysii Romani, ubi omnino non occurrit ista vox, sed tantummodo statuitur res ipsa. Si autem Dionysius etiam voce ὁμοούσιος usus esset, certe id referre non omisisset Athanasius.

10. Itaque Patres Antiocheni, dum doctrinam de divinitate Christi diserte affirmabant, et vocem tantum ὁμοούσιος ab usu ecclesiastico removebant propter pravam interpretationem quam recens illi subjecisset Paulus Samosatenus, nequaquam in eadem causa erant in qua,

(1) ATHANASIUS *De sententia Dionysii*, n. 14 extr. his verbis eam accusationem summatim enuntiat : « Affirmantibus igitur illis hanc esse » sententiam Dionysii : Deus non » fuit semper Pater; Filius semper » non fuit, sed Deus aliquando Verbo » caruit, ipse vero Filius non erat » antequam gigneretur, sed fuit ali- » quando cum non esset : non enim » æternus est, sed postmodum esse » incepit : animadverte quomodo... » ille respondeat » (P. G. t. XXV. p. 501).

(2) ATHAN. *De decretis Nic. Syn.* n. 25 : « Itaque cum Patres Nicænæ » Synodi ita sentirent, hujusmodi » dictiones [*ex substantia* et *consubstantiale*] illis scribere visum est. » Quod vero eas non sibi excogitave- » rint, sed ab aliis se antiquioribus » acceperint, age, id quoque ostenda- » mus, ne vel hæc ipsa incusatio illis » supersit » (P. G. t. XXV. p. 459).

(3) N. 26. P. G. t. XXV. p. 461.

secundum accusationem adversus ipsum prolatam, erat Dionysius Alexandrinus (1).

11. 2° Sed etsi detur Marano tempore Synodi Antiochenæ (an. 269) vocem ὁμοούσιος in sermone ecclesiastico communiter fuisse receptam, inde valide contra ejus sententiam retorqueri posset argumentum. Nam ab hoc tempore usque ad Concilium Nicænum nequaquam ea vox in usu fuit. Ergo recte concludi posse videretur eam ab ista Synodo fuisse reprobatam. — Illud autem quod modo diximus, scilicet a tempore Synodi Antiochenæ II (an. 269) usque ad Concilium Nicænum vocem ὁμοούσιος non fuisse usu receptam, colligitur ***a.*** Ex eo quod Athanasius in epistola de decretis Nicænis (2), antiquiores illos recensens a quibus Patres Nicæni vocem ὁμοούσιος acceperint, nullos omnino citare potuit post Dionysium Alexandrinum, qui hanc vocem usurpassent.

b. Ex eo quod in Concilio Nicæno, ubi egerunt Patres de condendo decreto fidei, vox ὁμοούσιος non statim proposita est tamquam formula ad definiendum

(1) Et etiam post Concilium Nicænum non adeo sollícitos fuisse Patres ut vox ὁμοούσιος adhiberetur quam ut admitteretur ipsa doctrina de consubstantialitate Verbi cum Patre, concludi potest ex iis quæ ex Athanasio *de Syn.* n. 41 et ex Hilario *de Synod.* nn. 88, 91 recitavimus supra (pag. 277. not. 1) et forte ex eodem Athanasio *De decretis Nic. Syn.* n. 21; ubi : « Itaque (ait) si illi » verba ista velut nova ac peregrina » admittere recusant, sententiam ipsam admittant quam Synodus his » indicare voluit, et quibus illa anathema dixit, ipsi similiter dicant » anathema, ac de cætero, si possint, » voces ipsas reprehendant » (P. G. t. XXV. p. 454). — Disertius etiam Hieronymus *Dial. adv. Luciferianos* n. 18 : « Non erat curæ episcopis de » vocabulo, quum sensus esset in » tuto » (P. L. t. XXIII. p. 171).

(2) Cfr. supra N. 9.

dogma maxime idonea, sed nonnisi post plures alias propositas formulas, quum viderent eas omnes ab Arianis prava interpretatione eludi et ad ipsorum perversam doctrinam accommodari, quasi coacti et nullam aliam viam reperientes ad illud præcavendum, devenerunt ad usurpandam vocem ὁμοούσιος. Ita scilicet rem refert Athanasius testis ocularis (1) : « Cum autem rursus » episcopi dicerent scribendum esse Verbum virtutem » veram imaginemque Patris esse, eique in omnibus » sine ulla prorsus varietate esse simillimum, denique » immutabile, semperque esse, ac sine divisione in ipso » esse : nec enim unquam non fuit, sed fuit semper » Verbum, quod et ab æternitate apud Patrem exstitit, » tanquam lucis splendor : his autem cum Eusebiani » repugnare non auderent, utpote quos suppudebat » convictos et confutatos fuisse, tamen deprehensi sunt » inter se iterum murmurare oculisque innuere istas » voces *simile, semper, virtutem* et *in ipso*, nobis cum » Filio esse communes, ac proinde nihil illis molestum » videri, si hæc nos approbaremus. Nam quod ad vocem » *similis* spectat, ea, inquiebant, nobis quoque attri» buitur, quippe cum scriptum sit : *Homo imago et* » *gloria Dei est* [I *Cor*. XI. 7]. Vox *semper* nobis item » convenit; nam scriptum est : *Semper enim nos vi*» *ventes* [II *Cor*. IV. 11]. Nec hæc verba, *in ipso*, a no» bis sunt aliena, quia *in ipso vivimus et movemur et* » *sumus* [*Act*. XVII. 28]. *Immutabiles* quoque dicimur,

(1) *De decr. Nic. Syn.* n. 20 (P. G. t. XXV. p. 450).

» ubi scriptum est : *Nihil nos separabit a charitate* » *Dei* [*Rom.* VIII. 39]. Denique nomen *virtutis* aliis » etiam rebus tribuitur. Nam eruca et bruchus virtus » et quidem virtus magna dicuntur [JOEL II.25]... Ve» rum ubi episcopi illorum simulationem hac in re » animadverterunt, dolumque esse in cordibus impio» rum mala cogitantium, ut ait Scriptura, sententiam » rursus ipsi ex Scripturis colligere sunt coacti, et » quæ antea dixerant, eadem clarioribus verbis signi» ficare, ac denique scribere Filium Patri esse consub» stantialem, ut scilicet significarent Filium non tantum » similem, sed eamdem rem similitudine esse ex Patre, » atque ut similitudinem et immutabilitatem Filii aliam » omnino esse ostenderent ab ea imitatione quæ in nobis » esse dicitur, quam nos propter mandatorum observa» tionem ex virtute consequimur. »

c. Ex eo quod Patres qui scripserunt contra Semiarianos non usi sunt hoc argumento quod fuisset validissimum, vocem ὁμοούσιος scilicet tempore Concilii Nicæni jamdudum in sermone ecclesiastico communiter receptam esse.

12. Ad II^{m}. 1° Quoad silentium Catholicorum, responsio satis habetur ex modo dictis in responsione ad primum argumentorum caput : unde scilicet constat nullam doctrinæ catholicæ injurium illatam existimari debuisse per reprobationem vocis ὁμοούσιος, dum ipsa consubstantialitas perspicue affirmaretur (1).

(1) Præterea Cfr. infra N. 15.

13. 2° Silentium autem Arianorum etiam facilius explicatur, quum eorum hæresis in Synodo Antiochena diserte damnata sit : nam hæresis Pauli Samosateni Arianæ similis admodum erat (1).

14. 3° Quod vero speciatim spectat ad Eusebium, ejus silentium nihil adeo miri habet. Etenim

a. In epistola ad suam ecclesiam certe locus non erat afferendi illud factum, quum in ea se excuset quod vocem ὁμοούσιος in Concilio Nicæno admiserit : itaque suam causam male defendisset memorando hanc vocem antea in Synodo Antiochena reprobatam fuisse.

b. At profecto videtur locus illud memorandi fuisse ubi in Historia Ecclesiastica recitavit quædam ex epistola Synodica Patrum Antiochenorum (2). — Sed advertendum est Historiam Ecclesiasticam ab Eusebio absolutam esse ante Concilium Nicænum, ac proinde antequam exortæ essent controversiæ circa vocem ὁμοούσιος. Quum itaque citato loco omnino omiserit referre disputationes et decreta Synodi Antiochenæ, quæ tamen significat simul cum iis quæ exscribit missa fuisse ad varias ecclesias, nihil mirum est eum non retulisse ea quæ dicta sunt speciatim circa prædictæ vocis usum.

c. Quod autem neque ubi de Concilio Nicæno egit *Vit. Constantin.* III. 4-23, quidquam memorat de condemnatione vocis ὁμοούσιος per Synodum Antiochenam,

(1) Ut colligitur ex documentis indicatis supra (Procem. N. 4, *b*), speciatim ex epistola Dionysii adversus Paulum Samosatenum.

(2) Cfr. supra Procem. N. 4, *a*.

non magis mirandum est, quum consultius duxerit nihil omnino referre de iis quæ in Concilio Nicæno acta sunt adversus Arium ejusque doctrinam et circa definitionem fidei.

d. Denique et si quædam alia post Concilium Nicænum scripserit ubi forte occurrere potuit occasio illam condemnationem referendi, neque tamen id præstiterit, hoc silentium facile explicatur sicut (1) explicatum est generatim silentium Arianorum. Et præterea Eusebio specialis ratio erat silendi, quum in Concilio Nicæno saltem exterius adhæsisset formulæ ὁμοούσιος.

15. III. Jam quod attinet ad qualitatem testium :

1° Mirum apparet Marano definitionem illam Synodi Antiochenæ tamdiu post Concilium Nicænum primum prolatam fuisse ab iis quibus maxime favebat et latere potuisse tum Catholicos, tum Arianos, qui inde ab amplius triginta annis tanta vi decertabant inter se de legitimo usu vocis ὁμοούσιος et certe omnia diligenter excusserunt quæ in utramque partem afferri possent. At

a. Non ita diligenter omnia monumenta excussa esse habemus ex ipso facto de quo nunc agimus. Etenim Acta Concilii Antiocheni missa fuerant ad varias ecclesias et speciatim ad ecclesiam Alexandrinam (2). Et certe præcipuum quoddam documentum ea erant in controversia circa Arianismum. Jam vero Athanasius,

(1) Num. præc.
(2) Cfr. Eus. *H. E.* VII. 30. cit. supra pag. 279. not. 3.

qui exorienti Arianismo æqualis fuit, quo nemo iis temporibus eruditior aut diligentior in impugnandis Arianis, post an. 358 significat illa Acta sibi ignota esse (1).

b. Etiamsi aliquis antea in ea incidisset, facile explicari potest cur ea non protulerit. — Nam vel is Arianus erat, et videbat ibi doctrinam suam diserte condemnatam; vel erat Catholicus, et offendebatur condemnatione vocis ὁμοούσιος (2).

c. Contra vero optime intelligitur quomodo factum sit ut a Patribus Ancyranis primum sint producta. Videlicet *α*) Ancyra in Antiocheno Patriarchatu et non longe ab Antiochia civitate sita erat, ac proinde facilius ibi nota esse poterant quæ ad Antiochenam ecclesiam pertinerent. Præterea *β*) quo diutius agitabantur quæstiones per Arianam doctrinam excitatæ, eo diligentius requirebantur monumenta unde hæ elucidari poterant. Ac denique *γ*) Semiarianis non erant eædem rationes Acta Synodi Antiochenæ dissimulandi quæ Catholicis et Arianis, quum et ipsi doctrinam catholicam omnino reciperent et solum rejicerent terminum ὁμοούσιος.

16. Neque sufficit id ipsum advertisse, documentum scilicet istud maxime ipsorum sententiæ favere, ut

(1) V. sup. N. 8.

(2) Imo rursus hic retorqueri potest argumentum. Nisi enim adfuisset aliqua ratio quæ utramque partem a proferendis his Actis deterruisset, difficile explicari videri potest cur ante an. 358 neutra unquam ad illa provocarit, quum certissime in iis ageretur de doctrina circa divinitatem Christi.

inde jure concludatur illud apocryphum esse et vel per fraudem ab Ancyranis Patribus confictum vel nimis leviter admissum. Nam episcopi ii nec improbi aut indocti fuisse referuntur (1), et non ita difficile cum magno suo pudore fraudis convinci potuissent, quum, ut sæpe monuimus, Acta Synodi Antiochenæ missa fuissent ad varias ecclesias (2).

17. 2° Jam quod attinet ad testimonia Athanasii, Hilarii et Basilii, quæ nullam vim habere dicuntur propterea quod Patres illi nonnisi ex relatione Synodi Ancyranæ ea protulerint, Acta autem Antiochena per se ipsos non viderint,

a. In primis mirum apparet, ex una parte asseri Acta Antiochena tunc temporis in omnium manibus fuisse, ex altera his Patribus non venisse in mentem ut ea consulerent et dicerent objectam condemnationem in iis non reperiri.

b. Hæc responsio admitti quidem potest quoad testimonium Athanasii; at omnino gratuita est quoad testimonia Hilarii et Basilii. Imo in hoc ultimo nulla omnino mentio habetur Synodi Ancyranæ et verba hujusmodi sunt ut significare videatur Basilius se, re examinata et comperta, veritatem definitionis Antiochenæ admittere : « *Nam re vera* (ait).... (3). »

18. Neque alicujus momenti videtur confirmatio quam adjicit Maranus, nimirum tres illos Patres non

(1) Cfr. citata supra pag. 277. not. 1. N. 5.

(2) Imo Maranus ea in omnium manibus fuisse affirmat. Vid. supra

(3) V. Append. pag. 82.

concordare in iis quæ de Actis Antiochenis referunt. Nam *a.* Quod Basilius ab episcopis argumentum prolatum affirmat quod Athanasius citat tamquam allatum a Paulo Samosateno, id profecto nullam tantam difficultatem patitur. Utrumque enim facile verum esse potest, Paulum scilicet eo argumento usum esse ad suum errorem probandum, Patres vero Antiochenos illud idem argumentum retulisse et decrevisse ad illius consequentiam evitandam, ut non usurparetur vox ὁμοούσιος.

b. Neque rursus difficultas est in verbis Hilarii. Facile enim is intelligi potest non doctrinam Pauli Samosateni referre, sed consequentiam absurdam quam hic adversus contradictores suos deducere conabatur ex ipsorum doctrina de consubstantialitate Filii cum Patre (1).

19. Itaque concludendum videtur nullam earum rationum quæ opponuntur authentiæ definitionis Antiochenæ, ab Ancyrana Synodo prolatæ, ejusmodi esse ut eam valide impugnet. Quumque eadem testimoniis non spernendis nitatur, secundum regulas sanæ criticæ ut valde probabilis admittenda est. Nec ulla inde difficultas contra ipsam doctrinam catholicam exsurgit : quod optime jam ostendit Athanasius (2).

(1) Itaque non solum gratuito supponit Maranus Patres Ancyranos *ausos non esse* citare Acta Synodi Antiochenæ (id enim necessarium non erat, quum illa Acta ad omnes ecclesias missa fuissent), sed ex concordantia quæ reperitur inter varia ea quæ referunt Athanasius, Hilarius et Basilius potius concluditur vel Acta Antiochena satis fuse citata fuisse ab Ancyranis vel ab ipsis illis Patribus (saltem Hilario et Basilio) fuisse inspecta.

(2) Cit. Append. pag. 81.

DISSERTATIO VII.

DE SUCCESSIONE
ET CHRONOTAXI ROMANORUM PONTIFICUM
TRIUM PRIORUM SECULORUM

PROŒMIUM.

1. Fontes hujus tractationis ad triplex genus reduci possunt. Habentur scilicet *a.* Catalogi plus minus integri, quos antiqui scriptores vel sub hac forma distincte tradiderunt, vel ex iis quæ in suis scriptis passim consignarunt, facile conficere licet. *b.* Duplex Kalendarium Romanum ineunte vel medio circiter seculo IV confectum. *c.* Singulares notitiæ quæ in martyrologiis vel in Actis martyrum aut in Libro Pontificali occurrunt et ad singularium Pontificatuum chronologiam illustrandam juvare possint. — De natura et auctoritate illorum documentorum satis fuse egimus alias (1),

(1) *Introd. Gener. ad hist. eccl.* Cap. II. Artt. I et II. Tract. III. Cap. III. Artt. I et II;

ad hunc tamen locum distinctius exhibendos reservantes antiquos catalogos RR. PP. orientales et latinos (1).

2. Dissertationem nostram in tria capita partiemur. Quorum primum complectitur ea quæ pertinent ad primos S. Petri successores usque ad finem seculi I; secundo ii recensentur qui reliqui sunt in prima parte Catalogi Liberiani, usque ad Urbanum scilicet seu annum 230; tertium denique ad finem primæ ætatis chronotaxin deducet.

3. Præiverunt autem nobis in hac materia tractanda, præter scriptores historiæ ecclesiasticæ aut pontificiæ generalis, præcipue : PEARSON (J.) *Dissertationes duæ de serie et successione primorum Romæ episcoporum* (inter ejus opera postuma edita a Dodwell Londin. 1688. 4). — DODWELL (H.) *Dissertatio de PP. RR. successione* (huic editioni operum Pearsonii adjecta). — SCHELSTRAETE (E.) *Dissertatio de chronotaxi RR. PP.* (in *Antiq. illustr.* tom. I. p. 131). — BARATERIUS (J. P.) *Disquisitio chronologica de successione episcoporum Romanorum, inde a Petro usque ad Victorem.* Ultrajecti 1740. 4. — LIPSIUS (R. A.) *Chronologie der römischen Bischöfe bis zur Mitte des vierten Jarhunderts.* Kiel 1869. 8 (2).

(1) Vid. infra Append. K (pag. 83 sqq.).

(2) Minoris momenti sunt *Dissertationes criticæ quindecim de serie primorum episcoporum in cathedris Rom., Alexandr. Antioch. et Jerosol.* auctore M. MOLKENBUHR. Monast. Westphal. 1794. 4.

CAPUT I.

DE CHRONOTAXI RR. PP. SEC. I (1).

—

1. Duplex hic prævia quæstio solvenda est : num scilicet Cletus diversus sit ab Anacleto necne et quinam ordo statuendus sit inter tres primos S. Petri successores. Unde tandem ad suos singulis annos assignandos deveniemus.

ARTICULUS I.

UTRUM CLETUS DIVERSUS SIT AB ANACLETO.

2. Qui Cletum et Anacletum diversos faciunt (2), præter auctorem carminis adversus Marcionem (3), afferunt Catalogum Liberianum (4), seriem inscriptio-

(1) Præter dissertationes citatas supra (Procem. N. 3), consuli possunt quæ de hac materia acriter inter se dimicantes an. 1771-1774 ediderunt G. C. Neller et H. Berg. Cfr. De Backer, *Bibliothèque des écrivains de la Comp. de Jésus*, Ed. II. tom. I. p. 572.

(2) Ita Baronius, in not. ad Martyrol. Rom. 26 April. ; Henschenius in *Act. SS.* tom. III. April. p. 109; Schelstraete Diss. cit. cap. II; etc.

(3) Cit. Append. pag. **98.** — Carmen istud sec. III. conscriptum censet de Rossi *Bullett. di Arch. Crist.* an. 1867. p. 35.

(4) Append. pag. **90.**

num basilicæ S. Pauli (1), Librum Pontificalem (2), et martyrologium ac breviarium Romana, quibus documentis traditionem Romanæ ecclesiæ contineri aiunt, in præsenti re omnibus aliis præferendam. Advertunt etiam in Libro Pontificali non solum duos illos Pontifices distincte indicari, sed diversam quoque eis patriam, diversos parentes, diversas res gestas, diversa pontificatus et obitus tempora adscribi. Porro ex similitudine nominum factum contendunt ut in Eusebii et aliis catalogis græcis ex duobus unus Pontifex indicatus sit, idque eo magis probabile esse quod similis confusio certo locum habuit quoad Marcellinum et Marcellum.

3. Negantis vero sententiæ patroni (3) nituntur auctoritate ***a.*** Catalogorum Irenæi, Eusebii, Epiphanii et aliorum orientalium (4). ***b.*** Catalogorum latinorum Optati Milevitani, Augustini et Hieronymi (5). ***c.*** Auctoris libri adversus Artemonis hæresim (6), qui Victorem S. P. *decimum tertium* a Petro fuisse Romanum episcopum indicat (7). Jam vero, si Cletus et Anacletus diversi censeantur, Victor decimus quartus post Petrum Pontifex fuit. ***d.*** Actorum Alexandri R. P. (8),

(1) Append. pag. **95.**

(2) P. L. t. CXXVII. pp. 1059, 1113. — Adjungi possunt fere omnes catalogi latini prima recensione Libri Pontificalis (quæ vulgo Catalogus Felicis IV seu seculi VI vocari solet) recentiores et martyrologium *parvum Romanum*, Adonis et cetera latina posteriora.

(3) TILLEMONT, PAPEBROCHIUS (in *Conatu chron.-hist.*), COUSTANT, PALMA, etc.

(4) Cit. Append. pag. **88-89.**

(5) Append. pagg. **93, 94.**

(6) Qui scripsit ineunte sec. III (EUSEB. *H. E.* V. 27, 28).

(7) Append. pag. **4.**

(8) Quæ Acta quamvis interpolata censeantur, antiqua tamen sunt nec in hujusmodi indicationibus adulterandis exerceri solet interpolatorum ingenium.

ubi is *quintus* post apostolos sedisse dicitur (1). *e.* Martyrologiorum Hieronymianorum, ubi solus Cletus vel Anacletus indicatur (2).

4. Hæc posterior sententia longe probabilior, imo certa videtur, quippe quæ comprobetur testimoniis scriptorum tum occidentalium, tum orientalium, numero, antiquitate et auctoritate longe præstantiorum iis qui pro priori sententia afferuntur. Hi nempe reducuntur ad auctorem ignotum qui carmen adversus Marcionem, et alterum etiam ignotum qui Catalogum Liberianum conscripsit : ex hoc enim derivatas esse inscriptiones basilicæ Paulinæ, sicut et testimonia Libri Pontificalis, martyrologii parvi Romani et aliorum latinorum posteriorum, satis manifestum est. Catalogo autem Liberiano in hac *prima* sua *parte* exhiberi traditionem ecclesiæ Romanæ, gratis asseritur (3). Contra vero hujus traditionis longe certiores testes sunt Hegesippus (quo usus est Eusebius) (4), Irenæus, auctor libri adv. Artem. et martyrologia Hieronymiana, ut omittamus scriptorem Actorum S. Alexandri, Epiphanium, Optatum, Augustinum, Hieronymum et alios posteriores. Quos omnes errasse

(1) « Quinto loco a beato Petro apostolo Romanæ urbis ecclesiæ cathedram sedit Alexander » (*Act. SS.* tom. I. Maii p. 371).

(2) Ad diem 26 Aprilis; neque ulla habetur præterea Cleti vel Anacleti mentio ad 13 Julii.

(3) Cfr. *Introd. Gener.* Tract. III. Cap. III. N. 6-13 (pag. 203 sqq.). — Nullus quidem dubito quin Hippolytus in Chronico suo traditiones Romanas retulerit; sed non ita certum est ab auctore Catalogi Liberiani, qui eo fonte usus est, nihil ei adjunctum esse ex traditionibus vel opinionibus incertis (Cfr. loc. cit. N. 12).

(4) Cfr. ibid. N. 3 extr. (pag. 200).

perperam confundendo Cletum cum Anacleto certe admodum incredibile est, et longe probabilius est auctores carminis adversus Marcionem et Catalogi Liberiani, quum in antiquioribus catalogis unum ex primis Pontificibus apud alios græco nomine Anencletum, apud alios vero latino Cletum appellatum reperirent, ex uno illo duos fecisse diversos. Præterea valide confirmatur illa sententia ex eo quod sublato Cleto e serie Pontificum facile concordant inter se et cum aliis documentis numeri annorum singulis pontificatibus ex collatione catalogorum assignandi; qui vero Catalogi Liberiani auctoritatem omnino salvam et omnibus aliis præferendam volunt, hypothesibus maxime arbitrariis et ipsius illius catalogi testimonio refragantibus indulgere coguntur (1).

5. Quidam porro ex hujus posterioris sententiæ fautoribus advertunt conciliari posse aliquo modo ea quæ in Libro Pontificali de Cleto et Anacleto leguntur (2),

(1) Cfr. infra N. 7 sqq.

(2) Ea ex editione Bianchinii hic exscribere visum est. Notetur autem ea quæ charactere, ut aiunt, italico distinximus, non legi in prima recensione Libri Pontificalis seu Catalogo seculi VI, sed tantummodo in posterioribus.—Itaque de Cleto hæc tradit documentum nostrum: « Cletus, natione » Romanus, de regione Vico Patricii, » patre Æmiliano, sedit annos duodecim, mensem unum, dies undecim. » Fuit autem temporibus Vespasiani » et Titi, a consulatu Vespasiani VII » et Domitiani V [77], usque ad Domitianum IX et Rufum consules [83]. » Martyrio coronatur. Hic ex præcepto beati Petri XXV presbyteros » ordinavit in urbe Roma, mense decembri; qui etiam sepultus est juxta » corpus B. Petri in Vaticano VI kalend. Majas *et cessavit episcopatus* » *dies viginti* » (P. L. t. CXXVII. p. 1059). — De Anacleto autem : « Anacletus, natione Græcus, de Athenis, ex patre Antiocho, *sedit annos* » *novem, menses duos, dies decem.* » Fuit autem temporibus Domitiani,

supponendo scilicet eum qui græco nomine Anacletus seu potius Anencletus appellabatur, natione Græcum de Athenis, ex patre Antiocho, cum patre suo juvenem Romam venisse, ibique domicilium habuisse in regione Vico Patricii; et patrem (quod non ita raro factum esse aliis exemplis ostendi potest) pro græco suo nomine assumpsisse latinum Æmiliani et filio imposuisse nomen Cleti, quod magis latine sonabat. Quod autem inde Cletus *natione Romanus* dicitur ab auctore Libri Pontificalis, non magis mirum est quam quod ab eodem illo auctore Petrus apostolus dicitur *Antiochenus* (1). Sed et ex ipsa illa gestorum Cleti relatione quæ in Libro Pontificali reperitur videtur alia confirmatio repeti posse qua diversus non fuisse ab Anacleto statuatur : si advertatur scilicet hoc omnino singulare in illa relatione occurrere quod, quum in hac prima parte omnes alii Pontifices episcopos aliquot et diaconos præter presbyteros ordinasse referantur, nulla ejusmodi ordinatio legitur a Cleto facta, qui tamen annos duodecim sedisse indicatur, sed solummodo ordinatos esse ab eo (seu forte constitutos) 25 presbyteros in urbe Roma (2).

» a consulatu Domitiani decimo et Sa- » vini [84] usque ad Domitianum XVII » et Clementem consules [95]. Hic » memoriam beati Petri construxit » et composuit, dum presbyter factus » fuisset a beato Petro, *seu alia loca,* » ubi episcopi reconderentur *sepul-* » *turæ. Ubi* autem et ipse sepultus » est *juxta corpus beati Petri, III Idus* » *Julii.* Hic fecit ordinationes duas » *per mensem Decembrem, presbyte-* » *ros quinque, diaconos tres, episcopos* » *per diversa loca numero sex;* et ces- » savit episcopatus dies XIII » (Ibid. p. 1113).

(1) Et quidem jam in prima recensione seu Catalogo seculi VI (P. L. t. CXXVII. p. 1003).

(2) Obiter hic memorasse sufficiet sententiam propositam a Papebro-

ARTICULUS II.

DE ORDINE SUCCESSIONIS TRIUM PRIMORUM POST PETRUM RR. PP.

6. Omnes quos habemus catalogi veteres Linum immediate Petro successisse tradunt. Quibus refragari videtur Tertullianus, dum (1) in Romana ecclesia « Clementem a Petro ordinatum » scribit. Accedit ad hanc sententiam auctor epistolæ apocryphæ Clementis ad Jacobum sec. IV a Rufino latine redditæ (2). Eamque fuisse communiorem Latinorum opinionem testatur Hieronymus : « Clemens (inquiens) (3).... quartus post » Petrum Romæ episcopus : siquidem secundus Linus » fuit, tertius Anacletus, tametsi plerique Latinorum » secundum post Petrum Apostolum putent fuisse Cle- » mentem (4). » Nisi quis velit, ne Hieronymus nimis aperte errasse videatur, ita ab ipso plerosque Latinorum secundum post Petrum Clementem putare dici, ut is intelligatur (sensu utique longe minus obvio, si

chio (in *Conatu Chron.-hist.*) quasi mediam inter duas extremas. Opinatur scilicet Cletum, Lini successorem, Roma expulsum, pontificatum cessisse Clementi; postea vero, ipso Clemente exulare jusso, reversum esse et rursus Romanam Ecclesiam administrandam suscepisse, atque inde jam appellatum esse Anacletum, i. e. Revocatum. Conjectura ingeniosa utique, sed quum nullo testimonio aut monumento historico comprobetur, satis debilis.

(1) *Præscr.* c. 32 (P. L. t. II. p. 45).

(2) P. G. t. I. p. 463.

(3) *Vir. Ill.* c. 15 (P. L. t. XXIII. p. 631).

(4) Ex hoc loco autem, sicut et ex ejus Chronico, manifeste colligitur Hieronymum non locutum esse de immediato successore, ubi (*in Is.* c. 52 extr. P. L. t. XXIV. p. 504). Clementem post Petrum Romanam rexisse ecclesiam, et (*Adversus Jovinian.* c. 12. P. L. t. XXIII. p. 228), eumdem successorem apostoli Petri scribit.

præcedentia verba inspiciantur) non immediate, sed secundus, id est interposito Lino, Petro successisse. Nam revera hunc ordinem tradunt Catalogus Liberianus, Optatus et Augustinus (1), ut scilicet immediatus seu primus Petri successor Linus, secundus Clemens, tertius Anacletus seu Cletus statuantur. Alii autem antiqui catalogi omnes Lino Cletum seu Anacletum, huic Clementem successisse indicant. Quibus suffragatur et Canon Missæ, qualis jam legitur in Sacramentariis Gelasiano (2) et Gregoriano (3), ubi nomina primorum Pontificum recitantur hoc ordine : « Lini, Cleti, Clementis. »

7. Variæ inde exortæ sunt recentiorum opiniones. Quidam enim testimonia catalogorum veterum cum Tertulliani et aliorum Latinorum auctoritate conciliare volentes, supponunt non solum Clementem, sed et Linum et Cletum a Petro ordinatos fuisse Romæ episcopos, non quidem tamquam successores, sed ut coadjutores ejus essent seu ipso absente Romanam ecclesiam administrarent. Addunt aliqui Linum et Cletum Petro adhuc inter vivos agente mortuos esse et Clementem solum superstitem successisse Petro. Hanc opinionem jam indicant Epiphanius et Rufinus (4). Alii

(1) Append. pagg. **90, 92.** — Quibus adjungi potest locus *Constit. Apost.* cit. paulo infra not. 4.

(2) P. L. t. LXXIV. p. 1196.

(3) P. L. t. LXXVIII. p. 26.

(4) Append. pagg. **86, 95.** — Et fere similiter *Constit. Apost.* VII. 46; ubi inducitur Petrus ita inquiens : « Romanorum ecclesiæ primus quidem » Linus Claudiæ filius, a Paulo; secundus autem a me Petro post mortem Lini ordinatus fuit Clemens » (P. G. t. I. p. 1051).

vero, quorum iterum aliquatenus dux afferri potest Epiphanius, Clementem solum a Petro, et quidem in successorem, ordinatum esse, postea vero eam dignitatem detrectasse, sive ex humilitate, sive quia post mortem Petri non omnes in ipso tamquam Pontifice recipiendo consentirent; itaque loco illius Linum et deinde Cletum ordinatos fuisse; ac denique post hujus utriusque mortem Clementem ex nova fidelium in ipso eligendo consensione coactum fuisse ut onus pontificatus subiret.

8. Alii rursus has hypotheses rejicientes admittunt tamen ordinatos fuisse quosdam Pontifices Romanos hoc primo et deinde utroque sequenti seculo vivo adhuc prædecessore suo, ut usque ad mortem ejus tamquam vicarii seu (ut quidam aiunt) chorepiscopi eum juvarent et deinde ejus loco succederent. Aliam tamen hujus hypothesis rationem non proferunt nisi quod secus numeri annorum, mensium et dierum singulis pontificatibus assignati in Catalogo Liberiano (et aliis documentis ex eo derivatis) omnino invicem conciliari non possunt. Itaque his numeris non solum tempus quo unusquisque Pontifex *solus* sedit, sed et computato illo quo sedit tamquam decessoris sui vicarius, indicari opinantur (1).

9. Hoc systema (ut vocant) vicariorum vulgo jam ab

(1) Hanc opinionem, admissa simul vel exclusa aliqua ex iis quæ præcedenti Numero indicatæ sunt, receperunt BARONIUS, HENSCHENIUS, PAPEBROCHIUS, PEARSON, BIANCHINI (in notis ad *Libr. Pontif.*), etc.

eruditis rejicitur tamquam nimis gratuito excogitatum. Et quidem, ut mox apparebit, ad scopum ab ejus auctoribus intentum omnino inutile est, et ex hoc solo argumento satis videtur confutari quod, quum ideo præcipue propositum sit ut salva maneret auctoritas Catalogi Liberiani, huic documento tamen apertissime contradicit, quippe cujus auctor exordium et finem singulorum pontificatuum per nomina consulum diserte notando, manifeste solum tempus quo singuli Pontifices soli sederunt a se indicari significet (1).

10. Illo itaque neglecto, Clementem tamen primum seu immediatum Petri successorem dicendum esse, post alios quosdam recens adhuc defendit Ill. D. HEFELE (2), solis argumentis ex illius epistola ad Corinthios prima desumptis. Advertunt scilicet in primis constare ex hujus epistolæ cap. 1 (3) eam scriptam esse brevi post persecutionem aliquam, eamque persecutionem, ut manifeste apparet, vel Neronis fuisse vel Domitiani.

(1) Non negamus quidem admodum probabilem esse sententiam eorum qui Linum et Clementem et forte alios subinde iis primis temporibus episcopos ordinatos et episcopalia munera Romæ exercuisse vivente adhuc prædecessore suo opinantur, sed illud gratuito et improbabiliter dictum existimamus, tempus scilicet quo alium Romanum Pontificem in exercitio hujus muneris adjuvarunt, intra illorum Pontificatum computatum fuisse.

(2) In præfatione ad suam editionem PP. Apostolicorum (P. G. t. I. pp. 195, 196), ubi, sicut et distinctius ap. COTELERIUM (Ibid. p. 78. n. 5), indicantur variæ eruditorum sententiæ circa tempus quo Clementis ad Corinthios Epist. I. conscripta est.

(3) Cujus exordium ita habet : « Propter subitas ac sibi invicem » succedentes calamitates et casus » adversos qui nobis acciderunt, tar» dius, fratres, nosmetipsos conver» tisse agnoscimus ad ea quæ fuerunt » quæsita a vobis » (Ibid. p. 206).

Porro non Domitiani, sed Neronis fuisse, his indiciis colligi posse existimant : *a.* Clemens martyrii Petri et Pauli mentionem facturus cap. 5 ait : « Veniamus ad *proximos* athletas (1) » *b.* Cap. 6, persecutio nuper præterlapsa adeo cruenta, et multitudo martyrum tanta describitur, ut Neronis, non Domitiani tempora indicari videantur. *c.* Capp. 5 et 6, nullus tot illustrium martyrum, qui sub Domitiano passi sunt, nominatur : non Flavius Clemens, non Acilius Glabrio, non Flavia Domitilla, non Joannes Evangelista; quorum aliquem saltem memorasset S. Pater, si post Domitianeam persecutionem scripsisset. *d.* Sententiam suam confirmant ex eo quod Clemens capp. 40 et 41 mentionem facit cultus Judaici ut in templo Hierosolymitano adhuc vigentis (2). Atqui templum istud anno 70 omnino eversum erat et inde cessaverat omnino cultus Judaicus Hierosolymis.

11. Horum autem argumentorum tria priora vix ullius momenti esse facile demonstratur. Nam certe *a.* Clemens potuit extremo seculo I, et postquam Abel, Jacob, Joseph, Moysen et David memorasset, ita pergere : « Sed ut vétera exempla relinquamus, veniamus » ad proximos athletas, et seculi nostri generosa exem» pla proponamus; » et deinde *b.* post memoratos distincte Petrum et Paulum, omnes alios martyres qui

(1) Ibid. p. 218.

(2) Præsertim cap. 41 : « Non ubi» que, fratres, offeruntur sacrificia » jugia vel votiva vel pro peccato et » delicto, sed Hierosolymis tantum; » neque illic in quovis loco fit oblatio, » sed ante templum ad altare, prius » facta a summo sacerdote et prædi» ctis ministris oblati inspectione ac » probatione » (Ibid. p. 290).

ab exordio persecutionis Neronianæ usque ad finem persecutionis Domitiani passi sunt, complecti his verbis : « Viris istis sancte vitam instituentibus magna » electorum multitudo aggregata est, qui multas con» tumelias multaque tormenta propter æmulationem » passi, exemplar optimum inter nos extiterunt. » Neque *c.* ulla apparet peculiaris ratio, cur Clementem in quibusdam singulatim recensendis immorari necesse erat. — Restat itaque argumentum ex mentione cultus et præsertim templi Hierosolymitani petitum. Ad quod respondet COTELERIUS (1) : « Quid... sibi vult *sacrificia non in omni loco, sed Jerosolymis tantum offeruntur,* nisi illud : Ex præscripto legis sacrificia Jerosolymis *tantum offeruntur?* Quod quidem præscriptum cum etiamnum in lege maneat, ipsa Clementis verba etiam nobis efferre non inepte nunc liceret. Nempe Clemens comparatione ac more Judæorum, quibus sacrificiorum leges a Moyse præscribuntur, Christianis auctor est ut et ipsi statutum ab apostolis oblationum et officiorum ordinem reverenter accipiant ac servent. Hoc autem... in exponendis comparationibus usuvenit, ut res præteritæ perinde ac si præsentes adessent, ob oculos ponantur. »

12. Quæ Cotelerii responsio, licet in se inspecta difficultate non careat, valide tamen confirmatur ex verbis Clementis quæ immediate sequuntur post citata (2) ex cap. 41. Pergit enim : « Qui ergo præter id quod vo-

(1) Ibid. p. 80. n. 7.

(2) Pag. præc. not. 2.

» luntati ejus consentaneum est aliquid faciunt, morte » multantur. » Neque enim quisquam affirmarit anno 68 seu immediate ante Hierosolymorum per Vespasianum obsidionem, antiquam illam severitatem circa legem suam servandam apud Judæos viguisse. Neque certe ipsi sententiæ quam nunc perpendimus patroni facilius solvunt argumenta illi contraria. Quæ repetuntur ex eo quod *a.* Quum juxta illam brevi admodum tempore post Petri martyrium illa epistola scripta supponi debeat, nulla tamen exordio habetur hujus martyrii mentio, sed afferuntur « subitæ ac sibi invicem succedentes calamitates et casus adversi » ad excusandam rescriptionis tarditatem. *b.* Quod cap. 47 (1) ecclesia Corinthiorum, anno 54 a Paulo fundata, *antiqua* vocatur. *c.* Quod cap. 44 jam plures episcopos ex ordine successisse iis qui ab apostolis constituti fuerant, satis perspicue indicatur (2).

13. Nequaquam igitur ex epistola Clementis ad Corinthios cogimur ut eum immediate Petro successisse dicamus adversus auctoritatem omnium catalogorum veterum. Ex quorum etiam plerorumque et maxime antiquorum, speciatim Irenæi, Eusebii (3), Epiphanii

(1) P. G. t. I. p. 307.

(2) Ait scilicet Clemens : « Et apo- » stoli nostri cognoverunt... quod fu- » tura esset contentio de nomine epi- » scopatus : ob eam ergo causam,.... » constituerunt prædictos, et dein- » ceps futuræ successionis regulam » tradiderunt; ut cum illi decessis- » sent, ministerium eorum ac munus » alii viri probati exciperent. Consti- » tutos itaque ab illis vel deinceps ab » aliis viris eximiis, consentiente uni- » versa ecclesia.... quique longo tem- » pore ab omnibus testimonium præ- » clarum reportarunt, hos putamus » officio injuste dejici » (Ibid. p. 295).

(3) Ac proinde, ut colligere licet, Hegesippi.

et reliquorum græcorum ac orientalium omnium, latinorum etiam auctoris carminis adversus Marcionem, Hieronymi, Rufini, inscriptionum basilicæ Paulinæ, Hormisdæ, imo et Libri Pontificalis (1), adversus solos auctorem Catalogi Liberiani, Optatum et Augustinum, Clemens nonnisi post Anencletum seu Cletum sedisse dicendus est. — Unde denique hic habetur ordo successionis primorum post Petrum Romanorum Pontificum : Linus, Anencletus seu Cletus, Clemens.

ARTICULUS III.

DE DURATIONE SINGULORUM HORUM PONTIFICATUUM.

14. Quum **Petrus** annos viginti quinque sedisset, ab anno scilicet æræ nostræ 42 usque ad annum 67 (2), successit illi **Linus.** Cujus pontificatui si duodecim annos assignamus cum Eusebio (3), Georgio Syncello, Nicephoro CPano, Chronographia syntomo et tribus quos habemus catalogis orientalibus, latinorum vero Catalogo Liberiano, uno tantum anno ab eo numero recedentibus Hieronymo, inscriptione basilicæ Pau-

(1) Ubi jam in prima recensione seu Catalogo Felicis IV Cletus præponitur Clementi (P. L. t. CXXVII. p. 1059 sqq.), cui tamen ibid., sicut et inter inscriptiones basilicæ Paulinæ, Anacletus successisse indicatur.

(2) Cfr. supra Diss. I. Cap. II. — BARTOLINI, *L'anno 67, se fosse quel del martirio*, etc. Romæ 1866. GAMS, *Jahr der Martertodes P. u. P.* Regensburg 1867.

(3) In *Historia Ecclesiastica* (Append. p. 84) scilicet, quam post Chronicon conscripsit, et in qua conscribenda usus est libris Hegesippi.

linæ, catalogo Hormisdæ et Bar-Hebræo, deducimur ad annum 79.

15. **Anencleto** item duodecim annos tribuunt Eusebius, Catalogus Liberianus, Hieronymus, inscriptio basilicæ Paulinæ, Catalogus Hormisdæ, Chronographia syntomus et Bar-Hebræus, ceteris græcis et orientalibus mire circa durationem illius pontificatus variantibus. Itaque probabilissime ab anno 79 ad 91 sedisse dicendus est Anencletus.

16. Hujus successorem **Clementem** annos novem pontificali munere functum esse unanimi consensu tradunt catalogi omnes, quibuscum apprime concordat traditio de anno obitus Clementis, quem obitum Hieronymus (1) et Liber Pontificalis (2) anno tertio Trajani seu æræ nostræ 100 contigisse referunt. Atque hinc habetur valida confirmatio totius illius quam secuti sumus singulorum pontificatuum durationem statuendi rationis.

17. Ulterius autem et numeros mensium ac dierum definire qui annorum numeris forte addendi vel detrahendi forent, temerarium nimis videtur. Id enim neque ex Catalogo Liberiano satis effici potest (3), neque ex indicatione dierum ubi in antiquis martyrologiis, speciatim Hieronymianis, singulorum pontificum memoria celebranda annuntiatur : nam, ut apud omnes convenit, non semper ibi indicatur dies anniversaria obitus

(1) *Vir. Illustr.* c. 15 (P. L. t. XXIII. p. 633).

(2) P. L. t. CXXVII. p. 1079.

(3) Cfr. *Introd. Gener.* Tract. III. Cap. III. N. 11 (pag. 207).

illorum, sed subinde translationis alicujus solemnis eorum corporum. Præterea in nullo documento antiquo, præterquam in Libro Pontificali, cui in hac re (ut ex paucis illis istius generis quæ ope aliorum monumentorum certius comperiri possunt, satis constat) probabilis fides haberi non potest (1), consignatæ sunt durationes vacationum seu interstitiorum : unde etiamsi notum esset quonam mense et die singuli pontifices obierint, non tamen statui posset quonam item mense et die pontificalem dignitatem obtinuerint. Itaque hæc incerta relinquenda sunt. Atque (ne iterum id inferius repetendum sit) eadem ratio locum habet quoad Pontifices seculi II et saltem primæ partis seculi III, de quibus sequenti capite agendum est.

(1) Utrum culpa scriptoris an librariorum, non liquet.

CAPUT II.

DE CHRONOTAXI SUCCESSIONIS RR. PP. AB ANNO 100 AD ANNUM 230.

—

1. Si computemus summam annorum singulis attributorum ex una parte in Catalogo Liberiano, ex alia in antiquissimo græco Eusebii (1), reperimus in priori hanc summam pertingere ad annos 139, in altero vero ad 130, qui numerus revera intercedit inter utrumque extremum terminum. Inde jam præsumptio oritur ut numeri apud Eusebium accuratius indicati censeantur. Quæ conclusio omnino certa efficitur, si singulatim perpenduntur varietates.

2. Hæ occurrunt præcipue in pontificatibus Evaristi et Alexandri, et deinde Hygini, Pii et Aniceti. — Jam, quod ad primam attinet, ubi Eusebius Evaristum octo annos sedisse indicat, Alexandrum autem annos decem, Catalogus Liberianus vero Evaristo tredecim, Alexandro septem annos attribuit, facile apparet numeros ab

(1) In *Historia Ecclesiastica* scilicet (Append. pag. 84-86), post Chronicon conscripta et ubi catalogum quem in Chronico tradiderat (Ibid. pag. 83-84), subinde emendavit.

Eusebio assignatos esse præferendos. Etenim *a.* Eosdem vel parum diversos (1) tradunt non solum ceteri catalogi græci et orientales fere omnes, sed et inter Latinos Hieronymus et, quod magis mirum est, Catalogus Felicianus seu prima recensio Libri Pontificalis (2), hoc loco Liberianum, cujus plerumque vestigia premit, deserens, et præterea, quoad pontificatum Alexandri, etiam inscriptio basilicæ Paulinæ. *b.* In Actis Alexandri legitur hic Pontifex eodem anno obiisse quo Trajanus (3) et paucis ante mensibus. Quum itaque certum sit Trajanum fato functum esse mense Augusto anni 117, inde sequitur septemdecim circiter annos inter obitum Clementis et Alexandri item obitum esse computandos : qui numerus obtinetur, si cum Eusebio et aliis octo circiter anni Evaristo, et decem Alexandro assignantur.

3. Hygini autem, Aniceti et Pii pontificatus ad eam partem Liberiani Catalogi pertinent ubi omnia maxime perturbata sunt (4). Et hic etiam cum duplici catalogo Eusebii concordant omnes alii catalogi, tum græci et orientales, tum latini, atque ipse etiam Felicianus, sola Chronographia syntomo sec. IX magis ad Liberianum accedente. Unde omnino colligitur annos circiter quatuor, non autem undecim, Hygini pontificatui esse attribuendos. — Quoad pontificatum Pii, cum

(1) Uno scilicet aut ad summum et altero anno, ita tamen ut magis ad Eusebii quam ad Liberiani numeros accedant.

(2) P. L. t. CXXVII. p. 1145.

(3) *Act. SS.* tom. I. Maii, p. 371.

(4) Cfr. *Introd. Gener.* Tract. III. Cap. III. NN. 10, 12 (pagg. 206, 208).

Eusebio rursus concordant omnes alii catalogi græci et orientales, præter unius Nicephori CPani, atque inter latinos Hieronymus, imo et ipse Liberianus, ubi pro XX substituendum esse XV satis apparet ex indicatione consulum qui mox designantur fuisse primo et ultimo hujus pontificatus annis. Itaque ratio habenda non est posteriorum catalogorum latinorum, qui Pium octodecim annos sedisse indicant. — Denique et Aniceto (1) post Eusebium annos undecim attribuunt omnes catalogi græci, orientales et latini (2), præter Liberianum in hac parte mutilum.

4. Ex his itaque concluditur chronotaxin successionis RR. PP. illius temporis, ex documentis hactenus notis, ita probabilissime posse statui, ut sedisse dicantur :

Evaristus	usque ad an.	108.	**Soter**	usque ad an.	176.
Alexander	—	117.	**Eleutherus**	—	190.
Xystus I	—	127.	**Victor**	—	200.
Telesphorus	—	139.	**Zephyrinus**	—	218.
Hyginus	—	142.	**Callistus**	—	223.
Pius	--	157.	**Urbanus**	—	230.
Anicetus	—	168.			

(1) Quem Pio postponendum esse, non præponendum, certum est ex testimoniis indubiis, speciatim coævorum Hegesippi (Ap. EUSEB. *H. E.* IV. 22 : « Romam vero cum venis» sem, mansi ibi apud Anicetum, cu» jus tum diaconus erat Eleutherus. » Post obitum deinde Aniceti succes» sit Soter, quem excepit Eleuthe» rus ») et Irenæi (Append. pag. **88**).

(2) Hieronymus tamen, in sua versione Chronici Eusebiani, decem tantum annos assignat Aniceto (Append. pag. **94**).

CAPUT III.

DE CHRONOTAXI RR. PP. AB ANNO 230 AD AN. 311.

---

1. Pontiano paulo amplius annos quinque attribuit Catalogus Liberianus (1). Cujus testimonium, ex coævo probabiliter documento excerptum (2), optime concordat cum sequentium pontificatuum chronologia, et vix ab eo recedit Eusebius in *Hist. Eccl.* (3), ubi sex annis Pontianum episcopatum tenuisse refert. Ceteri autem catalogi græci, orientales et latini mire hoc loco varii sunt. Finis autem pontificatus Pontiani diserte assignatur in Catalogo nostro 28 Septembris 235 (4).

(1) Append. pag. **91.**

(2) Nobis tamen ignoto. Cfr. *Introd. Gener.* Tract. III. Cap. III. N. 14 (pag. 209).

(3) Append. pag. **85.**

(4) Quum Pontianus in Catalogo Liberiano dicatur « discinctus IV Kal. Octobr., » in Libro Pontificali vero « defunctus III Kal. (*al.* id.) Novembr. » (P. L. t. CXXVII. p. 1337), illud de voluntaria abdicatione intelligendum esse arbitratus est DE ROSSI (*Roma Sotterr.* t. II p. 77-78), qua Pontianus ad metalla in perpetuum damnatus pontificatu cessit, ne ecclesia Romana diu pastore esset orbata; hoc vero de ejus morte per ærumnas in opere metalli ipsi inflictas subsecuta die 30 Octob. sequentis anni 236. Alii plerique hactenus opinati erant lectionem Libri Pontificalis non esse nisi ipsam Catalogi Liberiani ab illius Libri auctore aliquantum adulteratam. Apud omnes autem convenit diem 13 Augusti, qui in *Depositione Martyrum* (Cfr. *Introd. Gener.* p. 514) Pontiani memoriæ recolendæ assignatur, esse diem depositionis

2. Anteros ordinatus est loco Pontiani 21 Novembris an. 235 et sedit tantum usque ad 3 Januarii anni sequentis. Ita secundum Catalogum Liberianum, quocum hoc loco et alii fere catalogi concordant (1).

3. Fabianus, hujus successor, obiit secundum Catalogum Liberianum die 21 Januarii (2) an. 250, postquam sedisset annos quatuordecim (3). Plerique alii catalogi Fabiano annos tantum tredecim assignant. Attamen eum anno 250, non 249, obiisse, præter alia argumenta vel illud satis comprobat, quod Philippus imperium tenuit usque ad mensem Octobrem 249, ubi id ipsi eripuit Decius, et certe sub Philippo nulla fuit persecutio.

4. Post mortem Fabiani satis diu vacavit sedes Romana. Quo tempore ecclesiam administrarunt presbyteri et diaconi. Inter quos præcipuum locum tenuisse Moysen et Maximum presbyteros et Nicostratum diaconum colligi potest ex eo quod hi nominatim indicantur comprehensi a persecutore et de utroque presbytero rursus sermo est paulo inferius, ubi de

ejus corporis in cœmeterio Callisti, quo translatum fuit e Sardinia opera Fabiani (*Lib. Pont.* in hujus vita. P. L. t. CXXVII. p. 1342) anno 236 vel (secundum DE ROSSI loc. cit.) 237.

(1) Pauci Anterotem Pontiano præponunt, quod jam notavit Georgius Syncellus (Ed. Bonn. t. I. p. 680).

(2) In *Depositione Martyrum* annuntiatur ejus memoria ad 20 Januarii.

(3) Manifeste autem sibi ipse contradicit auctor Catalogi dum addit *mens.* 1 : nam inter 3 Januar. quo obiisse ait Anterotem et 21 ejusdem mensis, quo martyrium passus dicitur Fabianus, habentur tantum dies 18. Unde nonnulli hanc indicationem *mens.* 1 ex Anterotis notitia huc irrepsisse opinantur.

Cornelio. Non videtur tamen efficax ad eam conclusionem confirmatio desumi posse ex epistolis tempore vacationis Roma Carthaginem et inde Romam missis, quæ habentur inter Cyprianicas. Nam quæ de negotiis ecclesiasticis publicis præcipue agunt (1), inscriptæ sunt « Presbyteri et diacones Romæ consistentes, » et « Presbyteris et diaconibus Romæ consistentibus, » nullo nominatim indicato. Quæ autem nominatim a Cypriano inscriptæ sunt « Moysi et Maximo, et ceteris confessoribus (2) » et ea quam ad illum rescripserunt « Moyses et Maximus presbyteri, et Nicostratus et Rufinus diaconi, et ceteri confessores (3), » vel omnino non vel nonnisi obiter ea negotia attingunt (4).

5. Vacationem sedis Pontificalis ultra annum durasse colligitur ex eo quod Moyses et Maximus presbyteri *post passionem* Fabiani comprehensi leguntur in Catalogo nostro, Cyprianus autem in priori epistola ad eos missa (Epist. 15) tempore certe quo sedes adhuc vacabat, eos jam annum (circiter) in carcere transegisse ait (5). Anno itaque 251 Pontifex ordinatus est

(1) Cypr. Epist. 3, 14, 22, 29, 30, 31 (P. L. t. IV. pp. 228, 262, 282, 302, 303, 307).

(2) Epist. 15, 25 (Ibid. pp. 264, 288).

(3) Cypr. Epist. 26 (Ibid. p. 290).

(4) Laudantur quidem a Cypriano (Epist. 25) Moyses et Maximus et *ceteri confessores* quod ad gloriam confessionis adjunxerint sollicitudinem circa vigorem disciplinæ (quoad lapsos utique) servandum, quam sollicitudinem testatos eos ait per epistolam ad confessores Carthaginenses missam. Hæc tamen facile intelligi possunt de epistola quasi privata quam ad hos scripserint confessores Romani (et quidem non soli Moyses et Maximus) ut Carthaginenses confessores a nimia erga lapsos indulgentia deterrerent.

(5) In Catalogo Liberiano etiam dicitur Moyses post annum circiter in carcere obiisse, ante electionem, ut videtur, Cornelii.

Cornelius (1). At non ita certum est quo anno obierit. Annum profecto 252 per consules indicat Catalogus Liberianus. Sed idem Catalogus ultra duos annos Cornelium sedisse affirmat, consentiente Eusebio, qui tres circiter annos illi attribuit. Itaque annus 253 obitualis Cornelii omnino dicendus videtur.

6. Omnia rursus perturbata sunt in Catalogo Liberiano circa tempora Lucii, Stephani et Xysti II. Si enim etiam per solos annos (omissis mensibus et diebus adjectis) durationes singulorum pontificatuum in eo assignatæ simul computentur, habetur jam summa annorum novem. Atqui certum est Xystum II martyrium passum esse VIII id. Aug. ante martyrium Cypriani (2), quod contigit 14 Sept. Tusco et Basso Coss. (3) seu an. 258. Itaque ab obitu Cornelii ad obitum Xysti II habentur tantum anni quinque vel sex : unde coactus est auctor annum mortis Stephani sub iisdem consulibus consignare quibus jam notaverat ultimum annum Lucii ejus decessoris, quum tamen Stephanum an. 4. m. 2. d. 21 sedisse indicaverit.

7. Ad hos errores emendandos, advertendum *a.* Imprimis certe recte indicatum esse diem martyrii Xysti II, quod habemus ex testimonio coævo Cypriani.

(1) Utrum vero mense Junio (quod putarunt HENSCHENIUS, TILLEMONT, uterque PAGIUS) an Martio vel Aprili (quod contendunt SCHELSTRAETE et LIPSIUS) non videtur posse definiri.

(2) « Xystum in cœmeterio animadversum sciatis octavo iduum Augustarum die. » Cypr. Epist. 82 ad Successum (P. L. t. IV. p. 430).

(3) Acta sincera S. Cypriani, nn. 2, 6 (P. L. t. III. pp. 1500, 1506).

Præterea *b*. Annos saltem circiter tres sedisse Stephanum Xysti prædecessorem, inde satis colligitur quod vix breviori temporis spatio contigisse potuerunt negotia quæ illo Pontifice gesta scimus per Cypriani epistolas de Marciano episcopo Arelatensi et de causa Basilidis ac Martialis (1), et per documenta quæ pertinent ad controversiam de baptismo hæreticorum. Denique *c*. Epistola Firmiliani ad Cyprianum, vivente adhuc Stephano conscripta, missa ab ipso significatur ubi « hibernum tempus urgebat (2), » et in ea narratur historia quæ « ante viginti et duos fere annos temporibus *post* Alexandrum Imperatorem (3) » contigerat. Quum autem Alexander Severus Imperator necatus sit 19 Martii 235, vigesimus secundus annus post ejus obitum incidit in annum 256. Inde itaque colligitur epistolam Firmiliani scriptam esse hoc anno in finem vergente. Jam vero memoria Stephani in martyrologiis antiquis (4) et in *Depositione Episcoporum* (5) indicatur IV nonas seu die 2 Augusti, ad quem diem etiam ejus martyrium referunt illius Acta. Unde denique 2 Augusti 257 omnino statuendus videtur dies obitualis Stephani.

8. Ex his autem manifestum est non posse attribui **Lucio** annos tres, etiamsi anno 252, non 253, Corne-

(1) Cypr. Epist. 67, 68 (P. L. t. III. pp. 990, 1019).

(2) Firmil. Epist. n. 5 init. (Ibid. p. 1158).

(3) Ibid. n. 10 (Cit. infra Append. pag. 68).

(4) P. L. t. XXX. p. 469; t. CXXIII. p. 165; etc.

(5) Cfr. *Introd. Gener.* pag. 513.

lium obiisse existimemus. Ceterum Eusebius et Hieronymus (forte Eusebium secutus) octo tantum menses Lucium sedisse referunt (1). Itaque, deficientibus aliis documentis, tantum asserere licet ejus pontificatum fuisse admodum brevem et probabiliter non pertigisse ad annum integrum. Quum autem die 5 Martii (2) vita functus sit, inde deducimur ad annum 254.

9. Stephanus vero, ut diximus, post Lucium in sedem Pontificalem evectus, eam obtinuit usque ad 2 Augusti 257 ac proinde amplius tres annos. Cui successit **Xystus II,** qui sedit usque ad 6 Augusti 258 (3), et post ejus obitum vacavit sedes usque ad 21 Julii 259 (4).

10. Inde autem usque ad tempora Constantini M. magis perspicua est chronologia pontificia, auctore Catalogi Liberiani jam certioribus documentis nitente, quamvis in numero annorum, mensium et dierum assignando nec aliis, imo nec semper sibi concordet. In hac ejus catalogi parte etiam major ratio est habenda indicationis exordii et finis uniuscujusque pontificatus quam illorum numerorum (5). Itaque, secundum Catalogum nostrum,

(1) Append. pagg. **86, 94.** — Quod si verum est, quum dies ejus obitualis tum in Catalogo Liberiano (Append. pag. **92**), tum in *Depositione Episcoporum* (Cfr. *Introd. Gener.* pag. 513), indicetur 5 Martii, non potest obitus Cornelii in 14 Septembris referri, quamvis id habeat Hieronymus *Vir. Ill.* c. 67 (P. L. t. XXIII. p. 677).

(2) Cfr. not. præc.

(3) Cfr. supra N. 6.

(4) Catalog. Liberian. (Append. pag. **92**).

(5) Cfr. *Introd. Gener.* Tract. III. Cap. III. N. 15 sqq. (pag. 210 sqq.).

11. Dionysius sedit a die 22 Julii 259 usque ad 26 Decembris 269. — Deinde **Felix** usque ad (30 Decembris) (1) 274. — Inde **Eutychianus** usque ad 10 Decembris (2) 283. — Postea **Caius,** a 17 Decembris 283 ad 22 Aprilis 296.— **Marcellinus,** a 30 Junii 296 usque ad (26 Aprilis) (3) 304. — Deinde, post vacationem sedis annorum circiter quatuor, **Marcellus** (quem nonnulli veteres non distinxerunt a Marcellino) ordinatus est anno 308 et sedem pontificalem tenuit usque ad (16 Januarii) (4) 310. — Post quem sedit **Eusebius** a 18 Aprilis usque ad 17 Augusti (vel 26 Septembris) (5) ejusdem anni. — Eusebium denique post vacationem mensium amplius decem excepit **Melchiades** seu **Miltiades** 2 Julii anni 311 : sub quo pax ecclesiæ reddita est a Constantino.

(1) *Deposit. Episc.* (Cfr. ibid. p. 512).

(2) Vel 8 Decembr. secundum *Deposit. Episc.* (Cfr. ibid. pag. 513).

(3) *Deposit. Episc.* emend. (Cfr. ibid. pag. 512).

(4) Ibid.

(5) Ibid.

Non injucundum lectoribus fore arbitratus sum, si conclusiones nostræ dissertationis hic simul collectæ proferantur. Eas igitur exhibet sequens tabella.

Petrus	sed.	ann. (1)	25	ab	an.	42	ad	an.	67.
Linus	—	—	12	—	—	67	—	—	79.
Anencletus	—	—	12	—	—	79	—	—	91.
Clemens	—	—	9	—	—	91	—	—	100.
Evaristus	—	—	8	—	—	100	—	—	108.
Alexander	—	—	10	—	—	108	—	—	117.
Xystus I	—	—	10	—	—	117	—	—	127.
Telesphorus	—	—	11	—	—	127	—	—	139.
Hyginus	—	—	4	—	—	139	—	—	142.
Pius	—	—	15	—	—	142	—	—	157.
Anicetus	—	—	11	—	—	157	—	—	168.
Soter	—	—	8	—	—	168	—	—	176.
Eleutherus	—	—	13	—	—	176	—	—	190.
Victor	—	—	10	—	—	190	—	—	200.
Zephyrinus	—	—	18	—	—	200	—	—	218.
Callistus	—	—	5	—	—	218	—	—	223.
Urbanus	—	—	8	—	—	223	—	—	230.
Pontianus	—	—	5	—	—	230	—	—	235.
Anterus	—	mens.	1	—	—	235	—	—	236.
Fabianus	—	ann.	14	—	—	236	—	—	250.

(1) Annos solidos computamus inter uniuscujusque Pontificatus exordium et finem, præcisis numeris mensium et dierum qui annorum numero addendi vel forte subinde etiam demendi forent : quum, ut non semel monuimus, horum ratio, quod ad hujus ætatis Pontifices attinet (præter postremos), ex documentis historicis neque probabiliter satis definiri queat.

Cornelius	sed.	ann.	2	ab	an.	251	ad	an.	253.
Lucius	—	mens.	8	—	—	253	—	—	254.
Stephanus	—	ann.	3	—	—	254	—	—	257.
Xystus II	—	an.	1	—	—	257	—	—	258.
Dionysius	—	ann.	10	—	—	259	—	—	269.
Felix	—	—	5	—	—	269	—	—	274.
Eutychianus	—	—	8	—	—	275	—	—	283.
Caius	—	—	12	—	—	283	—	—	296.
Marcellinus	—	—	8	—	—	296	—	—	304.
Marcellus	—	an.	1	—	—	308	—	—	310.
Eusebius	—	mens.	4	anno		310.			

APPENDICES.

APPENDICES.

APPENDIX A.

DE PETRI ROMÆ COMMORATIONE, EPISCOPATU ET MARTYRIO.

Testimonia trium priorum seculorum ex scriptis genuinis.

Sec. I. CLEMENS ROMANUS Epist. I. ad Corinthios *capp.* 5, 6. « Propter zelum et invidiam, qui maximæ et justissimæ ecclesiæ columnæ erant, persecutionem passi sunt, et venerunt usque ad mortem. Ponamus nobis ante oculos bonos Apostolos. Propter zelum iniquum [Petr]us (1) non unum aut alterum, sed plures labores sustulit, atque ita martyrium passus in debitum gloriæ locum discessit. Propter zelum et Paulus patientiæ præmium reportandum sustinuit.... Viris istis sancte vitam instituentibus magna electorum multitudo aggregata est, qui supplicia multa et tormenta propter zelum passi, exemplar optimum inter nos extiterunt. » (2)

Sec. II. 1. IGNATIUS ANTIOCHENUS Epist. ad Romanos *cap.* 4. « Obsecro vos, ne intempestivam mihi benevolentiam exhibeatis. Sinite me ferarum cibum esse, per quas Deum consequi licet..... Non ut Petrus et Paulus vobis præcipio. Illi apostoli, ego condemnatus; illi liberi, ego usque nunc servus. » (3)

2. PAPIAS, *ad quem provocat Eusebius H. E.* II. 15; *ubi, postquam retulisset Marci evangelium rogantibus Christianis Romanis*

(1) In unico codice græco unde vulgari potuit Epistola hæc (Cfr. HEFELE, *Proleg.* — P. G. t. I. p. 187), non paucæ desiderantur voces aut litteræ vetustate exesæ. Ita hoc loco leguntur tantum duæ ultimæ litteræ (ος) nominis Petri : quod tamen legendum esse nullus editorum dubitavit.

(2) P. G. t. I. p. 218.

(3) P. G. t. V. p. 690.

conscriptum et a Petro lectum atque approbatum esse, sic pergit : « Refertur id a Clemente [*Alexandrino*] in sexto Institutionum libro. Cui testis etiam accedit Papias Hierapolitanus episcopus. Porro Marci mentionem fieri aiunt a Petro in priore Epistola, quam Romæ scriptam esse contendunt, idque Petrum ipsum innuere, qui Romam figurate Babylonem appellat his verbis : Salutat vos Babylonis Ecclesia... » (1)

3. DIONYSIUS CORINTHIUS *episcopus in Epistolæ ad Romanos seu ad Soterem R. P. fragmento citato ap. Euseb. H. E.* II. 25. « Ita et vos tanta admonitione vestra sementem, quæ Petri ac Pauli satione succreverat, Romanos scilicet et Corinthios, simul commiscuistis. Ambo enim illi in urbem nostram Corinthum ingressi, sparso Evangelicæ doctrinæ semine nos instituerunt; et in Italiam simul profecti, cum vos similiter instituissent, eodem tempore martyrium pertulerunt. » (2)

4. IRENÆUS ***a.*** Adv. Hær. III. 1. « Matthæus in Hebræis ipsorum lingua Scripturam edidit Evangelii, cum Petrus et Paulus Romæ evangelizarent et fundarent Ecclesiam. » — ***b.*** *Ibid.* III. 3. « Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ et antiquissimæ, et omnibus cognitæ, a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romæ fundatæ et constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem, per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos qui quoquo modo, vel per sibi placentia, vel per vanam gloriam, vel per cæcitatem et malam sententiam, præter quam oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem [*al.* potiorem] principalitatem necesse est convenire omnem Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique, in qua semper ab his qui sunt undique conservata est ea quæ est ab apostolis traditio. Fundantes igitur et instruentes beati apostoli Ecclesiam, Lino episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt. » (3)

5. CLEMENS ALEXANDRINUS, *de quo Eusebius H. E.* VI. 14. « Sed et in iisdem libris [*hypotyposeon*] Clemens traditionem quamdam de ordine Evangeliorum, quam a vetustioribus presbyteris acceperat, refert in hunc modum. Dicebat ex Evangelio prius scripta esse illa

(1) P. G. t. XX. p. 171. (2) P. G. t. XX. p. 210. (3) P. G. t. VII. pp. 844, 848.

quæ seriem generis Dominici continent. Marci autem Evangelium ex hujusmodi occasione scriptum esse. Cum Petrus in urbe Roma verbum Dei publice prædicasset, et Spiritu Sancto afflatus Evangelium promulgasset, multi, qui aderant, Marcum adhortati sunt, utpote qui Petrum jamdudum sectatus fuisset et dicta ejus memoria teneret, ut quæ ab Apostolo prædicata erant conscriberet. Marcus igitur Evangelium composuit...... » (1)

Sec. III. in. 1. ORIGENES. — *Cujus testimonium refert Eusebius H. E.* III. 1. « Dum res Judæorum hoc in statu essent, Apostoli et discipuli Domini ac Servatoris nostri per universum orbem dispersi Evangelium prædicabant. Et Thomas quidem, ut a majoribus traditum accepimus, Parthiam sortitus est, Andreas vero Scythiam, Joanni Asia obvenit, qui plurimum temporis in ea commoratus, Ephesi tandem diem obiit. At Petrus per Pontum, Galatiam, Bithyniam, Cappadociam atque Asiam Judæis qui in dispersione erant prædicasse existimatur. Qui ad extremum Romam veniens, cruci suffixus est capite deorsum demisso : sic enim ut in cruce collocaretur oraverat. De Paulo jam quid attinet dicere, qui ab Hierosolymis usque ad Illyricum munus Evangelicæ prædicationis implevit, ac postremo Romæ sub Nerone martyrio perfunctus est ? Hæc Origenes in tertio volumine expositionum in Genesim disertis verbis commemorat. » (2)

2. TERTULLIANUS *a.* De Præscript. *cap.* 36. « Age jam, qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsident... Si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est. Ista quam felix Ecclesia! cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt; ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur..... » (3)

b. Scorpiac. *cap.* 15. « Orientem fidem Romæ primus Nero cruentavit. Tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruci adstringitur. » (4)

c. De Baptismo *cap.* 4. « Nec quidquam refert inter eos quos Joannes in Jordane, et quos Petrus in Tiberi tinxit. » (5)

(1) P. G. t. XX. p. 551.
(2) P. G. t. XX. p. 214.
(3) P. L. t. II. p. 49.
(4) P. L. t. II. p. 151.
(5) P. L. t. I. p. 1203.

3. *In* Carmine adversus Marcionem *Tertulliano perperam adscripto.*

« Hac cathedra, Petrus qua sederat ipse, locatum
Maxima Roma Linum primum considere jussit.....
Constabat pietate vigens Ecclesia Romæ
Composita a Petro, cujus successor et ipse
Jamque loco nono cathedram suscepit Hyginus. » (1)

4. Caius « quidam vir catholicus, qui Zephyrini Romanæ urbis Episcopi temporibus floruit, in eo libro quem scripsit adversus Proclum : Ego vero, inquit, Apostolorum tropæa possum ostendere. Nam sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi tropæa eorum qui Ecclesiam illam fundaverunt. » *Ita Eusebius H. E.* II. 25. (2)

5. *In* Libro adversus Artemonis hæresim *citato ap. Euseb. H. E.* V. 28. « Qui [Victor] tertius decimus a Petro Romanæ urbis Episcopus fuit. » (3)

6. Philosophoumenon VI. 20. « Verum vel usque ad Romam progressus [Simon magus] incidit in Apostolos : cui multum Petrus adversatus est præstigiis seducenti multos. » (4)

7. *In prima parte* Catalogi Liberiani. « Petrus ann. XXV mens. uno d. IX. Fuit temporibus Tiberii Cæsaris et Gai et Tiberi Claudi et Neronis, a cons. Minuci et Longini [p. Chr. 30] usque Nerine et Vero [55]. Passus autem cum Paulo die III kl. Julias cons. ss. imperante Nerone. » (5)

Sec. III. med. 1. Cyprianus *a.* Epist. 52 (*al.* 55) ad Antonianum *n.* 8. « Factus est.... Cornelius episcopus de Dei et Christi ejus judicio....; cum nemo ante se factus esset, cum Fabiani locus, id est, cum locus Petri et gradus cathedræ sacerdotalis vacaret. » (6)

b. Epist. 55 ad Cornelium R. P. *n.* 14. « Navigare audent [schismatici] et ad Petri cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et profanis litteras

(1) P. L. t. II. p. 1077.
(2) P. G. t. XX. p. 207.
(3) P. G. t. XX. p. 511.
(4) P. G. t. XVI. Part. III. p. 3225.
(5) Ex edit. Mommsen, *Ueber den Chronographen vom Jahre* 354, p. 634. — P. L. t. XIII. p. 417.
(6) P. L. t. III. p. 770.

ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum. » (1)

2. FIRMILIANUS *Cæsareæ in Cappadocia episcopus in* Epistola ad Cyprianum *(inter hujus Epist.* 75*), n.* 17. « Atque ego in hac parte juste indignor ad hanc tam apertam et manifestam Stephani [R. P.] stultitiam, quod qui sic de episcopatus sui loco gloriatur et se successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta Ecclesiæ collocata sunt, multas alias petras inducat et ecclesiarum multarum nova ædificia constituat, dum esse illic baptisma sua auctoritate defendit. » *Et paulo infra :* « Stephanus, qui per successionem cathedram Petri se habere prædicat. » (2)

(1) P. L. t. III. p. 818.

(2) P. L. t. III. p. 1169.

APPENDIX B.

DE CONTROVERSIA CIRCA CELEBRATIONEM PASCHATIS

(EXTR. SEC. II).

1. EUSEBIUS CÆSARIENSIS H. E. *l.* V.

« Cap. XXIII. De quæstione quæ tunc temporis agitata est super Pascha.

Iisdem temporibus gravis controversia exorta, eo quod omnes per Asiam ecclesiæ vetusta quadam traditione nixæ, quartadecima luna salutaris Paschæ festum diem celebrandum esse censebant, quo die præscriptum erat Judæis ut agnum immolarent : eaque omnino luna in quemcumque demum diem septimanæ incidisset, finem jejuniis imponendum esse statuebant : cum tamen reliquæ totius orbis ecclesiæ alio more uterentur, qui ex Apostolorum traditione profectus etiamnum servatur, ut scilicet non alio quam Resurrectionis Dominicæ die jejunia solvi liceat. Synodi ob id, cœtusque episcoporum convenere. Atque omnes uno consensu ecclesiasticam regulam universis fidelibus per epistolas tradiderunt : ne videlicet ullo alio quam Dominico die mysterium Resurrectionis Domini unquam celebretur : utque eo duntaxat die Paschalium jejuniorum terminum observemus. Exstat etiamnum epistola sacerdotum, qui tunc in Palæstina congregati sunt : quibus præsidebant Theophilus Cæsareæ Palæstinæ, et Narcissus Hierosolymorum episcopus. Alia etiam exstat epistola Synodi Romanæ, cui Victoris episcopi nomen præfixum est. Habentur præterea litteræ episcoporum Ponti, quibus Palma utpote antiquissimus præfuit. Epistola quoque ecclesiarum Galliæ exstat, quibus præerat Irenæus. Ecclesiarum quoque in Osdroenæ provincia et in urbibus regionis illius constitutarum litteræ visuntur. Seorsum vero Bacchylli Corinthiorum episcopi, aliorumque complurium epistolæ exstant. Qui omnes eamdem fidem eamdemque doctrinam proferentes, unam edidere sententiam. Et hæc quidem fuit, ut dixi, illorum definitio.

Cap. XXIV. De dissensione ecclesiarum Asiæ.

Episcopis vero Asiæ, qui morem sibi a majoribus traditum retinendum esse acriter contendebant, Polycrates præerat. Qui quidem in ea epistola quam ad Victorem et ad Romæ urbis ecclesiam scripsit, traditionem ad sua usque tempora propagatam exponit his verbis. Nos igitur verum ac genuinum agimus diem : nec addentes quidquam, nec detrahentes. Etenim in Asia magna quædam lumina exstincta sunt, quæ illo adventus Dominici die resurrectura sunt, cum Dominus e cœlo veniet plenus majestate et gloria, sanctosque omnes suscitabit. Philippus scilicet unus e duodecim Apostolis, qui mortuus est Hierapoli, et duæ ejus filiæ quæ virgines consenuerunt : alia quoque ejusdem filia, quæ Spiritu Sancto afflata vixit, et Ephesi requiescit. Præterea Joannes qui in sinu Domini recubuit : qui etiam sacerdos fuit et laminam gestavit : martyr denique et doctor exstitit. Hic, inquam, Joannes apud Ephesium extremum diem obiit. Polycarpus quoque qui apud Smyrnam episcopus et martyr fuit, itemque Thraseas Eumeniæ episcopus et martyr, qui Smyrnæ requiescit. Quid Sagarim episcopum eumdemque martyrem attinet dicere qui Laodiceæ est mortuus? Quid beatum Papirium, quid Melitonem Eunuchum, qui Spiritu Sancto afflatus cuncta gessit; qui et Sardibus situs est, adventum Domini de cœlis, in quo resurrecturus est, exspectans. Hi omnes diem Paschæ quartadecima luna juxta Evangelium observarunt : nihil omnino variantes, sed regulam fidei constanter sequentes. Ego quoque omnium vestrum minimus Polycrates, et traditione cognatorum meorum, quorum etiam nonnullos assectatus sum : fuerunt enim septem omnino ex cognatis meis episcopi, quibus ego octavus accessi. Qui quidem omnes semper Paschæ diem tunc celebrarunt, cum Judæorum populus fermentum abjiceret. Ego, inquam, fratres, quinque et sexaginta annos natus in Domino, qui cum fratribus toto orbe dispersis sermones sæpe contuli, qui scripturam sacram omnem perlegi, nihil moveor iis quæ nobis ad formidinem intentantur. Etenim ab illis qui me longe majores erant dictum scio : Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Posthac de episcopis qui simul aderant cum hæc scriberet, et eadem cum ipso sentiebant, sic loquitur. Possem etiam episcoporum qui mecum sunt, facere mentionem, quos petiistis ut convocarem, sicut et feci. Quorum nomina si adscripsero, ingens numerus videbitur. Ili cum me pusillum hominem invisissent, epistolam nostram assensu suo comprobarunt, gnari me canos istos non frustra gestare, sed vitam ex præceptis institutisque Jesu Christi semper egisse. His ita gestis, Victor quidem Romanæ urbis episcopus illico

omnes Asiæ vicinarumque provinciarum ecclesias tamquam contraria rectæ fidei sentientes, a communione abscindere conatur; datisque litteris universos qui illic erant fratres proscribit, et ab unitate ecclesiæ prorsus alienos esse pronuntiat. Verum hæc non omnibus placebant episcopis. Proinde Victorem ex adverso hortati sunt, ut ea potius sentire vellet quæ paci et unitati charitatique erga proximum congruebant. Exstant etiamnum eorum litteræ, quibus Victorem acerbius perstringunt. Ex quorum numero Irenæus in epistola quam scripsit nomine fratrum quibus præerat in Gallia, illud quidem defendit, solo die Dominico resurrectionis Domini mysterium esse celebrandum: Victorem tamen decenter admonet, ne integras Dei ecclesias morem sibi a majoribus traditum custodientes, a communione abscindat. Et post multa alia in eam sententiam dicta, his etiam utitur verbis. Neque enim de die solum controversia est, sed etiam de forma ipsa jejunii. Quidam enim existimant unico die sibi esse jejunandum: alii duobus, alii pluribus: nonnulli etiam quadraginta horis diurnis ac nocturnis computatis diem suum metiuntur. Atque hæc in observando jejunio varietas non nostra primum ætate nata est, sed longe antea apud majores nostros cœpit: qui negligentius ut verisimile est præsidentes, ex simplicitate et imperitia ortam consuetudinem posteris tradiderunt. Nihilominus tamen et omnes isti pacem inter se retinuerunt, et nos invicem retinemus. Ita jejuniorum diversitas consensionem fidei commendat. Narrationem deinde subjungit qnam hic opportune inseram. Est autem hujusmodi. Sed et Presbyteri illi qui ante Soterem, ecclesiam cui tu nunc præes gubernarunt: Anicetum dico et Pium et Hyginum cum Telesphoro et Xysto, neque ipsi unquam observarunt: neque his qui cum ipsis erant, ut id observarent permiserunt. Ipsi tamen cum hoc minime observarent, pacem nihilominus colebant cum iis qui ad se venissent ex ecclesiis in quibus id observabatur. Atqui observantia inter eos qui minime observabant, tanto magis contraria videbatur. Nec ulli unquam ob ejusmodi consuetudinem rejecti sunt. Verum illi ipsi qui te præcesserunt Presbyteri, quamvis id minime observarent, Ecclesiarum presbyteris qui id observabant, Eucharistiam transmiserunt. Et cum beatissimus Polycarpus Aniceti temporibus Romam venisset, atque inter illos de quibusdam aliis rebus modica esset controversia, statim mutuo pacis osculo se complexi sunt: de hoc capite non magnopere inter se contendentes. Neque enim Anicetus Polycarpo persuadere unquam poterat ut observare desineret, quippe qui cum Joanne Domini nostri discipulo, et cum reliquis apostolis quibuscum familiariter vixerat, eum morem perpetuo obser-

vasset. Neque item Polycarpus Aniceto persuadere conatus est ut observaret, cum Anicetus eorum qui ante se fuerant Presbyterorum morem sibi retinendum esse diceret. Quæ cum ita se haberent, communicarunt sibi invicem : et Anicetus in ecclesia consecrandi munus Polycarpo honoris causa concessit; tandemque cum pace a se invicem discesserunt : tam iis qui observabant, quam illis qui minime observabant, pacem communionemque totius ecclesiæ retinentibus. Ac Irenæus quidem nomini suo vere respondens, nec solo nomine sed etiam vitæ instituto ac proposito pacificus, pro ecclesiarum pace hæc monuit et allegavit. Nec vero ad Victorem solum, sed ad multos alios ecclesiarum antistites de quæstione proposita litteras in eamdem sententiam misit.

Cap. xxv. Quomodo cuncti in unam sententiam de die Paschæ convenerint.

Episcopi vero Palæstinæ quos paulo supra memoravimus, Narcissus scilicet et Theophilus, et cum illis Cassius Tyri et Clarus Ptolemaidis episcopi, et qui simul cum ipsis convenerant, postquam de traditione diei Paschalis quæ jam inde ab Apostolis ad ipsos continua successione manaverat, multa in suis litteris disseruerunt, tandem ad finem epistolæ his utuntur verbis. Date operam ut epistolæ nostræ exemplaria per omnes ecclesias mittantur, ne nobis crimen imputent qui animas suas a recto veritatis tramite facile abducunt. Illud etiam vobis significamus, eodem quo apud nos die Pascha Alexandriæ celebrari. A nobis enim ad illos, et vicissim ab illis ad nos litteræ perferuntur; ita ut uno consensu et simul sacrosanctum peragamus diem. » (1)

2. Melito Sardensis (*ap.* Eus. *H. E.* IV. 26). « Servilio Paulo Asiæ proconsule, quo tempore Sagaris martyrium perpessus est, magna controversia Laodiceæ excitata est de solemnitate Paschali, quæ tempestive in illos dies inciderat : quibus etiam diebus hæc [*de Paschate*] a nobis præscripta sunt. » (2)

3. Acta Synodi Palæstinæ *seu* Cæsariensis (*cca an.* 198). « Cum omnes Apostoli ex hoc mundo transissent, per universum orbem diversa erant jejunia. Nam omnes Galli unum diem anniversarium VIII. kal. April. Pascha celebrabant dicentes : Quid nobis est ad lunæ computum cum Judæis facere Pascha? Sed sicut Domini natalem, quocumque die venerit, VIII. kal. Januarii, ita et VIII. kalend.

(1) P. G. t. XX. p. 490. (2) P. G. t. XX. p. 394.

Aprilis, quando resurrectio traditur Christi, debemus Pascha tenere. Orientales vero, sicut historia Eusebii Cæsariensis narrat, quocumque die mense Martio quartadecima luna evenisset, Pascha celebrabant. In Italia autem alii plenos quadraginta dies jejunabant, alii triginta. Alii dicebant septem diebus, in quibus mundus concluditur, sibi sufficere jejunare. Alii quia Dominus quadraginta diebus jejunasset, illi horas quadraginta deberent. Cum hæc ergo talis diversa esset observatio, mæror erat sacerdotum, quod ubi erat una fides, dissonarent jejunia. Tunc papa Victor Romanæ urbis Episcopus direxit ut daret auctoritatem ad Theophilum Cæsariensem Palæstinæ provinciæ Episcopum, quia tunc non Hierosolyma metropolis videbatur, ut inde paschalis ordinatio proveniret, ubi Christus fuisset in corpore versatus. Accepta itaque auctoritate Theophilus Episcopus videns tantum sibi opus fuisse injunctum, quod in mundi observationem transmitteretur, non solum suæ patriæ, sed et de vicinis provinciis omnes Episcopos et sapientes viros ad Concilium evocavit. Cumque grandis illa multitudo sacerdotum vel sapientium virorum in omnibus scripturis spiritalibus erudita, in unum fuisset collecta, tunc protulit Theophilus Episcopus auctoritatem ad se directam Papæ Victoris, et quid sibi operis esset injunctum patefecit...... » (1)

4. ANATOLIUS ALEXANDRINUS *episc. Laodicenus* (*cca. an.* 276), Canon. Paschal. *n.* 10. « Sed illis nihil arduum fuit, quibus licitum erat omnibus, quando XIV luna post æquinoctium advenisset, Pascha celebrare. Quorum exemplum sequentes usque hodie omnes Asiæ episcopi (quippe qui et ipsi ab auctore irreprehensibili, Joanne scilicet evangelista et pectoris Domini incubatore, doctrinarum sine dubio spiritualium potatore, regulam susceperunt) indubitanter omnibus annis, quando XIV luna adfuisset, et agnus apud Judæos immolaretur, æquinoctio transvadato, Pascha celebrant : non acquiescentes auctoritati quorumdam, id est Petri et Pauli successorum, qui omnes ecclesias in quibus spiritalia Evangelii semina severunt, solemnitatem resurrectionis Domini in die tantum Dominica posse celebrari docuerunt. » (2)

5. FIRMILIANUS Epist. ad Cyprianum, *n.* 6. « Eos autem qui Romæ sunt non ea in omnibus observare quæ sint ab origine tradita ; et frustra Apostolorum auctoritatem prætendere scire quis etiam inde

(1) MANSI, *Conc.* t. I. p. 713. — Cfr. BEDA, *De æquin. vern.* (P. L. t. XC. p. 607).

(2) P. G. t. X. p. 217.

potest quod circa celebrandos dies Paschæ et circa multa alia divinæ rei Sacramenta videat esse apud illos antiquas diversitates, nèc observari illic omnia æqualiter quæ Hierosolymis observantur, secundum quod in cæteris quoque plurimis provinciis multa pro locorum et hominum diversitate variantur, nec tamen propter hoc ab Ecclesiæ Catholicæ pace atque unitate aliquando discessum est. » (1)

6. CONSTANTINUS IMP. *Epist. ad ecclesias de decretis Concilii Nicæni* (*ap.* EUS. *V. C.* III. 19). « Proinde cum hoc [disciplina circa celebrationem Paschatis] ita emendari oporteret, ut nihil nobis commune esset cum illorum Domini interfectorum et parricidarum consuetudine; cumque hic ordo decentissimus sit, quem omnes tam Occidentalium quam Meridianarum et Septentrionalium orbis partium Ecclesiæ, ac nonnullæ etiam Orientalium servant : idcirco id æquum rectumque esse omnes judicaverunt, quod et vobis placiturum esse spopondi, ut scilicet quod in urbe Roma perque omnem Italiam, Africam, Ægyptum; per Hispaniam, Gallias, Britannias, Libyas; per universam Achaiam; per Asianam et Ponticam diœcesim; per Ciliciam denique concordi sententia observatur, id vestra quoque prudentia libentibus animis amplectatur..... » (2)

7. ATHANASIUS *Epist.* de Synodis Arimini et Seleuciæ celebratis, *n.* 5. « Siquidem Nicæna Synodus non temere, sed ex urgente necessitate et ex legitima causa coacta est; nam Syriæ, Ciliciæ et Mesopotamiæ populi, circa festi celebrationem claudicantes, cum Judæis Pascha celebrabant. Ariana quoque hæresis adversus catholicam Ecclesiam insurrexerat.... Quæ causa fuit œcumenicæ congregandæ Synodi, ut ubique una festi dies celebraretur, et hæresis, quæ pullularat, anathemate damnaretur. Quod et factum est. » (3) *Eadem paulo brevius habentur in Athanasii epistola ad Afros episcopos, n.* 2. (4)

8. EUSEBIUS Chronic. *lib.* II. *ad an.* 3. *Severi.* « Quæstione orta in Asia inter Episcopos, an secundum legem Moysi quarto decimo die mensis pascha observandum esset, Victor Romanæ urbis episcopus et Narcissus Hierosolymorum, Polycrates quoque Ephesiorum, et Irenæus Lugdunensis, et Bacchylus Corinthiorum, plurimique ecclesia-

(1) P. L. t. III. p. 1159.
(2) P. G. t. XX. p. 1078.
(3) P. G. t. XXVI. p. 687.
(4) P. G. t. XXVI. p. 1031.

rum pastores, quid eis probabile visum fuerit, litteris ediderunt: quarum memoria ad nos usque perdurat. » (1)

9. HIERONYMUS *in* Chronico *ad an.* 198. « Quæstione orta in Asia inter Episcopos, an secundum legem Mosi, XIV mensis Pascha observandum esset, Victor Romanæ urbis Episcopus, et Narcissus Jerosolymarum, Polycrates quoque, et Irenæus, et Bacchylus, plurimique ecclesiarum pastores, quid eis probabile visum fuerat, litteris ediderunt, quarum memoria ad nos usque perdurat. » (2)

10. ID. De Viris illustribus *cap.* 35. « Feruntur ejus [Irenæi] et aliæ ad Victorem, episcopum Romanum, de quæstione Paschæ epistolæ : in quibus commonet eum, non facile debere unitatem collegii scindere. Siquidem Victor multos Asiæ et Orientis episcopos, qui decima quarta luna cum Judæis Pascha celebrabant, damnandos crediderat. In qua sententia hi qui discrepabant ab illis Victori non dederunt manus. » (3)

11. EPIPHANIUS Hær. 70. *cap.* 9. « Habent vero [Audiani] et alia complura, quibus potissimum nituntur, seque ab Ecclesiæ conjunctione segregarunt, quibus et alios plerumque conturbatos ab eadem Ecclesia divellunt utriusque sexus homines. Nam cum Judæis Pascha celebrare volunt, hoc est, quo tempore Judæi Azyma sua peragunt, tunc illi Paschatis celebritatem obeunt, ut ab Ecclesia dissentire videantur. Quod videlicet olim hæc in Ecclesia consuetudo recepta fuerit..... Jampridem enim, et a primis usque temporibus, variæ in Ecclesia de hac solemnitate controversiæ ac dissensiones exstiterunt, quæ quotannis risum ac ludibrium afferebant. Nam alii quodam contentionis ardore ante hebdomadem, alii post hebdomadem inibant, alii antevertebant, alii medio tempore, alii postremo peragebant. Et, ut uno verbo dicam, mirifica quædam erat et laboriosa perturbatio. Nec illud eruditis hominibus ignotum est, quam sæpe diversis temporibus de illius festi celebritate varii ecclesiasticæ disciplinæ tumultus ac contentiones obortæ sint, præsertim Polycarpi [Polycratis?] et Victoris ætate, cum Orientales ab Occidentalibus divulsi pacificas a se invicem litteras nullas acciperent. Quod idem et aliis temporibus accidit, velut Alexandri

(1) P. G. t. XIX. p. 567.
(2) P. L. t. XXVII. p. 635.
(3) P. L. t. XXIII. p. 649.

episcopi Alexandrini et Crescentii : quemadmodum contra se mutuo scripserint, et acerrime pugnaverint. Quæ quidem animorum opinionumque distractio, ex quo semel post episcopos illos, qui ex circumcisione ac Judæorum secta ad Christum sese converterant, agitari cœpit, ad nostra usque tempora eodem est tenore perducta. Quamobrem qui tum ad Nicænam synodum undique confluxerant, re accurate cognita, communi ab omnibus concordia atque ex idonea temporum computatione et calculo, celebrandum esse statuerunt. » (1)

12. SOCRATES Hist. Eccl. V. 22. « Cæterum quod nobis in mentem venit de paschali festo, id hoc loco paucis exponere opportunum puto. Nec veteres, nec recentiores qui Judæorum morem sequi studuerunt, idoneam mihi videntur habuisse causam cur de hoc festo tantopere contenderent. Neque enim illud animo perpenderunt, postquam Judaica religio in Christianum cultum commutata est, accuratam illam Mosaicæ legis observantiam et rerum futurarum figuras penitus desiisse. Idque certissimo argumento ita demonstrari potest. Etenim nulla lege Christi concessum est Christianis ut Judæorum ritus observent. Imo Apostolus hoc diserte vetuit, non modo circumcisionem rejiciens, verum etiam admonens ne de festis diebus inter se contenderent.... Apostolus et Evangelistæ nusquam servitutis jugum illis imposuerunt qui ad prædicationem fidei accessissent : sed Paschæ diem, aliosque festos dies, arbitrio æquitatique eorum qui beneficia illis diebus acceperant, colendos reliquerunt. Proinde, quoniam homines festos dies amant, propterea quod laborum remissionem ipsis afferunt, singuli locatim, prout cuique libitum fuit, salutaris passionis memoriam ex quadam consuetudine celebrarunt. Nam nec Servator nec Apostoli id observandum esse nobis lege aliqua præscripserunt : neque multam aut supplicium aut imprecationem Evangelia nobis aut Apostoli sunt comminati, quemadmodum Mosaica lex facere consuevit. Verum historiæ dumtaxat causa, ad opprobrium Judæorum, eo quod diebus festis cædes patrare soliti essent, relatum est in Evangeliis, Servatorum passum fuisse diebus azymorum. Quippe propositum adfuit Apostolis, non ut de diebus festis leges ferrent, sed ut rationem recte vivendi veramque pietatem ostenderent. Ac mihi quidem videtur, ut alia multa variis in locis usu quodam invaluerunt, sic etiam paschale festum apud singulos ex inolita quadam consuetudine peculiarem ob-

(1) P. G. t. XLII. p. 354.

servationem habuisse, propterea quod nullus ex Apostolis, ut dixi, de illo festo quidquam lege sancivit. Quod vero jam inde a priscis temporibus ex usu potius quam ex lege observatio ista profluxerit, res ipsæ declarant. Etenim in Asia minore plurimi antiquitus quartum decimum diem observarunt, neglecto Sabbati die. Quod dum facerent, nunquam tamen ab aliis qui alio modo Pascha celebrabant, sese abjunxerunt: donec Victor Romanæ urbis episcopus immodico iracundiæ succensus æstu, Quartodecimanis qui in Asia erant, excommunicationis libellum misit. Quo facto, Irenæus, Lugduni Galliarum urbis episcopus, Victorem per epistolam graviter perstrinxit: acriorem ejus impetum reprehendens, simulque ostendens vetustiores qui diverso inter se more festum Paschæ celebrabant, a mutuo communione nequaquam separatos fuisse. Et Polycarpum episcopum Smyrnæ, qui postea Gordiano imperium obtinente martyrium perpessus est, cum Aniceto episcopo Romano communicasse, nullatenus ab eo dissidentem hujus festivitatis causa, quamvis ipse juxta patrium morem Smyrnensis Ecclesiæ, quartodecimo die Pascha celebraret, ut in quinto Ecclesiasticæ Historiæ tradit Eusebius. Quidam vero in Orientis partibus Sabbato quidem id festum agebant, sed in mense discrepabant. Nam illi quidem Judæos, licet exactam regulam non servarent, in hac festivitate sequendos esse dicebant. Hi vero post æquinoctium Pascha celebrabant, simul cum Judæis id festum agere respuentes. Quippe affirmant sole in Ariete constituto id festum perpetuo celebrari oportere, mense quem Xanthicum Antiochenses, Aprilem Romani vocant. Atque in eo sequi se, non recentiores Judæos, qui ubique fere hallucinantur, sed vetustiores et Josephum. Sic enim ille in tertio Judaicarum Antiquitatum libro scriptum reliquit. Et isti quidem hoc modo inter se dissentiebant; reliqui autem omnes ad Occidentis partes et ipsum usque Oceanum, post æquinoctium ex antiqua quadam traditione Pascha celebrasse deprehenduntur. Hi enim omnes, ad hunc modum Pascha peragentes, nunquam inter se dissenserunt. Neque enim, ut quidam calumniati sunt, concilium Constantini temporibus habitum festivitatem istam commutavit. Etenim Constantinus ipse ad eos scribens qui in hujus festi celebratione inter se dissidebant, hortatur ut, cum ipsi pauciores sint, alios sequantur qui sunt numero plures. Et ipsam quidem imperatoris epistolam in tertio Eusebii libro de Vita Constantini integram reperies.... Cæterum Quartodecimani observantiam quartidecimi diei a Joanne Apostolo sibi traditam esse affirmant. Romani vero, et qui Occidentis partes incolunt, consuetudinem quæ apud ipsos viget, a Paulo Petroque Apostolis accepisse se dicunt. Neutri tamen

ad hujus rei confirmationem scriptum aliquod testimonium proferre possunt. » (1)

13. SOZOMENUS Hist. Eccl. VII. 19. « Et hæ quidem fuerunt in hujus festi [Paschatis] observatione discrepantiæ. Porro exortam olim hac de re controversiam sapientissime dissolvisse mihi videtur Victor, tunc temporis Romanorum episcopus, et Polycarpus Smyrnæus. Nam quoniam Occidentales episcopi traditionem Pauli ac Petri abrogandam non esse censebant; Asiani vero Joannem evangelistam sequi se velle affirmabant, ex communi consilio placuit, ut singuli festum prout consueverant celebrantes, a mutua inter se communione nequaquam discederent. Stultum enim, nec immerito, existimabant, consuetudinum causa ab se invicem separari eos, qui in præcipuis religionis capitibus consentirent. » (2)

(1) P. G. t. LXVII. p. 625.

(2) P. G. t. LXVII. p. 1474.

APPENDIX C.

ENUNTIATA AB AUCTORE PHILOSOPHOUMENON CIRCA SE IPSUM.

Ex lib. I. *Procem.* « .... Nullum commentum eorum qui apud Græcos philosophi appellati sunt spernendum est. Certæ enim vel absonæ eorum opiniones ducendæ sunt propter exsuperantem hæreticorum vesaniam, qui propter silentium et quia abscondunt arcana mysteria crediti sunt multis Deum colere. Quorum jam olim strictim placita exposuimus, non subtiliter explanantes, sed summatim perstringentes, non digna arbitrati eorum arcana quæ in lucem proferrentur.... Sed cum videam non revereri illos nostram modestiam,... coactus progredior, ostensurus arcana eorum mysteria.... Hæc autem alius non refutabit nisi qui in Ecclesia traditur Spiritus Sanctus, quem priores nacti Apostoli impertiverunt rectam fidem professis, quorum nos qui successores sumus et ejusdem gratiæ participes et summi sacerdotii et magisterii et custodes Ecclesiæ æstimati (*ὧν ἡμεῖς διάδοχοι τυγχάνοντες τῆς τε αὐτῆς χάριτος μετέχοντες ἀρχιερατείας τε καὶ διδασκαλίας καὶ φρουροὶ τῆς Ἐκκλησίας λελογισμένοι*) non oculo connivemus neque rectam doctrinam silemus; sed ne omni quidem animo atque corpore laborantes deficimus digna digne Deo benefico nostro reddere conati, et ne sic quidem pro merito remunerantes, nisi quod in eis quæ nobis concredita sunt non deficiamus, sed nostræ opportunitatis modum impleamus, et quidquid præbebit Sanctus Spiritus cum omnibus citra invidiam communicemus. » (1)

Ex lib. IX. *n.* 7. « Extitit vir quidam, cui nomen Noeto, genere Smyrnæus. Hic introduxit hæresin ex Heracliti placitis; cujus minister et discipulus fit Epigonus quidam vocatus, qui Romæ degens superseminabat impiam illam sententiam. Cujus discipulus factus Cleomenes, et vita et moribus alienus ab Ecclesia, corroborabat doctrinam, Zephyrino illa ætate se administrare arbitrante Ecclesiam, viro in-

(1) P. G. t. XVI. Part. III. p. 3018.

docto et turpis lucri cupido, qui lucro oblato persuasus indulgebat adeuntibus ut Cleomenis discipuli flerent, et ipse allectus postmodum in eadem ruebat, dum ei consultor et adjutor malorum erat Callistus, cujus vitam et adinventam hæresin paulo post exponam. Horum secundum successionem permansit schola corroborans se et accrescens, propterea quod eis auxiliabantur Zephyrinus et Callistus, quamquam nos nunquam morem eis gessimus, sed creberrime obstitimus eis eosque coarguimus et invitos coegimus veritatem confiteri : qui ad tempus quidem pudentes et a veritate coacti confitebantur, paulo post autem ad idem cœnum revolvebantur. » (1)

Ibid. n. 13. « Hujus viri [Callisti] doctrina per totum mundum divulgata, vir quidam astutus et pravitatis plenus, cui nomen Alcibiadis, habitans Apameæ Syriæ, postquam machinationem vidit, acriorem semet et ingeniosiorem ad fraudulentias quam Callistum ratus, prodiit Romæ ferens librum, dictitans hunc ex oppido Seris Parthiæ accepisse virum quemdam justum Elchasai, quem tradiderit cuidam, cui nomen Sobiai, suggestum ab angelo.... Esse autem cum eo [angelo] et femineam.... et masculum esse Filium Dei, femineam autem Spiritum Sanctum appellari.... Hos autem dolos nectere conatus est, occasionem nactus a schola antea dicta, cui præfuit Callistus... Et nos vero, qui huic restitimus, non sivimus diutius seduci multos, cum coargueremus esse hoc spiritus spurii efficaciam commentumque cordis inflati, istumque instar lupi excitatum esse adversus oves errantes multas, quas seducendo dispersit Callistus. » (2)

Ex lib. X. *n.* 30. « ....[Abraham] ... commigrat in... Palæstinam... de qua... rationem haud negligenter reddidimus in aliis libris.... Erant autem hæ [ex Patriarchis ortæ] 72 gentes, quarum etiam nomina exposuimus in aliis libris, ne hoc quidem prætermittentes suo loco, cupientes... demonstrare.... indubitatam cognitionem quam cum laboribus nobis paravimus circa veritatem.... [Noe] effugit diluvium... in arca servatus, cujus et mensuræ et reliquiæ, sicuti exposuimus, adhuc usque monstrantur in montibus Ararat vocatis, qui sunt Adiabenorum regionem versus. » (3)

Ibid. n. 32. « .... Qui si discendi cupidi erunt et horum substantias causasque universalis fabricæ anquirent, cognoscent lecturi nostrum librum qui scriptus est De universi substantia (Περὶ τῆς τοῦ παντὸς οὐσίας). » (4)

(1) Ibid. p. 3369.
(2) Ibid. p. 3388.
(3) Ibid. p. 3441.
(4) Ibid. p. 3448.

APPENDIX D.

TESTIMONIA VETERUM DE HIPPOLYTO.

I. E scriptoribus historicis.

1. EUSEBIUS CÆSARIENSIS (*claruit in. sec. IV*) H. E. VI. 20. « Eadem tempestate multi ecclesiastici viri doctrina excellentes florebant... Inter hos fuit Beryllus Bostrenorum in Arabia episcopus... Similiter et Hippolytus, alterius cujusdam Ecclesiæ episcopus. » (1)

2. ID. *Ibid.* 22. « Eodem tempore et Hippolytus inter plurima alia ingenii sui monumenta librum de Pascha composuit : in quo temporum seriem describens, et canonem quemdam paschalem per sexdecim annorum circulum exhibens, anno primo Imperatoris Alexandri computationem temporum circumscribit. Ex reliquis autem illius scriptis hæc sunt quæ ad notitiam nostram pervenerunt : In opus sex dierum : In ea quæ post sex dies consecuta sunt : Adversus Marcionem : In Canticum Canticorum. In capita quædam Ezechielis : De Pascha : Adversus omnes hæreses. Sed et alia plurima apud alios asservata licet reperire. » (2)

3. HIERONYMUS (*an.* 340-420) *in* Chronico *ad an. Chr.* 230. « Geminianus presbyter Antiochenus et Hippolytus et Beryllus Episcopus Arabiæ Bostrenus clari scriptores habentur. » (3)

4. ID. De viris illustr. *cap.* 61. « Hippolytus cujusdam Ecclesiæ episcopus (nomen quippe urbis scire non potui) rationem Paschæ temporumque canones scripsit usque ad primum annum Alexandri Imperatoris, et sexdecim annorum circulum, quem Græci ἑκκαιδεκαετηρίδα vocant, reperit; et Eusebio qui super eodem Pascha canonem, decem et novem annorum circulum, id est ἐννεακαιδεκαετηρίδα,

(1) P. G. t. XX. p. 571.

(2) Ibid. p. 574.

(3) P. L. t. XXVII. p. 641.

composuit, occasionem dedit. Scripsit nonnullos in Scripturas commentarios, e quibus hos reperi : in ἑξαήμερον, et in Exodum, in Canticum Canticorum, in Genesim, et in Zachariam, de Psalmis, et in Esaiam, de Daniele, de Apocalypsi, de Proverbiis, de Ecclesiaste, de Saul et Pythonissa, de Antichristo, de Resurrectione, contra Marcionem, de Pascha, adversus omnes hæreses, et Προσομιλίαν de laude Domini Salvatoris, in qua præsente Origene se loqui in ecclesia significat. In hujus emulationem Ambrosius, quem de Marcionis hæresi ad veram fidem correctum diximus, exhortatus est Origenem in Scripturas commentarios scribere, præbens ei septem et eo amplius notarios eorumque expensas, et librariorum parem numerum; quodque his majus est, incredibili studio quotidie ab eo opus exigens. Unde in quadam epistola ἐργοδιώκτην eum Origenes vocat. » (1)

5. Georgius Syncellus (*clar. extr. sec. VIII*) *in* Chronographia, *ad an.* 215. « Hippolytus sacer philosophus, Portus Romani episcopus, Christiana philosophia præstans, pluribus juvandæ hominum saluti conscriptis libris celebratur. Editis quippe in sex dierum opus, et in ea quæ priores sex dies illos consecuta sunt, et in præcipuorum prophetarum, Ezechielis maxime et Danielis, vaticinia, necnon in Cantica et veteres passim novasque Scripturas, commentariis, speciatim in Joannis Theologi in Patmo Revelationem, in Marcionem et reliquas hæreses, et annorum sexdecim Paschalem regulam ad annum primum Alexandri Mammææ fixo termino exposuit : et ut verbo concludam, vivis divinorum eloquiorum fluentis Ecclesiam irrigans, tandem martyrii corona redimitus est. Ex ejus scriptis occasione sumpta infelix Origenes libros sacræ Scripturæ quamplures (hortatore et sumptus necessarios... largiter subministrante Ambrosio) suis lucubrationibus illustravit. » (2)

6. Nicephorus CPanus (*clar. in. sec. IX*) *in* Chronographia. « Sub hujus [Alexandri Severi] imperio... Hippolytus Romanus scriptor florebat. » (3)

(1) P. L. t. XXIII. p. 671.

(2) *Script. Hist. Byz.* t. XIV. p. 674.

(3) P. G. t. C. p. 1014. — Monitum lectorem velim, me in hoc testimonio et subinde in aliis quibusdam in hac Appendice citandis ex scriptoribus græcis, non ad verbum adhibuisse versionem latinam quæ reperitur apud Migne, sed eam potius quæ textui græco pressius quoad verba inhæreat, quamvis sensu non discrepet.

7. Ado Viennensis (*clar. post med. sec. IX*) *in* Chronico *ad an.* 220. « Hippolytus episcopus, multorum conditor opusculorum, temporum canonem conscripsit et hucusque perduxit. » (1)

8. Photius (*clar. extr. sec. IX*) Biblioth. *Cod.* 121. « Lectus est Hippolyti libellus, qui Irenæi discipulus fuit. Est hoc volumen adversus hæreses duas et triginta, faciens initium a Dositheanis, et in Noeto ac Noetianis desinens. Harum ait confutationem se suscepisse ex sermonibus Irenæi, quorum compendium hoc se libro complexum refert. Dictio perspicua et nonnihil gravis, nec abundans, licet atticismi rationes non adeo curet. Habet etiam tum alia minus accurata, tum quod Paulum epistolæ ad Hebræos auctorem esse negat. Dicitur et homilias ad populum habuisse Origenis imitatione, cujus et familiaris maxime et studiorum amator exstitit; ita ut et ad sacras litteras commentariis illustrandas eum provocaverit, et septem ipsi tachygraphos totidemque calligraphos constituerit et sumptuum etiam qui ad hos requirerentur fuerit elargitor. Hæcque cum ipsi præberet, sine dilatione opus ursit; unde et impulsorem eum suum aliqua in epistola sua Origenes appellat. Sed et ipse plurima scripsisse traditur. » (2)

9. Id. *Ibid. Cod.* 202. « Lecta est Hippolyti episcopi ac martyris interpretatio Danielis, quem etsi ad verbum non explicat, sententiam tamen, ut ita dicam, non prætercurrit. Multa porro veteri more, non ut postea fuere accuratius excussa, persequitur... Genus ejus dicendi clarum in primis ac perspicuum interpretationique congruens, quamquam atticas leges valde repudiat. » — « Lectus ejusdem simul et alius liber de Christo et Antichristo, in quo eadem dicendi forma servata et sensuum simplicitas ac vetustas. » (3)

10. Zonaras (*clar. ante med. sec. XII*) Annal. *lib.* II. « Sub Urbano Romano Episcopo, etiam Hippolytus, vir sanctissimus et doctissimus, Romani portus Episcopus, floruit, qui in multa sacræ Scripturæ loca commentarios conscripsit. » (4)

11. Nicephorus Callisti (*clar. sec. XIV*) H. E. IV. 31. « Temporibus Severi Hippolytus etiam, Portus Romani Episcopus, floruit : qui cum alia plurima scripta prudenter et docte edidit, tum de Paschate librum composuit; in quo descriptione temporum et veluti

(1) P. L. t. CXXIII. p. 86.
(2) P. G. t. CIII. p. 402.
(3) P. G. t. CIII. p. 673.
(4) *Script. Hist. Byz.* t. XXVIII. p. 575.

fastorum initio et canone annorum sexdecim de Paschate proposito, rationem temporum usque ad primum annum Alexandri deducit. Catalogus librorum ejus sic habet : Liber in hexaemeron et alter de eis quæ post hexaemeron; refutatorius contra Marcionem; in Canticum Canticorum; in partes Ezechielis; de Paschate; opus contra hæreses omnes, longe utilissimum; de adventu Antichristi, de resurrectione et alia plurima; in Zachariam, de Psalmis, in Esaiam, in Danielem, de Apocalypsi, de Proverbiis, de Saul et Pythone, de laudibus Domini nostri Jesu Christi, in quibus præsente Origene sermonem habuit. Quædam porro scripta ejus cum reprehensione non careant, martyrio postea pro Christi nomine absoluto ignorantiæ ejus maculam detrivit atque detersit. Unde Origenem aiunt initium commentariorum in sacras Scripturas scribendorum sumpsisse. »

12. *His adjungi possunt* ANATOLIUS (*clar. circa an.* 275) *in Præf. ad* Canonem Paschalem : « Hippolytus XVI annorum circulum ignotis lunæ cursibus confecit. » (1) — *Et* ISIDORUS HISPALENSIS (*clar. in. sec. VII*) Etymol. VI. 17 : « Paschalem cyclum Hippolytus Episcopus temporibus Alexandri Imperatoris primus conscripsit. » (2)

II. Ex scriptis dogmaticis et aliis Græcorum et Latinorum, ubi Hippolytus obiter citatur.

1. APOLLINARIS (*clar. circa an.* 365). « Eusebius Pamphili et Hippolytus sanctissimus Episcopus Romæ comparaverunt Nabuchodonosor somnium prophetæ Danielis visioni. » (3)

2. EPIPHANIUS CONSTANTIENSIS (*ob. an.* 403) Hær. 31. *n.* 33. *memorat Hippolytum egregie dogmata Valentinianorum refutasse.* (4)

3. HIERONYMUS Epist. 70 (*al.* 84) ad Magnum, *n.* 4. « Scripsit et Miltiades contra gentes volumen egregium. Hippolytus quoque et Apollonius Romanæ urbis senator [*al.* senatores] propria opuscula condiderunt. » (5)

(1) Cit. P. G. t. X. p. 209.
(2) P. L. t. LXXXII. p. 245.
(3) Cit. P. G. t. X. p. 674.
(4) P. G. t. XLI. p. 539.
(5) P. L. t. XXII. p. 667.

4. Chronicon Paschale *init.* « Hippolytus igitur pietatis martyr, Portus juxta Romam episcopus, in libro quem adversus omnes hæreses confecit, hæc ita verbo tenus scripsit : Video equidem in quo vis contentionis præcipue consistat. Sic enim ait : Fecit Pascha Christus hac die et passus est : ideo necesse est ut eodem modo faciam et ego, quo fecit Dominus. Verum fallitur, cum non advertat, illo quo passus est tempore non manducasse Christum legale pascha. Erat enim ipse pascha quod pronuntiatum fuerat, atque die statuta completum fuit. » (1)

5. THEODORETUS (*ob. an.* 457) Hær. Fab. I. 25. *memorat Hippolytum, præter alios, optime et doctissime confutasse hæresim Marcionis.* (2)

6. ID. *Ibid.* III. 1. « Contra hos [Nicolaitas] scripsit.... Clemens, et Irenæus, et Origenes, et Hippolytus Episcopus et martyr. » (3)

7. *Episcopum et martyrem eum vocat etiam in tribus Dialogis qui inscripti sunt* Immutabilis, Inconfusus, Impatibilis, *quædam ex ejus operibus citans.* (4) — *Ita etiam* Concilium Lateranense (*an.* 649) *secretar. V.* (5)

8. PALLADIUS (*extr. sec. IV vel in. V*) Histor. Lausiac. *cap.* 148. « In alio libro antiquissimo, cui erat inscriptum nomen Hippolyti, qui fuit familiaris Apostolorum.... » (6)

9. GELASIUS I. *Rom. Pont. vel* GELASIUS CYZICENUS (*uterque clar. sec. V extr.*) *in Opusc.* de duabus in Christo naturis, *recensens testimonia veterum.* « Hippolyti Episcopi et Martyris Arabum Metropolis in Memoria Hæresum. » (7)

10. CYRILLUS SCYTHOPOLITANUS (*clar. med. sec. VI*) *in* vita S. Euthymii, *n.* 109 « Secundum descripta tempora a sanctis Patribus Hippolyto antiquo et Apostolorum familiari...... » (8)

11. ANASTASIUS SYNAITA (*clar. extr. sec. VI*) Hodegos (*seu* Viæ dux) *cap.* 23. « Hippolyti episcopi Romani ex sermone..... » (9)

(1) P. G. t. XCII. p. 79.
(2) P. G. t. LXXXIII. p. 378.
(3) Ibid. p. 402.
(4) Ibid. pp. 82, 86, 171, 283.
(5) MANSI, *Conc.* t. X. p. 1087.
(6) P. G. t. XXXIV. p. 1253.
(7) *Bibl. PP. Paris.* t. IV. p. 424.
(8) COTELER. *Eccl. Gr. Mon.* t. II. p. 293.
(9) P. G. t. LXXXIX. p. 302.

12. LEONTIUS BYZANTINUS (*clar. extr. sec. VI*) De sectis *Act.* 3. « Temporibus illis... hi doctores et Patres exstiterunt. Ignatius ille Theophorus, Irenæus, Clemens et Hippolytus Episcopus Romæ.... » (1)

13. EUSTRATIUS CPANUS (*clar. sec. VI med. vel extr.*). « Ait ergo Hippolytus martyr et episcopus Romæ.... » (2)

14. ANASTASIUS *Rom. Ecclesiæ* APOCRISIARIUS (*clar. sec. VII*) Epist. ad Theodosium *presbyterum Gangrensem.* « Præterea misi ad præsens.... notulam habentem testimonia ex dictis S. Hippolyti Episcopi Portus Romani ac martyris Christi..... S. Hippolyti Episcopi Portus, id est portus Romani et martyris veritatis. » (3)

15. GERMANUS CPANUS (*clar. in. sec. VIII*) *in* Mystica Theoria. « Id et Hippolytus e Roma et sanctus Cyrillus dicunt. » (4)

16. JOANNES DAMASCENUS (*clar. med. sec. VIII*) *in* Sacr. Parall. « Hippolyti episcopi Romæ de Christo et Antichristo. » (5)

17. GEORGIUS SYNCELLUS (*clar. extr. sec. VIII*) *ad an.* 5499. « Hæc non proprio marte collegimus, sed ex beati apostoli et archiepiscopi Romani sanctique martyris Hippolyti... monumentis. » (6)

18. STEPHANUS GOBARUS (*ap.* PHOTIUM Bibl. *Cod.* 232). « Hippolytus et Irenæus Epistolam Pauli ad Hebræos dicunt non esse illius. — Quid senserit B. Hippolytus de Montanistis. » (7)

19. PHOTIUS (*clar. extr. sec. IX*) De S. Spiritus mystagogia, *n.* 75. « Cum quibus et Patres Occidentales præterimus, Irenæum.... et Hippolytum ipsius discipulum et inter pontifices martyrem, viros mirandos quidem in plurimis, interdum tamen ab exactissima veritatis norma alicubi deflectentes. » (8)

20. ŒCUMENIUS (*clar. sec. X*) *Proœm.* in Apocal. « Hippolyto Romæ præsuli in expositione in Danielem. » (9)

21. LEONTIUS ET JOANNES (*ætat. incert.*) Rer. sacr. II. « Ex Sancti Hippolyti Romæ commentario in Genesim. » (10)

(1) P. G. t. LXXXVI. p. 1214.
(2) Cit. P. G. t. X. p. 866.
(3) Cit. ibid. p. 468. — Cfr. p. 829.
(4) P. G. t. XCVIII. p. 418.
(5) P. G. t. XCVI. p. 526.
(6) *Script. Hist. Byz.* t. XIV. p. 597.
(7) P. G. t. CIII. pp. 1103, 1106.
(8) P. G. t. CII. p. 355.
(9) MONTFAUCON, *Bibl. Coislin.* p. 278.
(10) MAI, *Script. Vet.* t. VII. p. 84. — P. G. t. X. p. 605.

III. E scriptoribus et monumentis ecclesiasticis Ecclesiarum hæreticarum Orientalium.

1. Constitutiones Apostolorum *apud Syros (in vetustissimis codicibus ante sec. VIII exaratis et asservatis in bibliotheca Vaticana) inscriptæ sunt* « Constitutiones Apostolorum per Hippolytum. » (1)

2. Canones Ecclesiæ Alexandrinæ HIPPOLYTO *tributi* (2) *hanc habent inscriptionem :* « In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Isti sunt Canones Ecclesiæ, mandata quæ scripsit Abulides, per quem loquitur [Ecclesia] et numerus eorum XXXVIII Canones. » *Clausulam vero :* « Expliciunt Canones S. Patriarchæ Abulidis primi Patriarchæ Urbis magnæ Romæ, quos composuit, et numerus eorum XXXVIII Canonum.... » *Notandus speciatim est* « Canon primus. De Fide catholica. Ante omnia loquamur de fide sancta, recta in Dominum nostrum Jesum Christum, Filium Dei vivi, et posuimus eum [Canonem] in fide [symbolo], et nos consentimus omni certitudine rationabili, quod Trinitas æqualis perfecte sit in honore, æqualis in gloria, nec habeat initium nec finem. Verbum Filius Dei et ipse est creator omnis creaturæ visibilium et invisibilium. Hoc constituimus consentientes adversus qui audacter locuti sunt, quod non oporteat de Verbo Dei [loqui] sicuti locutus est Dominus noster Jesus Christus. Congregati sumus potissimum ad proferendum sancte de Deo, et illos separavimus, quia non concordant cum Ecclesia in theologia, neque nobiscum filiis Scripturarum. Propterea segregavimus eos ab Ecclesia, et negotium eorum reliquimus Deo, qui creaturas cum justitia judicabit. Illis autem qui hos ignorant notum facimus hoc sine invidia, ne malam incurrant mortem, tamquam hæretici, sed promereantur vitam æternam, et doceant filios suos et posteros suos hanc unicam fidem. »

3. Codex Conciliorum et Canonum Æthiopicus *eadem*

(1) SIM. DE MAGISTRIS, *Acta Martyrum ad Ostia Tiberina* (Rom. 1795. fol.), p. 136. — Cfr. MAI, *Script. Vet.* t. V. Part. II. p. 37.

(2) Horum canonum textum arabicum edidit Simon de Magistris in appendice operis mox citati, adjecta versione latina. Quam versionem exhibet Migne P. G. t. X. p. 959.

Canonum capita continet (1), *præmisso hoc titulo :* « Canones Abulidis Doctoris Papæ Romani XXXVIII. » (2)

4. Liber vitæ (seu Diptycha) Jacobitarum *Aleppensium inter* « Sanctos Patres et orthodoxos Doctores, » *sequentes* « Romanos Episcopos » *recenset :* Linum, Anacletum, Clementem, Hippolytum et Julium. (3)

5. JOANNES DARENSIS *in Armenia episcopus* (4). « Quod quidem et Canones Apostolorum, qui per Hippolytum, præcipiunt. » (5)

6. JOANNES ANTIOCHENUS *in Epist. Synodica ad Mennam Alexandrinum scripta an.* 968. « S. Hippolytus Romanus Episcopus in Tractatu adversus eos qui impugnant incarnationem Verbi Dei.... » (6)

7. SANUTUS *episcopus Misræ, in oratione adversus Phantastacos, ad Alexandrinos habita an.* 1102, *laudat sanctos Patres Gregorium Thaumaturgum, Nazianzenum, Joannem Chrysostomum, Epiphanium Cypri,* Hippolytum et Paulum Romanos Pontifices, *et quosdam alios.* (7)

8. DIONYSIUS BAR-SALIBI, *episcopus Amidæ (extr. sec. XII), inter auctores quibus usus est in sua Expositione in Evangelia, citat* Hippolytum Romæ (8). — *Similiter et* GREGORIUS BAR-HEBRÆUS (9).

9. EBED-JESU, *episcopus Nestorianus Sobæ et Metropolitanus Armeniæ (ob. an.* 1318) *in Catalogo librorum ecclesiasticorum syriace conscripto, cap.* 7. « Sanctus Hippolytus martyr et episcopus composuit librum de dispensatione, et expositionem Danielis minoris et Susannæ, capita adversus Caium et apologiam pro Apocalypsi et Evangelio Joannis Apostoli et Evangelistæ » (10)

IV. Ex inscriptionibus veterum Codicum.

1. « Hippolyto episcopi Romæ argumentum enarrationi in Psalmos præmissum. » (11)

(1) Cfr. P. G. t. X. p. 957.

(2) LUDOLF, *Comment. ad Hist. Æthiop.* pp. 301, 304.

(3) ASSEMANI (J. S. et S. E.) *Catal. codd. Vatic. Syriac.* t. II. p. 276.

(4) Scripsit syriace, post an. 700, sed ante an. 850. ASSEMANI (J. S.) *Bibl. Orient.* t. II. p. 118.

(5) Ex cod. Vatic. ap. MAGISTRIS, *Acta Mart. ad Ost. Tib.* p. 145.

(6) RENAUDOT, *Hist. Patr. Alex.* p. 360.

(7) Ibid.

(8) ASSEMANI, *Bibl. Orient.* t. II. p. 158.

(9) Ibid. p. 283.

(10) Ibid. t. III. Part. I. p. 15.

(11) P. G. t. X. pp. 607, 711.

2. « S. Hippolyti papæ Romani in illud » Prov. IX. 1. (1)

3. « Hippolyti episcopi Romæ de Ezechia. » (2)

4. « Sanctissimi Hippolyti Romæ episcopi. » (3)

5. « Hippolyti episcopi Romæ Danielis et Nabuchodonosor visionum solutiones ambarum simul. » (4)

6. « Hippolyti Romæ episcopi. » (5)

7. « Hippolyti episcopi Romani. » (6)

V. Ex inscriptione statuæ marmoreæ Hippolyti.

1. *Titulus tabulæ decimarum quartarum.* « Anno I. regiminis Alexandri Imperatoris facta est XIV Paschæ Idibus Aprilibus Sabbato cum mensis embolimæus fuisset. Erit sequentibus annis sicut in tabula subjectum est. Evenit vero in præteritis sicut indicatum est. Solvere autem oportet jejunium ubi Dominica inciderit. » (7)

2. *Titulus tabulæ Dominicarum Paschalium.* « Anno Alexandri Cæsaris primo initium, Dominicæ Paschales secundum annos; adpunctiones vero ostendunt Bissextum. » (8)

3. *Catalogus operum Hippolyti.* « .... ΙΟΤϹ... ΝΙΑϹ (9) [In Ps]almos — De Pythonissa — De Evangelio secundum Joannem et Apocalypsi — De Charismatibus Apostolica traditio — Chronicon — Ad Græcos et in Platonem vel etiam de omni (ΠΕΡΙ ΤΟΤ ΠΑΝΤΟϹ) — Exhortatorius ad Severinam — Demonstratio temporum Paschæ quemadmodum in tabula — Odæ in omnes Scripturas — De Deo et carnis resurrectione — De bono et unde malum. » (10)

VI. De quibusdam Hippolyto homonymis.

Ex variis scriptoribus et monumentis ecclesiasticis.

1. Eusebius Cæsariensis H. E. VI. 46. « Sequitur deinde altera

(1) Ibid. p. 626.
(2) Ibid. p. 630.
(3) Ibid. p. 638.
(4) Ibid. p. 642.
(5) Ibid. p. 690.
(6) Ibid. p. 699.
(7) P. G. t. X. p. 875.
(8) Ibid. p. 879.
(9) Mai (*Script. Vet.* t. V. p. 70. not. 2) legit... ΟΤΣ.... ΜΑΣ.
(10) P. G. t. X. p. 875.

ejusdem Dionysii [Alexandrini] epistola ad fratres Romæ constitutos, per Hippolytum missa, de officio Diaconi. » (1).

2. Catalogus Liberianus. « .... Temporibus Alexandri.... Eo tempore Pontianus Episcopus et Hippolytus Presbyter exules sunt deportati in insulam nocivam Sardiniam, Severo et Quintiano coss. » (an. 235). (2)

3. Kalendarium Romanum sec. IV. « Idibus Augusti. Hippolyti in Tiburtina, et Pontiani in Callisti. » (3)

4. Kalendarium Carthaginense sec. VI. vel V. « Idus Ag. sancti Hippolyti. » (4)

5. Catalogus Felicis IV. seu sec. VI. « Pontianus martyrio coronatur temporibus Alexandri.... Eodem tempore Pontianus Episcopus et Hippolytus Presbyter exilio sunt deputati ab Alexandro in Sardiniam insulam Bucinam.... » (5)

6. PRUDENTIUS (*ob. in. sec. V*) Peristephanon *Hymn.* 11. *Ad Valerianum Episcopum de passione S. Hippolyti M.*

« Innumeros cineres sanctorum Romula in urbe
  Vidimus, o Christi Valeriane sacer.....
Hæc dum lustro oculis, et sicubi forte latentes
  Rerum apices veterum per monumenta sequor,
Invenio Hippolytum, qui quondam schisma Novati
  Presbyteri [*al.* Presbyter] attigerat, nostra sequenda negans,
Usque ad martyrii provectum insigne, tulisse
  Lucida sanguinei præmia supplicii.
Nec mirere sehem, perversi dogmatis olim,
  Munere ditatum catholicæ fidei.
Cum jam vesano victor raperetur ab hoste,
  Exsultante anima carnis ad exitium,
Plebis amore suæ multis comitantibus ibat :
  Consultus quænam secta foret melior,
Respondit : Fugite, o miseri, exsecranda Novati
  Schismata : catholicis reddite vos populis.

(1) Ita vertit Valesius. In græco textu autem habetur : καὶ ἑτέρα τις ἐπιστολὴ τοῖς ἐν Ῥώμῃ τοῦ Διονυσίου φέρεται διακονικὴ διὰ Ἱππόλυτου.

(2) Ed. MOMMSEN, *Ueber den Chronrom J.* 354, p. 635. — P. L. t. XIII. p 449.

(3) MOMMSEN, p. 632. — P. L. t. XIII. p. 465.

(4) P. L. t. XIII. p. 1223.

(5) SCHELSTRAETE, *Antiq. illustr.* t. I. p. 422.

Una fides vigeat, prisco quæ condita templo est :
Quam Paulus retinet, quamque cathedra Petri.
Quæ docui, docuisse piget. . . . .
Sistitur insano rectori, Christicolas tunc v. 39.
Ostia vexanti per Tiberina viros.
Illo namque die Roma secesserat, ipsos
Peste suburbanos ut quateret populos.....
. . . . celsum subito ante tribunal v. 77.
Offertur senior nexibus implicitus.
Stipati circum juvenes clamore ferebant
Ipsum Christicolis esse caput populis : v. 80.
Si foret exstinctum propere caput, omnia vulgi
Pectora Romanis sponte sacranda deis.
Insolitum lethi poscunt genus, et nova pœnæ
Inventa, exemplo quo trepident alii.
Ille supinata residens cervice, Quis, inquit, v. 85.
Dicitur? Affirmant dicier Hippolytum.
Ergo sit Hippolytus, quatiat, turbetque jugales,
Intereatque feris dilaceratus equis. »

(*Sequitur descriptio supplicii v.* 89-122. — *Inde ita pergit poeta :*)

« Exemplar sceleris paries habet illitus, in quo v. 123.
Multicolor fucus digerit omne nefas.
Picta super tumulum species liquidis viget umbris,
Effigians tracti membra cruenta viri. . . . . »

(*Magnifice paulo infra, v.* 151 *sqq., describit cryptam in qua Hippolyti corpus repositum est et concursum populi qui ad eam flebat, præsertim die memoriæ ejus consecrato. In qua descriptione hæc præcipue ad rem nostram notanda sunt :*)

« Metando eligitur tumulo locus ; Ostia linquunt : v. 151.
Romæ placet, sanctos quæ teneat cineres.
Haud procul extremo culta ad pomœria vallo
Mersa latebrosis crypta patet foveis. . . . . . .
Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis. . . . . v. 169.
Stat sed juxta illud, quod tanta frequentia templum v. 215.
Tunc adeat, cultu nobile regifico.
Parietibus celsum sublimibus, atque superba
Majestate potens, muneribusque opulens. . . . . . .
Si bene commemini, colit hunc pulcherrima Roma v. 231.
Idibus Augusti mensis, ut ipsa vocat
Prisco more diem. . . . . » (1)

(1) P. L. t. LX. p. 530 sqq.

7. GREGORIUS TURONENSIS (*ob. an.* 595) Hist. Franc. l. I. c. 28. « Sub Decio.... Sixtus Episcopus Romanæ Ecclesiæ et Laurentius Archidiaconus, et Hippolytus ob Dominici nominis confessionem per martyrium consummati sunt. » (1)

8. *Inscriptio antiqua.* (2)

« Olim sacrilegam quam misit Græcia turbam
Martyrii meritis nunc decorata nitet
Quæ medio pelagi votum miserabile fecit
Reddere funereo dona nefanda Jovi
Ypoliti sed prima fides celestibus armis
Respuit insanam pestiferamque luem
Quem monachi ritu tenuit spelunca latentem
Christicolis gregibus dulce cubile parans
Post hunc Adrias sacro mundatus in amne
Et Paulina suo consociata viro
XIII. K. IVN. »

Ex monumentis juris apocryphis.

9. *Nomen* Hippolyti *in veteribus codicibus præfixum est libro octavo* Constitutionum Apostolorum. (3)

10. Concilium Romanum (*supposititium*) *quod traditur habitum fuisse Sylvestro S. P. an.* 324, *hæc habet cap.* 2 : « Damnavit autem [Sylvester] Hippolytum diaconum Valentinianistam et Callistum qui in sua extollentia separabat Trinitatem [*Superius* (*eod. cap.*) *habentur hæc* : « Qui se Callistus ita docuit Sabellianum, ut arbitrio suo sumat unam personam esse trinitatis »]. Et præsentia Episcoporum supradictorum et presbyterorum aliorumque graduum damnavit Hippolytum, Victorinum et Callistum. Et dedit eis anathema et damnavit eos extra urbes suas. » (4)

(1) P. L. t. LXXI. p. 175. — Auctor anonymus sermonis de S. Laurentio, falso adscripti S. Augustino (Serm. 316. P. L. t. XXXIX. p. 2351), Laurentium sub custodia Hippolyti fuisse dicit, et Hippolytum ab illo ad fidem Christi mirabiliter conversum esse. — Hippolytum socium Laurentii in martyrio indicat et auctor anonymus sermonis de S. Laurentio qui habetur in Opp. S. Fulgentii, inter spuria (P. L. t. LXV. p. 930). — Cfr. pag. seq. test. **11.**

(2) Ap. MAI. *Script. Vet.* t. V. p. 36 et ap. DE ROSSI, *Roma Sotter.* t. I. p. 263.

(3) MAGISTRIS, *Act. Mart. ad Ost. Tib.* p. 134. — Inde P. G. t. I. p. 523.

(4) MANSI, *Conc.* t. I. p. 623.

Ex actis Martyrum anonymis.

11. *In* Actis S. Laurentii *quæ edidit* Surius (1) *refertur Hippolytus quidam miles, cui Laurentium tradiderant custodiendum, ab hoc sancto martyre conversus fuisse et baptizatus cum decem et novem servis suis, et post martyrium Laurentii hujus corpus sepelivisse. Quod ultimum sic narratur :* « Itaque beatus Justinus presbyter et Hippolytus... tulerunt corpus ejus, venientesque in prædium viduæ Cyriacæ via Tiburtina, ad quam beatus martyr nocte venerat... usque in vesperam illic deposuerunt. Hora autem vespertina sepelierunt illud in crypta via Tiburtina in eodem Cyriacæ viduæ prædio, in agro Verano, quarto Idus Augusti. » *Tertio vero post die Hippolytus cum servis suis capitur et adducitur ad Decium, a quo, post varia tormenta ei inflicta, traditur Valeriano præfecto. Is Concordiam, nutricem Hippolyti, jubet plumbatis cædi usque ad mortem. Deinde* « jussit... ut inspectante Hippolyto, omnes [servi ejus] capite truncarentur, decollatique sunt promiscui sexus decem et novem. Porro beatum Hippolytum voluit pedibus ad colla indomitorum equorum ligatum per carduos et tribulos raptari. Qnod cum fieret, ille migravit ad Dominum : relictaque sunt corpora sanctorum in campo juxta Nympham, ad latus agri Verani, Idibus Augusti. Nocte eadem venit Justinus presbyter, collectaque eorum corpora eodem loco sepelivit. » *De his actis ita Bollandiani* (2) : « *Quandoquidem nostræ sunt partes Sanctorum Acta defendere, quantum salva veritate nobis licet : vellemus quidem ut illa, de quibus nunc agimus, tamquam primigenia ac sincera ad nostram ætatem pervenissent; sed cum hujusmodi non sint ea in primis quæ apud Surium edita circumferuntur, audire juvat, quodnam viri eruditione præstantes de illis judicium formarint. Baronius in notationibus ad Martyrologium Romanum hac die X Augusti : Habentur* (*ait*) *Acta ejus* [*Laurentii*] *apud Surium Tom.* 4.... *multa in illis apocrypha, multaque veritati contraria esse noscuntur.* » *Deinde post citatam similem censuram ex Annal. an.* 261, *et aliam Card. Norisii, ita concludunt :* « *Duobus hisce Eminentissimis superadde Pagium in Critica Baroniana, ubi ad annum* 261 *scribit ista : Acta S. Laurentii supposititia esse, certum esse debet propter rationes a Baronio aliisque in medium adductas.* »

(1) *De probatis SS. historiis*, t. IV. p. 615. (2) *Act. SS.* tom. II Aug. p. 511.

12. Acta S. Hippolyti Episcopi et Martyris. — *De iis Bollandiani* (1) : « *Servamus duo Actorum [Hippolyti] exemplaria, quorum unum prolixius... cujus exordium ita sonat :* Post transitum beatissimæ Pelagiæ, ... beatus Hippolytus, qui et Nonus dicitur, cujus prædicatione Alexandria conversa fuerat... Romam adiit... *Deinde imperitus Actorum scriptor fuse narrat varia quæ S. Hippolytus sub imperio Alexandri Severi gessit et scripsit.Denique idem auctor affirmat, illum sub Claudio Alexandri successore martyrium subiisse. Verum, ut hic alios errores historicos prætermittam, quis unquam conciliabit tempora Alexandri et Claudii, qui sæculo tertio imperarunt, cum ætate S. Nonni episcopi, qui sæculo quinto Pelagiam meretricem convertit?... Præterea habemus aliud Actorum apographum quod... ex supradictis Actis longioribus contractum videtur. Illud hic integrum exhibebimus, cum breve sit et omnia summatim complectatur.* » *Inferius subjungit Bollandianus scriptor :* « *Hæc [Acta] exiguam aut fere nullam auctoritatem habent.* » — *Sunt autem hujusmodi :* « Beatus Ypolitus, qui et Nonus dicitur, cujus prædicatione Alexandria conversa fuerat, limina apostolorum visitare cupiens, Romam adiit. Sanctorum sepulcra ubicumque in locis vel cœmeteriis invenire poterat curiosissime requirebat, ibique dignas Deo laudes referens, die noctuque orationibus persistebat. Postmodum vero ad Portum Tyberianæ urbis properans, Spiritus S. gratia revelante Verbum vitæ quibus poterat cum miraculorum indiciis prædicabat. Denique postquam multa divinorum librorum commentaria edidit, et beatam virginem Auream sepelivit, cum Ulpium Romulum urbis Romæ vicarium reprehenderet, quod Christianos crudeliter damnaret, ipsius vicarii præcepto ligatis manibus ac pedibus in foveam aqua plenam præcipitatur... Christiani vero noctu levaverunt corpus ejus de puteo occulte et... sepelierunt in eodem loco, non longe ab ipsa fovea, sed quasi pedes plus minus sexaginta in insula quæ uno latere mare habet, a duobus divisione alvei Tyberis cingitur : vicesima secunda die mensis Augusti. » (2)

13. Acta S. Aureæ (*seu* Chryses) *et Sociorum.* — *De his rursus scriptor Bollandianus* (3) : « *Ne longius abeam : hoc addo bre-*

(1) *Act. SS.* tom. IV Aug. p. 506.

(2) Hæc breviora acta ex MAGISTRIS inseruit Migne P. G. t. X. p. 545. Ex ultimis autem illorum verbis monet Magistris acta vetustiora esse seculo IX, quoniam corpus Hippolyti eo seculo e crypta viæ Tiberinæ translatum est.

(3) *Act. SS.* tom. IV Aug. p. 757.

viter, historiam S. Hippolyti, S. Aureæ et aliorum Sanctorum Martyrum cum eadem historia connexorum, simili usam esse fortuna quam subiere Acta alia innumera, in quibus etiam tunc quando fortasse verum narrant, dubites an firmum pedem figas, an in tuto hæreas. » *Refert deinde Acta latina ex ms. Trevirensi, in quibus hæç præcipue notari possunt. Cap.* I. *n.* 5 : « Erat autem in civitate Hostea episcopus nomine Cyriacus, ... cum Sacerdotibus suis Maximo, Eusebio et Concordio presbyteris... » *Et cap.* II. *n.* 17 : « Quam [Auream] beatus Nonosus collegit, qui etiam Ypolitus nuncupatur, et cum omni diligentia sepelivit in prædio ejus, ubi habitaverat. » *Nequaquam autem indicatur Hippolytus fuisse episcopus. — Acta græca vero, quorum Bollandiani habebant tantum fragmentum aliquod, edidit Simon* DE MAGISTRIS *et ex eo Migne* (1). *Parum discrepant ab Actis latinis, quæ ex eis videntur desumpta. Ibi etiam episcopus Ostiensis dicitur Quiriacus. De Hippolyto autem hæc pauca habent* (2) : « Eodem die audiens hoc beatus Hippolytus senex (3) obtulit se in conspectum Romuli, cui ita voce clara dixit.... Iratus Romulus præcepit, ut pedibus et manibus ligatis in foveam vivus mergeretur. Beatus vero Hippolytus dum mersus fuisset in foveam ante muros Portus Romani.... » *Et paulo supra* (4) : « Beatus vero Nonnus (5) collegit corpus ejus [Aureæ] et sepelivit in prædio ipsius, ubi habitaverat foras muros portæ Ostiæ. » *Papebrochius.* (6) : « Habemus (*ait*) sinceriora S. Aureæ acta.... Portuensis pro eo tempore episcopus illic appellatur Cyriacus, Hippolytus vero appellatur Arabum Metropolitanus. » *At hujusmodi Acta non ediderunt Bollandiani ubi Tom. IV Aug. egerunt de S. Aurea.*

Ex Martyrologio Hieronymiano. (7)

14. 29 *Jan.* « In Tursia Constanti, Hippolyti Episcopi de Antiquis. »

15. 30 *Jan.* « In Antiochia passio S. Hippolyti martyris. »

16. 31 *Jan.* « In Alexandria..... Hippolyti....... »

(1) P. G. t. X. p. 552.

(2) N. 5. — Ibid. p. 567.

(3) Ὁ πρεσβύτερος, quo nomine in iis actis passim designantur sacerdotes : itaque in versione latina potius *presbyter* dicendus est Hippolytus.

(4) P. G. t. X. p. 566.

(5) In græco textu additur : « qui cognominatus est Hippolytus. »

(6) *Act. SS.* tom. VII Maii. p. 519.

(7) P. L. t. XXX. p. 441 sqq.

17. 2 *Febr.* « Romæ foro Sinfronii, via Flaminia, miliario ab urbe centum septuaginta quatuor, Laurentii, Hippolyti. »

18. 23 *Feb.* « In Africa....... Hippolyti....... »

19. 19 *Jun.* « Romæ. Hippolyti........ » (1)

20. 6 *Aug.* « Romæ in cœmeterio Calesti via Appia natalis..... Laurentii, Hippolyti et militum sexaginta duorum. »

21. 13 *Aug.* « Romæ natalis sanctorum Hippolyti martyris, Pontiani episcopi. »

22. 21 *Aug.* « In portu Romano natalis sancti Hippolyti martyris. »

23. 23 *Aug.* « In portu urbis Romæ, natalis sancti Hippolyti, qui dicitur Nunnus, cum sociis suis. In Ostia, natalis sanctorum Cyriaci........ »

24. 11 *Sept.* « In portu urbis Romæ, natalis sanctorum.... Hippolyti. »

25. 13 *Sept.* « Romæ, natalis sanctorum..... Hippolyti. »

E minori Romano. (2)

26. 30 *Jan.* « Antiochiæ passio S. Hippolyti. »

27. 13 *Aug.* « Romæ, Hippolyti martyris cum familia sua et S. Concordiæ nutricis ejus. »

28. 23 *Aug.* « Romæ, Hippolyti, Quiriaci et Archelai. »

E Martyrologio Bedæ et Flori. (3)

29. 30 *Jan.* « Antiochiæ passio S. Hippolyti. »

(1) In codice Reginæ Sueciæ legitur : « XIII. kal. Jul. Romæ in cœmeterio Hippolyti sanctorum Honorii, Evodi et Petri » (*Act. SS.* Tom. VII Jun. P. II. p. 43). In aliis vero codicibus Martyrologii Hieronymiani item sub die XIII. kal. Jul. « Romæ Hippolyti, Honorii, Evodii, Petri, Valeriæ, Marcelli, Vitalis, Ursicini » (DE ROSSI, *Roma Sotterr.* t. I. p. 264). Quas duas lectiones conjungendas existimat DE ROSSI (ibid. p. 265) ita ut locus integer legatur : « XIII. kal. Jul. Romæ in cœmeterio Hippolyti sanctorum Hippolyti, Honorii, Evodii, Petri, Valeriæ, Marcelli, Vitalis, Ursicini. » Nec dubitat eam esse *olim sacrilegam quam misit Græcia turbam* (quæ memoratur in Test. **8** mox citato). Cujus scilicet depositio in ipsa inscriptione assignatur XIII. kal. Jun.; porro notum est quam sæpe in Codicibus *Jun.* et *Jul.* sibi invicem substituantur.

(2) P. L. t. CXXXIII. p. 145 sqq.

(3) P. L. t. XCIV. p. 799 sqq.

30. 3 *Feb.* « In Africa..... Ypoliti. »

31. 19 *Jun.* « Romæ Hippolyti. »

32. 13 *Aug.* « Romæ S. Ypolyti qui tempore Decii, ligatus pedes ad colla indomitorum equorum, sic per carduos tribulosque tractatus emisit spiritum... Et Concordiæ nutricis ejus... Et aliorum de domo ejus decem et novem. »

33. 23 *Aug.* « In portu urbis Romæ natale S. Hippolyti, qui dicitur Nonnus. »

34. 12 *Sept.* « Romæ natale S. Hippolyti. »

35. 18 *Oct.* « Romæ S. Tryphoniæ uxoris Decii Cæsaris, quæ, viro suo post interfectionem beatorum Sixti et Laurentii divinitus punito, petiit baptizari cum Cyrilla a Justino presbytero, et alia die est defuncta ac juxta S. Hippolytum in crypta sepulta.

36. 28 *Oct.* « Romæ S. Cyrillæ filiæ Decii Cæsaris, quæ Claudio principe jugulata et necata est gladio, et sepulta a Justino Presbytero cum matre sua juxta S. Hippolytum. »

37. 29 *Oct.* « Natale S. Pontiani Papæ et martyris : qui ab Alexandro Imperatore ... cum Hippolyto Presbytero exilio in insula Sardiniæ Bucina deportatus, martyrium consummavit. Scriptum est in libro Episcoporum. »

38. 2 *Nov.* « Dedicatio Basilicæ SS. Sixti, Hippolyti et Laurentii. »

E Martyrologiis Adonis (1), Usuardi (2) et Romano.

39. 30 *Jan.* Ado : « Apud Antiochiam, passio S. Hippolyti martyris, qui Novati schismate aliquantulum deceptus, operante gratia Christi correctus, ad charitatem Ecclesiæ rediit; pro qua et in qua illustre martyrium consummavit. » — *Ita etiam* Usuardus *et* Mart. Romanum; *sed in hoc additur :* « Hic rogatus a suis quænam secta verior esset, execratus dogma Novati, eam fidem dicens esse servandam quam Petri cathedra custodiret, jugulum præbuit. »

40. 3 *Feb.* Romanum : « Ibidem [in Africa] sanctorum martyrum Felicis, Symphonii, Hippolyti et sociorum. »

(1) P. L. t. CXXIII. p. 201 sqq. (2) Ibid. p. 601 sqq.

41. 13 *Aug.* ADO : « Romæ, S. Hippolyti martyris, sub Decio Imperatore, Valeriano præfecto.... (1) »

USUARDUS : « Romæ, beati Ypoliti martyris, qui pro confessionis gloria, jubente Valeriano præside, ligatus pedes ad colla indomitorum equorum, sic per carduetum et tribulos tractatus emisit spiritum. Passa est etiam Concordia nutrix ejus, quæ ante ipsum plumbatis cæsa martyrizavit : et alii decem et novem de domo ejus, qui simul decollati sunt. »

Romanum : « Romæ beati Hippolyti martyris, qui pro confessionis gloria sub Valeriano Imperatore post alia tormenta, ligatis pedibus ad colla indomitorum equorum, per carduetum et tribulos crudeliter tractus, toto corpore lacerato emisit spiritum. Passi sunt etiam eodem die beata Concordia ejus nutrix, quæ ante ipsum plumbatis cæsa migravit ad Dominum, et alii decem et novem de domo sua qui extra portam Tiburtinam decollati sunt et una cum eo in agro Verano sepulti. »

42. 22 *Aug.* Romanum : « In portu Romano sancti Hippolyti Episcopi, eruditione clarissimi, qui sub Alexandro Imperatore ob præclaram fidei confessionem manibus pedibusque ligatis in altam foveam aquis plenam præcipitatus, martyrii palmam accepit : cujus corpus apud eumdem locum sepultum fuit. »

43. 23 *Aug.* ADO : « In portu urbis Romæ, natalis sancti Hippolyti, Quiriaci et Archillai. » — *Ita etiam* USUARDUS.

44. 20 *Nov.* ADO : « Romæ natalis sancti Pontiani Papæ. Qui Maximino adversus Ecclesiarum sacerdotes persecutionem commovente » [Romanum *pro his habet :* « Qui ab Alexandro Imperatore »] « cum Hippolyto [*al.* Philippo] presbytero [in] Sardiniam deportatus, ibique fustibus mactatus, martyrium consummavit... » — *Ita etiam* USUARDUS *et* Romanum (*ad* 19 *Nov.*).

45. 2 *Dec.* Romanum : « Ibidem [Romæ] sanctorum martyrum Eusebii Presbyteri, Marcelli Diaconi, Hippolyti, Maximi ... qui in persecutione Valeriani sub Secundiano judice martyrium compleverunt. »

(1) Fuse dein refert historiam passionis Hippolyti secundum Acta S. Laurentii, de quibus supra test. **11.**

E libris liturgicis Ecclesiarum Occidentalium.

46. *Horum librorum loca, ubi Hippolytus Laurentii socius indicatur, vel etiam refertur historia ejus martyrii secundum Acta S. Laurentii* (1), *recenset* RUGGIERI (2). *Inter illos autem antiquissimus est Missale Gothicum (sec. VIII vel VII). — Quibus adde Librum Comitis seu antiquum Lectionarium editum a* MANSI (3) *quique a quibusdam, non tamen satis certa fide, S. Hieronymo attributus est* (4). *In quo legitur :* « Idibus Augusti. Natale sancti Yρoliti. Lectio libri Sapientiæ. Omnis amicus dicet et amicitiam copulari, usque suavis est. Evangelium secundum Lucam cap. CXLIV. Dixit Jesus discipulis suis, adtendite a fermento, usque coram angelis ejus. »

E Menologiis et Menæis Græcorum.

47. Menologium Basilii. 29 *Jan.* « Eodem die certamen sancti sacromartyris Hippolyti Papæ et sociorum. Sacer Hippolyti sacromartyris cœtus claruit Claudio Imperatore et Vicario Præfecto... Censorinus... milites omnes ad Christi fidem pertraxit; qui tyranni jussu decollati sunt : in quibus fuit beata Chryse ejusque servus Sàbinus. Id ubi rescivit Hippolytus Papa, divino zelo incensus tyrannum adiit, et acerrime reprehendit : qui ira excandescens, primum quidem acerbissime Hippolytum torqueri jussit, ejusque comites Presbyteros, Diaconos et Episcopum : deinde alligatis ad manus pedesque gravissimis saxis, in profundum mare illos projecit : atque in hunc modum vitam finierunt. » (5)

10 *Aug. Post relatum martyrium SS. Xysti et Laurentii :* « Sanctus vero Hippolytus eorum assumens reliquias atque sepeliens, captus fuit; et alligatus ad indomitos equos, raptatus consummatur. » (6)

48. Menologium *aliud, ad* 30 *Januarii, memorat* Hippolytum Papam Romæ. (7)

49. Synaxarium *sec. X in Bibliotheca Laurentiana Florentiæ repositum, ad* 8 *Januarii, refert* Hippolytum episcopum Romanum. (8)

(1) De quibus supra Test. **11**.
(2) Ap. MIGNE, P. G. t. X. p. 451-454.
(3) In appendice ad notas ad Capitularia regum Francorum. *Conc.* t. XVIII. p. 890.
(4) Ibid. p. 871.
(5) Ed. Urbin. t. II. p. 144.
(6) Ibid. t. III. p. 200.
(7) ASSEMANI (J. S.) *Kalend. Eccl. univ.* t. VI. p. 109. — *Act. SS.* t. IV Aug. p. 508 (n. 25 extr.).
(8) BANDINI, *Catal. codd. græc.* p. 131 (Cit. ap. DÖLLINGER, *Hippolytus und Kallistus*, p. 94).

50. Menologium Sirleti. 2 *Aug.* « Post sanctum Stephanum ordinatus est Pontifex Sixtus, interfectus et ipse postea cum sanctis martyribus Laurentio et Hippolyto. » (1)

51. Menologium metricum (*ex Menæis*). 30 *Jan.* « Hippolytum ponti tricesima [die] occidit fluctus. » (2)

13 *Aug.* « Hippolytum equis alligatum video, Contrarium patientem nomini supplicium. » (3)

E Kalendariis Coptico et Æthiopico.

52. Kalend. Copt. 5 *Febr.* « Requies S. Patris Hippolyti Papæ Romæ. »

6 *Febr.* « Manifestatio corporis S. Hippolyti Papæ Romæ, quod in profundum mare jussu Claudii imperatoris projectum fuerat. » (4)

53. Kalend. Æthiop. 5 *Febr.* « Hippolytus. »

6 *Febr.* « Emersio corporis Hippolyti e mari. » (5)

54. « *Præterea Ludolfus ad Papebrochium misit duplicem hymnum stylo ligato, quem poëta Æthiops die* v *et* vi *mensis Jacatit, aut apud nos* xxx *et* xxxi *Januarii, recitandum proponit. Nos utrumque ab eodem Ludolfo latine redditum, sine ulla metri distinctione transcribimus, et unum ex Ode quarta diei quintæ exhibemus hoc modo :* Salutem, tibi Hippolyte ; pater noster, qui dignus fuisti, ut appellareris doctor, mundi sacerdos. Super abysso cadaver tuum dum nataret incolume, pudore et ludibrio affecit, qui projecerunt te persecutores tyranni, pedi tuo alligantes lapidem. *Alter vero ex Ode prima diei sextæ sic sonat :* Salutem dico emersioni corporis (ejus) [*s.* tui] e mari, quamvis lapis gravis pedibus ejus alligatus fuisset, Hippolyte doctor. Adferat mihi benedictionem e Gerizan monasterio, sicut materiam divitiarum et splendorem adfert navis. — *In Martyrologio Coptico, quod ex interpretatione Simonis Moysis Maronitæ manu scriptum servamus, similia de supernatante* S. Hippolyti *cadavere leguntur, ac ibidem Martyr ille titulo* Papæ Romani *donatur.* » (6)

(1) Canis. *Thesaur.* (Ed. Basnage) t. III. part. I. p. 355.

(2) Cit. *Act. SS.* t. IV Aug. p. 505.

(3) Cit. *Act. SS.* t. III Aug. p. 4.

(4) Assemani (S. E.) *Codd. orient. Bibl. Medic.* p. 175.

(5) Ludolf, *Comment. in Hist. Æth.* l. III. c. 6. n. 66 (p. 407).

(6) *Act. SS.* tom. IV Aug. p. 505 (n. 6).

E monumentis archæologiæ ecclesiasticæ.

55. « *In vetustissimis* picturis, *sexto Christi sæculo musivo opere elaboratis, quæ Romæ exstant in basilica S. Laurentii in agro Verano, ac Ravennæ in ecclesia S. Apollinaris novi*, Hippolytus *cum Laurentio depictus conspicitur.* » (1)

.**56.** « *Hujusmodi tamen picturas et vetustate et pretio longe antecellunt* vitrea *quædam veterum Christianorum pocula, variis Sanctorum imaginibus auro depictis ornata, quorum fragmenta, quæ ætatem tulerunt, Hippolyti effigie ac nomine cælata.... Horum primum in cœmeterio Priscillæ repertum... Petrum, Paulum, Sixtum, Laurentium, Cyprianum,* Epolytum, *in orbem pictos exhibet. Alterum in cœmeterio Callixti inventum...; in ejus fundo Vincentius, Agnes,* Poltus, *penicillo expressi visuntur. Tertium..: in hujus poculi fragmento* Ippolytus, *Timotheus cum beatissimo apostolorum principe supersunt.* » (2)

57. *Nomen* Hippolyti *habetur etiam in veteribus quibusdam* inscriptionibus, *quas refert Ruggieri* (3). — *Idem* ecclesias *quasdam et* monasteria Hippolyti *nomine dedicata vel ejus reliquiarum quædam possidentia recenset* (4).

Ex topographiis et itinerariis Romanis.

58. *In* Notitia ecclesiarum urbis romæ (5). « Postea... pervenies ad S. Ypolytum martyrem qui requiescit sub terra, et Concordia mulier ejus martyr ante fores. » (6)

59. *In opusculo* De locis scis martyrum que sunt foris civitatis Romæ (7). « Juxta viam Tiburtinam ecclesia est S. Agapiti... et prope eandem viam ecclesia est S. Laurentii major in qua corpus ejus primum fuerat humatum, et ibi basilica nova miræ pul-

(1) RUGGIERI, *De Portuensi S. Hippolyti sede* (P. G. t. X.) p. 454.

(2) Ibid. — Effigies illorum vitreorum exhibet GARRUCCI, *Vetri ornati*, tav. 19. fig. 7; tav. 22. fig. 5; tav. 25. fig. 5. Et præterea quartum (tav. 17. fig. 2), ubi depictus est *Cristus* medius inter *Ippolytum* ad dextrum latus et *Timotheum* ad sinistrum.

(3) P. G. t. X. p. 459.

(4) Ibid. p. 455-458.

(5) Conscripta Honorio S. P. seu inter annos 625 et 638. Vid. DE ROSSI, *Roma Sotterranea*, t. I. p. 144.

(6) DE ROSSI, ibid. pp. 139, 178.

(7) Ejusdem ætatis. – Vid. ibid. p. 145.

chritudinis ubi ipse modo requiescit... Inde in boream sursum in monte basilica S. Hippolyti est ubi ipse cum familia sua tota XVIIII martyres jacet. » (1)

60. *In* Indice Oleorum *quæ collegit Joannes Abbas* (2). « Sci Systi, Sci Laurenti, S. Yppoliti. » (3)

61. *In* Notitia portarum, viarum, ecclesiarum circa urbem Romam, *e* WILLELMO MALMESBURIENSI (4). « Sexta porta et via Tiburtina..., juxta hanc viam jacet S. Laurentius in sua ecclesia.... et ibi non longe Ipolitus vel basilica S. Ippolyti, ubi ipse cum familia sua pausat, id est XVIII (*al.* XXVIII). Et ibi requiescunt beata Triphonia uxor Decii et filia ejus Cirilla et Concordia nutrix ejus. » (5)

62. *In* Topographia Einsidlensi (6). « In via Tiburtina foris murum in sinistra S. Ypoliti, in dextera S. Laurentii. » (7)

(1) Ibid. p. 178.
(2) Extr. sec. VI. Vid. ibid. p. 133.
(3) Ibid. p. 178.
(4) Post med. sec. VII. — Vid. ibid. pp. 134, 135, 146.
(5) Ibid. p. 179.
(6) Post med. sec. VIII. — Vid. ibid. p. 146.
(7) Ibid. p. 179.

APPENDIX E.

TESTIMONIA VETERUM DE CAIO.

1. *In subscriptione* Epistolæ Ecclesiæ Smyrnensis de martyrio S. Polycarpi. « Hæc ex libro Irenæi, discipuli beati Polycarpi, descripsit Caius, qui etiam versatus est cum Irenæo. » (1)

2. EUSEBIUS CÆSARIENSIS H. E. II. 25. « Sed et Caius quidam vir catholicus (2), qui Zephyrini Romani urbis Episcopi temporibus floruit, in eo libro quem scripsit adversus Proclum patronum sectæ Cataphrygarum.... ita loquitur. » (3)

3. ID. III. 28 : « Eadem tempestate alterius hæresis auctorem fuisse Cerinthum accepimus. De quo Caius is, cujus verba superius retulimus, hæc in disputatione sua scribit. » (4)

4. ID. III. 31. « Præterea in dialogo Caii, cujus supra fecimus mentionem, Proculus, adversus quem instituta est disputatio,..... sic ait. » (5)

5. ID. VI. 20. « Eadem tempestate multi Ecclesiastici viri doctrina excellentes florebant... Inter eos fuit Beryllus... Similiter et Hippoly-

(1) Cit. a VALESIO in adnot. ad Euseb. H. E. IV. 15 (P. G. t. XX. p. 360).

(2) Ἐκκλησιαστικὸς ἀνήρ. In quam vocem notat Valesius : « Tribus modis dicitur *Ecclesiasticus*. Interdum enim accipitur pro Christiano et opponitur Gentili... Interdum vero designat Catholicum et opponitur Hæretico... Denique interdum denotat eum qui in clero est constitutus et opponitur sæculari seu laico... In secunda significatione malim accipere hoc loco, tum quia hæc frequentior hujus vocabuli significatio est [Et quidem Suicerus in suo Thes. Eccles. præter significationem generalem *Ad Ecclesiam Dei pertinens*, hanc solam specialem tradit : II. *Est orthodoxus et opponitur hæretico*], tum quod Eusebius de Caii libro adversus Proclum loquens, utrumque proprio epitheto designavit. Caium enim Ecclesiasticum hominem appellat; Proclum vero Cataphrygarum sectæ patronum, id est hæreticum. »

(3) P. G. t. XX. p. 207.

(4) Ibid. p. 274.

(5) Ibid. p. 279.

tus... Pervenit etiam ad nos Caii disertissimi viri disputatio Romæ habita temporibus Zephyrini, adversus Proclum quemdam Cataphrygarum hæresis propugnatorem. In qua ille, dum adversariorum in componendis novis scripturis temeritatem et audaciam sugillat, tredecim solum divini Apostoli commemorat epistolas, eam quæ ad Hebræos inscripta est cum reliquis non adnumerans. Sane hæc epistola etiamnum a quibusdam Apostoli esse non creditur. » (1)

6. HIERONYMUS De Viris illustr. *cap.* 59. « Caius sub Zephyrino Romanæ urbis episcopo, id est sub Antonino Severi filio, disputationem adversum Proclum, Montani sectatorem, valde insignem habuit, arguens eum temeritatis super nova prophetia defendenda, et in eodem volumine Epistolas quoque Pauli tredecim tantum enumerans, decimam quartam, quæ fertur ad Hebræos, dicit non ejus esse; sed et apud Romanos usque hodie quasi Pauli Apostoli non habetur. » (2)

7. THEODORETUS Hær. Fab. II. 3. « Contra hunc [Cerinthum] autem scripserunt non ii modo quos ante diximus, sed cum illis etiam Caius et Dionysius Alexandrinus Episcopus. » (3)

8. PHOTIUS Bibl. *Cod.* 48. « Lectus est Josephus *De universo* (*περὶ τοῦ παντός*); qui liber alibi inscriptus legitur De universi causa, in aliis vero libris De universi natura (*περὶ τῆς τοῦ παντὸς οὐσίας*). Suntque libelli duo, quibus secum pugnare Platonem docet. De anima quoque, materia et resurrectione Alcinoum ut absurde ac falso disserentem reprehendit. Suas vero ipse de his thesibus opiniones opponit, docetque Judæorum nationem longe esse quam Græcorum antiquiorem. Putat compositum hominem ex igne, terra, aqua, ac præterea e spiritu, quem Animam appellat. De quo spiritu hisce verbis usus est : Hujus principem partem apprehendens una cum corpore formavit et per omnia membra artusque viam ipsi patefecit. Qui spiritus, corpori conformatus totumque pervadens, eadem forma qua corpus hoc spectatur insignitus est : naturam vero frigidiorem habet, ad tria illa per quæ corpus compactum est. Hæc ille, non satis apte ad Hebræorum de hominis natura doctrinam neque satis e dignitate reliquorum a se diserte scriptorum elocutus. De mundi quoque generatione per compendium disserit. De Christo autem vero Deo aptissime

(1) Ibid. p. 571.
(2) P. L. t. XXIII. p. 669.
(3) P. G. t. LXXXIII. p. 390.

loquitur, quando et ipsam Christi appellationem illi attribuit et inenarrabilem ex Patre generationem citra reprehensionem describit. Quæ res ambigendi fortasse cuipiam causam præbeat, sitne hoc Josephi opusculum : etsi nihil dicendi genere a reliquis ejusdem scriptis discedit. — Comperi annotatum fuisse, non esse Josephi hoc opus, sed Caii cujusdam Presbyteri Romæ agentis, quem et auctorem faciunt Labyrinthi : cujus etiam dialogus est adversus Proclum quemdam, hæresis Montanistarum defensorem. Cum enim sine titulo opus relictum esset, alii quidem Josepho inscriptum referunt, alii Justino martyri, nonnulli Irenæo; quemadmodum et Labyrinthum Origeni quidam tribuere. Alioqui Caii est opus ejusdem revera qui Labyrinthum composuit, quando ille ipse in extremo Labyrintho testatum reliquit, esse se libri De universi natura (περὶ τῆς τοῦ παντὸς οὐσίας) auctorem. Verum hicne liber ille sit de quo agitur an alius, nondum mihi liquet.

» Hunc Caium Presbyterum Romanæ Ecclesiæ fuisse affirmant, sub Victore et Zephyrino Pontificibus, ordinatumque et gentium Episcopum, scripsisse quoque peculiarem alium librum contra Artemonis hæresim, et adversus Proclum, Montani studiosum, accuratam disputationem, in qua tredecim dumtaxat Pauli Epistolas enumerat, non recepta in censum ea quæ est ad Hebræos. » (1)

9. NICEPHORUS CALLISTI H. E. IV. 12 : « Sed et alii plures christiano plane animo pro fide nostra decertarunt et adversus hæreses depugnarunt.... Quibus Caius et Tertullianus merito sunt adnumerandi, qui plurima certe et pulcherrima ediderunt scripta : quæ singillatim recensere præsentis instituti non est. »

10. *In Catalogo Ebed-Jesu* (*cfr. supra Testim. de Hippolyto* III. 9.) *citantur* HIPPOLYTI « Capita adversus Caium. »

(1) P. G. t. CIII. p. 86.

APPENDIX F.

TESTIMONIA VETERUM DE TERTULLIANO.

1. EUSEBIUS CÆSARIENSIS H. E. II. 2 : « Hæc Tertullianus, vir legum Romanarum peritissimus et inter Latinos scriptores celeberrimus. » (1)

2. HIERONYMUS De Viris illust. *cap.* 53. « Tertullianus presbyter, nunc demum post Victorem et Apollonium Latinorum ponitur, provinciæ Africæ, civitatis Carthaginiensis, patre Centurione proconsulari. Hic acris et vehementis ingenii, sub Severo Principe et Antonino Caracalla maxime floruit, multaque scripsit volumina, quæ quia nota sunt pluribus, prætermittimus.... Hic cum usque ad mediam ætatem presbyter Ecclesiæ permansisset, invidia postea et contumeliis clericorum Romanæ Ecclesiæ ad Montani dogma delapsus, in multis libris novæ Prophetiæ meminit, specialiter autem adversum Ecclesiam texuit volumina de pudicitia, de persecutione.... Ferturque vixisse usque ad decrepitam ætatem, et multa quæ non exstant opuscula condidisse. » (2)

3. AUGUSTINUS De Hæres. ad Quodvultdeum *cap.* 86. « Tertullianistæ a Tertulliano, cujus multa leguntur opuscula eloquentissime scripta, usque ad nostrum tempus paulatim deficientes, in extremis reliquiis durare potuerunt in urbe Carthaginensi : me autem ibi posito ante aliquos annos... omni ex parte consumpti sunt. Paucissimi enim qui remanserant in Catholicam transierunt, suamque basilicam, quæ nunc etiam notissima est, Catholicæ tradiderunt. Tertullianus ergo, sicut scripta ejus indicant, animam dicit immortalem quidem,

(1) Τῶν μάλιστα ἐπὶ Ῥώμης λαμπρῶν. — Ubi notat Valesius : « Solet Eusebius Romanorum vocabulo designare, non ipsos Romanæ urbis indigenas ac cives, sed Latinos et Occidentales. — P. G. t. XX. p. 139.

(2) P. L. t. XXIII. p. 661.

sed eam corpus esse contendit : neque hanc tantum, sed ipsum etiam Deum. Nec tamen hinc hæreticus dicitur factus. Posset enim quoquo modo putari ipsam naturam substantiamque divinam corpus vocare... Non ergo ideo est Tertullianus factus hæreticus, sed quia transiens ad Cataphrygas, quos ante destruxerat, cœpit etiam secundas nuptias contra Apostolicam doctrinam tanquam stupra damnare, et postmodum, etiam ab ipsis divisus, sua conventicula propagavit. » (1)

4. Vincentius Lirinensis (*flor. ante med. sec. V*) Commonitor. I. 18. « Sed et Tertulliani quoque eadem ratio est. Nam sicut ille [Origenes] apud Græcos, ita hic apud Latinos nostrorum omnium facile princeps judicandus est. Quid enim hoc viro doctius? Quid in divinis atque humanis rebus exercitatius? Nempe omnem philosophiam et cunctas philosophorum sectas, auctores adsertoresque sectarum, omnesque eorum disciplinas, omnem historiarum ac studiorum varietatem mira quadam mentis capacitate complexus est. Ingenio vero nonne tam gravi ac vehementi excelluit ut sibi nihil pene ad expugnandum proposuerit quod non aut acumine inruperit aut pondere eliserit? Jam porro orationis suæ laudes quis exsequi valeat? Quæ tanta nescio qua rationum necessitate conserta est ut ad consensum sui quos suadere non potuerit impellat; cujus quot pene verba, tot sententiæ sunt; quot sensus, tot victoriæ. Sciunt hoc Marciones, Apelles, Praxeæ, Hermogenes, Judæi, Gentiles, Gnostici, cæterique : quorum ille blasphemias multis ac magnis voluminum suorum molibus, velut quibusdam fulminibus, evertit. » (2)

5. *Auctor Anonymus* Prædestinati I. c. 26. « Scripsit contra [Cataphrygas] librum sanctus Soter papa Urbis, et Apollonius Ephesiorum antistes. Contra quos scripsit Tertullianus presbyter Carthaginiensis. Qui cum omnia bene et prime et incomparabiliter scripserit, in hoc solum se reprehensibilem fecit quod Montanum defendit, agens contra Soterem supradictum Urbis papam, asserens falsa esse de sanguine infantis, Trinitatem in unitate Deitatis, pœnitentiam lapsis, mysteriis eisdem unum pascha nobiscum. Hoc solum discrepamus, inquit, quod secundas nuptias non recipimus et prophetiam Montani de futuro judicio non recusamus. Objiciunt quidam Tertulliano quod animam ex traduce, id est animam dixerit ita gigni ex anima

(1) P. L. t. XLII. p. 46. (2) P. L. t. L. p. 664.

sicut ex corporibus corpus : quod catholica fides vehementer exsecratur. » (1)

6. *Ibid. c.* 86. « Tertullianistas olim a Sotere papa Romano damnatos legimus.... Tertullianus autem fuit civis et presbyter Carthaginiensis : opuscula eloquentissima et ferventia in defensione edidit veritatis. Hic apud Carthaginem basilicam habuit, ubi populi ad eum conveniebant. Quæ basilica usque ad Aurelium episcopum fuit. Agente enim Augustino Hipponensi episcopo et rationabiliter cum eis disputante, conversi sunt, ecclesiamque suam sanctæ Ecclesiæ contulerunt. Tertullianum autem catholica hinc reprehendit auctoritas, quod animam ex anima nasci dicit, et defendit Montanum et Priscam et Maximillam contra fidem catholicam, et contra Apollonium episcopum Orientis, et contra Soterem papam urbis Romæ, ut supra diximus, dum Cataphryges hæreticos detegeremus : a quibus postea divisus, ne plebs Montani nomen Tertulliani videretur excludere, fundit a se omnem Phrygiæ vanitatem et Tertullianistarum conventicula propagavit : nihil tamen in fide mutavit. Nam et secundas nuptias condemnat, ut diximus, animam ex traduce venire asserit, et nos catholicos Psychicos titulat. Ubicumque autem legeris Tertulliani adversum Psychicos, scias eum contra catholicos agere. » (2)

(1) P. L. t. LIII. p. 596.

(2) Ibid. p. 616.

APPENDIX G.

ACCUSATIONES ADVERSUS CALLISTUM S. P. PROLATÆ PHILOSOPHOUMENON LIB. IX.

Cap. 11. « Hanc hæresim [Noeti] corroborabat Callistus, vir malitiæ callidus et vafer ad seducendum, qui episcopi cathedram venabatur. Zephyrino autem, viro indocto et illiterato definitionumque ecclesiasticarum ignaro, quem mulcendo donis et postulationibus vetitis ducebat ad quodcunque volebat, dum donorum acceptor esset pecuniæque avidus, persuadebat ut assidue rixas moveret inter fratres, dum ipse utriusque partis voluntatem postea astutis verbis sibimet conciliabat, et tum quidem illis qui recte sentiebant, privatim se eadem sentire dicens eos fallebat, rursus autem iterum iis qui Sabellii sententiam sequebantur, consimiliter, quem et ipsum pervertit, cum posset ille rectus esse. Dum enim a nobis admonebatur, non obdurescebat; ubi autem cum Callisto solitarius agebat, ab eo sollicitabatur ut ad Cleomenis doctrinam vergeret, cum is similiter se sentire diceret. Ille autem tum quidem ejus fraudulentiam non intelligebat, postea vero cognovit, sicut paulo post enarrabo. Ipsum autem Zephyrinum provehens adducebat ut palam populo diceret : Ego novi unum Deum Jesum Christum, nec præter eum ullum alium generatum et passibilem ; tum vero dicens : Non Pater mortuus est, sed Filius : tali modo perpetuam rixam in plebe sustinuit. Cujus consilia cum cognovissemus, nos non concedebamus coarguentes et resistentes pro veritate; qui delatus ad dementiam, propterea quod omnes ejus simulationi assentiebant, nos autem non, ditheos nos vocabat, sponte evomens virus quod in intimis ejus visceribus latebat. Hujusce vitam placet nobis exponere, quia eadem ætate qua nos extitit, ut moribus talis viri patefactis, facile perspiciatur et jam ab iis qui mente præditi sunt vilipendatur hæresis per eum suscepta. Hic martyrium fecit Fusciano præfecto urbis Romæ. Modus autem ejus martyrii fuit hujusmodi.

Cap. 12. » Servus erat Carpophori cujusdam viri fidelis e familia Cæsaris. Carpophorus ei, quippe fideli, pretium non parvum concre-

didit, jussitque eum sibimet lucrum parare ex argentaria : qui accepto pretio argentariam instituit in piscina quæ vocatur publica; cui temporis progressu non parva deposita a viduis et fratribus concredita sunt prætextu Carpophori. Is autem omnibus consumptis in augustiis erat. Qui cum ea fecisset, non defuit qui Carpophoro renuntiaret; hic autem dixit se rationem reposcere ab eo. Harum rerum conscius Callistus et periculum a Domino instans suspicatus, se abstulit fugam ad mare versus faciens : qui cum navem in portu invenisset ad exeundum expeditam, profecturus quo illa erat profectura ascendit. Sed ne sic quidem latere potuit; non enim defuit qui renuntiaret Carpophoro quæ facta erant. Is autem astans ad portum conabatur in navem ferri nuntium secutus, ea autem collocata erat in medio portu. Portitore autem morante, Callistus, qui e longinquo conspexit herum, cum esset in navi atque cognovisset se esse captum, vitam abjecit et hæc extrema esse putans se in mare præcipitavit. Nautæ autem postquam in scaphas desiluerunt, invitum eum eripuerunt, dum ii qui in terra erant, magna voce clamabant : et in hunc modum hero traditus Romam reductus est, quem herus in pistrinum dedit. Tempore autem elapso, ut forte evenit, fratres accedentes Carpophorum adhortabantur ut pœnæ eximeret fugitivum, dicentes confiteri eum se pecuniam apud quosdam conditam habere. Carpophorus autem, utpote pius, suam rem se omittere dixit, deposita autem sibi curæ esse — multi enim flentes ei dicebant se ejus prætextu concredidisse Callisto quæ concrediderant — precibusque motus jussit eum educi. Ille autem cum nihil haberet quod restitueret, et iterum aufugere non posset, quia custodiebatur, artificium mortis commentus est, et sabbato simulans se ad debitores ire, ruit ad conventum Judæorum congregatorum, et astans turbam inter eos faciebat. Illi autem turbati ab eo contumeliis verberibusque eum affectum truserunt ad Fuscianum, præfectum urbis. Responderunt autem hæcce : Romani nobis concesserunt patrias leges publice recitandas; iste vero ad nos ingressus impediebat nos obturbans dictitans se esse Christianum. Fuscianus autem cum pro tribunali esset, et per ea quæ a Judæis dicebantur, in Callistum irasceretur, non defuit qui Carpophoro res gestas renuntiaret. Is autem ad tribunal præfecti festinavit clamavitque : Peto, domine Fusciane, ne tu ei fidem habeas; non enim Christianus est, ansam vero mortis quærit, postquam pecuniam mihi magnam perdidit, sicut probabo. Judæi autem cum hoc fraudem esse arbitrarentur, quasi Carpophorus hoc prætextu eum liberare studeret, infestius etiam præfectum inclamabant. Is autem ab iis motus, flagellis eum cæsum tradidit in metallum

Sardiniæ. Tempore autem elapso, cum alii illic essent martyres, Marcia volens facinus aliquod bonum facere, quippe quæ Commodi erat pellex Dei amans, arcessivit beatum Victorem, qui illo tempore episcopus Ecclesiæ erat, et sciscitabatur quinam in Sardinia essent martyres. Is autem cum omnium nomina traderet, Callisti non dedit, quia novit ejus conatus. Marcia igitur compos facta sui voti pèr Commodum, dimissionis litteras dat Hyacintho spadoni cuidam presbytero, qui acceptis litteris in Sardiniam transnavigavit et, postquam eas illi qui tunc temporis ei terræ præerat tradidit, dimisit martyres excepto Callisto. Is autem genua flectens lacrymansque supplicabat ut et ipse dimissionem acciperet. Hyacinthus igitur precibus commotus postulat ut præses [eum dimittat], dictitans se altorem esse Marciæ, stipulans ei securitatem; ille autem persuasus dimisit et Callistum. Qui cum adesset, Victor molestissime ferebat quæ facta erant; quoniam autem misericors erat, quietum se tenuit; cavens vero probra a multis facienda (non enim longo intervallo aberant ejus conatus), cum etiam Carpophorus adversaretur, dimittit eum commoraturum Antii, definito ei menstruo aliquo ad victum. Cujus post obitum Zephyrinus, consecutus eum socium et ministrum ad reprimendum clerum, ornavit eum suo damno, et Antio traductum in cœmeterio constituit. Cui cum semper adesset et, sicut modo antea dixi, simulate eum coleret, perdidit virum qui neque dicta judicare poterat, neque Callisti insidias sentiebat, quippe qui omnia cum eo colloquebatur quæ illi grata erant. Sic post Zephyrini obitum arbitratus se esse nactum quod venabatur, Sabellium extrusit, utpote non recte sentientem, timens me et arbitrans se in hunc modum abstergere posse criminationem apud Ecclesias, quasi non aliena sentiat. Erat igitur præstigiator et ad fraudem acutus et tempore procedente multos secum abripuit. Cum autem et virus cordi insitum haberet nihilque recte sentiret, simul vero etiam verecundaretur vera dicere, propterea quod coram populo nobis convicians dicebat : dithei estis, verum etiam propterea quod a Sabellio continenter accusabatur, tamquam primam fidem migraverit, adinvenit talem quamdam hæresin, dicens Logum ipsum esse Filium, eumdem etiam Patrem nomine quidem vocatum, revera autem unum esse Spiritum indivisum; non aliud esse Patrem, aliud Filium, sed unum et idem esse, omniaque esse repleta divino Spiritu et superiora et inferiora, Spiritumque in Virgine carne indutum non esse aliud atque Patrem, sed unum idemque. Et hoc esse id quod dictum est : Non credis quia ego in Patre et Pater in me est? Visibile enim, quod quidem est homo, Filium esse, Spiritum autem, qui

in Filium cesserit, esse Patrem; non enim, inquit, profitebor duos deos, Patrem et Filium, sed unum. Pater enim, qui in eo exstitit, carnem postquam assumpsit, deificavit sibi unitum et fecit unum, ita ut Pater et Filius vocetur unus Deus, et hanc personam, cum una sit, non posse esse duas, et sic Patrem compassum esse cum Filio; non enim dicere vult Patrem esse passum unamque esse personam, ut effugiat blasphemiam in Patrem, insipidus iste vaferque, qui sursum deorsum spargens blasphemias, modo ut contra veritatem loqui videatur, tum in Sabellii doctrinam incidens, tum in Theodoti non erubescit. Talia conatus præstigiator ille scholam constituit adversus Ecclesiam ita docendo, et primus ea quæ ad voluptates faciunt hominibus concedere ausus est, dicens omnibus a semet dimitti peccata. Nam si forte qui apud alium quem congregatur et Christianus vocatur quid peccaverit, aiunt, non imputatur ei peccatum, modo Callisti scholæ accedat. Cujus definitionem amplectentes multi, conscientia morsi simulque etiam a multis sectis rejecti, nonnulli vero et per condemnationem a nobis ex ecclesia ejecti, ad eos transgressi ejus scholam repleverunt. Hic præcepit, tametsi episcopus peccet, etiamsi ad mortem, eum non oportere loco suo moveri. Hujus ætate inceperunt episcopi et presbyteri et diaconi bigami et trigami in ordines ascisci. Verum etiam si quis in ordine constitutus matrimonium ineat, manere talem hominem in ordine quasi non peccaverit; de hoc perhibens dictum esse quod ab Apostolo dictum est : Tu quis es qui judices alienum servum? Verum etiam parabolam de zizaniis ad hoc pertinere : Sinite zizania crescere cum tritico, hoc est in Ecclesia peccantes. Verum etiam arcam Noachi in similitudinem Ecclesiæ dixit factam esse, in qua canes et lupi et corvi omniaque munda immundaque fuerint, sic dictitans in Ecclesia oportere esse consimiliter; et quæcumque ad hoc congerere poterat, in hunc modum interpretatus est. Cujus auditores delectati placitis permanent illudentes et sibimet ipsis et multis, quorum turbæ ad scholam illam confluunt. Propterea et augentur superbientes turbis propter voluptates quas non permisit Christus, quo contempto nullum peccatum prohibent, dictitantes eum ignoscere volentibus. Etenim et mulieribus permisit ut, si innuptæ essent flagrarentque amore ætate indigna, vel dignitatem suam perdere nollent legitimo matrimonio, haberent unum, quemcumque eligerent, concubinum, sive servum sive liberum, eumque haberet pro marito non legitime nupta. Exinde mulieres, quæ dicebantur fideles, medicamenta tentare cœperunt quæ steriles faciunt, fasciasque ad partus abigendos, propterea quod nolebant e servo infantem habere neque

a viro tenuiore propter gentilitatem nimiamque rem familiarem. Videte quoad impietatis processerit improbus ille adulterium cædemque simul docendo : et inter hæc conamina impudentes illi catholicam Ecclesiam semet appellare aggrediuntur, nonnullique rem bene geri arbitrantes eis astipulantur. Hujus ætate primo baptismus iteratus ab iis tentatus est. Hæc igitur mirificentissimus Callistus condidit, cujus schola permanet custodiens mores traditionemque, non discernens quibuscum oporteat communicare, sed omnibus sine discrimine communionem afferens : a quo etiam cognominis traxerunt nuncupationem, ut propter antesignanum harum rerum Callistum appellarentur Callistiani. » (1)

(1) P. G. t. XVI. Part. III. p. 3377 sqq.

APPENDIX H.

DE CONTROVERSIA CIRCA VALIDITATEM BAPTISMI AB HÆRETICIS COLLATI (MED. SEC. III).

1. CYPRIANI Epistola 70. Ad Januarium et ceteros episcopos Numidas, de baptizandis hæreticis.

1. « Cyprianus, Liberalis, Caldonius, Junius, Primus, Cæcilius, Polycarpus, Nicomedes, Felix, Marrutius, Successus, Lucianus, Honoratus, Fortunatus, Victor, Donatus, Lucius, Herculanus, Pomponius, Demetrius, Quintus, Saturninus, Marcus, alius Saturninus, alius Donatus, Rogatianus, Sedatus, Tertullus, Hortensianus, item alius Saturninus, Sattius Januario, Saturnino, Maximo, Victori, alio Victori, Cassio, Proculo, Modiano, Cittino, Gargilio, Eutyciano, alio Gargilio, alio Saturnino, Nemesiano, Nampulo, Antoniano, Rogatiano, Honorato fratribus salutem. Cum simul in concilio essemus, fratres carissimi, legimus litteras vestras quas ad nos fecistis de iis qui apud hæreticos et schismaticos baptizati videntur, an ad ecclesiam catholicam, quæ una et vera est, venientes baptizari debeant. De qua re quamquam et ipsi illic veritatem et firmitatem catholicæ regulæ teneatis, tamen quoniam consulendos nos pro communi dilectione existimastis, sententiam nostram non novam promimus, sed jam pridem ab antecessoribus nostris statutam et a nobis observatam vobiscum pari consensione conjungimus, censentes scilicet et pro certo tenentes neminem foris baptizari extra ecclesiam posse, cum sit baptisma unum in sancta ecclesia constitutum.... Oportet ergo mundari et sanctificari aquam prius a sacerdote, ut possit baptismo suo peccata hominis qui baptizatur abluere.... Quomodo autem mundare et sanctificare aquam posset qui ipse immundus est et apud quem Spiritus Sanctus non est? cum Dominus dicat in Numeris : Et omnia quæcumque tetigerit immundus immunda erunt? Aut quomodo baptizans dare alteri remissam peccatorum potest qui ipse sua peccata deponere extra ecclesiam non potest?

2. » Sed et ipsa interrogatio quæ fit in baptismo testis est veritatis.

Nam cum dicimus, Credis in vitam æternam et remissionem peccatorum per sanctam ecclesiam? intelligimus remissionem peccatorum non nisi in ecclesia dari, apud hæreticos autem, ubi ecclesia non sit, non posse peccata dimitti. Itaque qui hæreticos baptizare posse asserunt, aut interrogationem mutent, aut vindicent veritatem, nisi si eis et ecclesiam tribuunt quos baptisma habere contendunt. Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei et habere in se gratiam Christi possit. Porro autem eucharistia est unde baptizati unguntur oleo in altari sanctificato. Sanctificare autem non potuit olei creaturam qui nec altare habuit nec ecclesiam. Unde nec unctio spiritualis apud hæreticos potest esse, quando constet oleum sanctificari et eucharistiam fieri apud illos omnino non posse.... Quis autem potest dare quod ipse non habeat, aut quomodo potest spiritualia agere qui ipse amiserit Spiritum Sanctum?....

3. » Ceterum probare est hæreticorum et schismaticorum baptisma consentire in id quod illi baptizaverint. Neque enim potest pars illic inanis esse et pars prævalere. Si baptizare potuit, potuit et Spiritum Sanctum dare. Si autem Spiritum Sanctum dare non potest, quia foris constitutus cum Sancto Spiritu non est, nec baptizare venientem potest, quando et baptisma unum sit, et Spiritus Sanctus unus, et una ecclesia a Christo Domino super Petrum origine unitatis et ratione fundata.... » (1)

2. CYPRIANI Epistola 71. Ad Quintum, de hæreticis baptizandis.

1. « Cyprianus Quinto fratri salutem. Retulit ad me, frater carissime, Lucianus compresbyter noster te desiderasse ut significaremus tibi quid sentiamus de his qui apud hæreticos et schismaticos baptizati videntur. De qua re quid nuper in concilio plurimi coepiscopi cum compresbyteris qui aderant censuerimus ut scires, ejusdem epistolæ exemplum tibi misi. Nescio etenim qua præsumptione ducuntur quidam de collegis nostris ut putent eos qui apud hæreticos tincti sunt, quando ad nos venerint, baptizari non oportere, eo quod dicunt unum baptisma esse; quod unum scilicet ideo est, quia ecclesia una est, et esse baptisma extra ecclesiam non potest. Nam cum duo baptismata esse non possint, si hæretici vere baptizant, ipsi habent baptisma. Et qui hoc

(1) P. L. t. III. p. 1036 sqq.

illis patrocinium de auctoritate sua præstat, cedit illis et consentit ut hostis et adversarius Christi habere videatur abluendi et purificandi et sanctificandi hominis potestatem. Nos autem dicimus eos qui inde veniunt non rebaptizari apud nos, sed baptizari. Neque enim accipiunt illic aliquid ubi nihil est; sed veniunt ad nos ut hic accipiant ubi et gratia et veritas omnis est, quia et gratia et veritas una est. Porro autem quidam de collegis nostris malunt hæreticis honorem dare quam nobis consentire; et dum unius baptismi asseveratione baptizare venientes nolunt, sic aut duo baptismata ipsi faciunt, dum et apud hæreticos baptisma esse dicunt, aut certe, quod est gravius, hæreticorum sordidam et profanam tinctionem vero et unico et legitimo ecclesiæ catholicæ baptismo præponere et præferre contendunt, non considerantes scriptum esse : *Qui baptizatur a mortuo, quid proficit lavatio ejus?* Manifestum est autem eos qui non sunt in ecclesia Christi inter mortuos computari nec posse ab eo vivificari alterum qui ipse non vivat, quando una sit ecclesia, quæ vitæ æternæ gratiam consecuta et vivit in æternum et vivificat Dei populum.

2. » Et dicunt se in hoc veterem consuetudinem sequi, quando apud veteres hæreseos et schismatum prima adhuc fuerint initia, ut hi illic essent qui de ecclesia recedebant, et hic baptizati prius fuerant; quos tunc tamen ad ecclesiam revertentes et pœnitentiam agentes necesse non erat baptizare. Quod nos quoque hodie observamus, ut quos constet hic baptizatos esse et a nobis ad hæreticos transiisse, si postmodum peccato suo cognito et errore digesto ad veritatem et matricem redeant, satis sit in pœnitentiam manum imponere: ut quia ovis jam fuerat, hanc ovem abalienatam et errabundam in ovile suum pastor recipiat. Si autem qui ab hæreticis venit baptizatus in ecclesia prius non fuit, sed alienus in totum et profanus venit, baptizandus est ut ovis fiat, quia una est aqua in ecclesia sancta quæ oves faciat. Et iccirco quia nihil potest esse commune mendacio et veritati, tenebris et luci, morti et immortalitati, antichristo et Christo, per omnia debemus ecclesiæ catholicæ unitatem tenere nec in aliquo fidei et veritatis hostibus cedere. Non est autem de consuetudine præscribendum, sed ratione vincendum. Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit et super quem ædificavit ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, vindicavit sibi aliquid insolenter aut arroganter assumpsit, ut diceret se primatum tenere et obtemperari a novellis et posteris sibi potius oportere. Nec despexit Paulum quod ecclesiæ prius persecutor fuisset, sed consilium veritatis admisit, et

rationi legitimæ quam Paulus vindicabat facile consensit, documentum scilicet nobis et concordiæ et patientiæ tribuens, ut non pertinaciter nostra amemus, sed quæ aliquando a fratribus et collegis nostris utiliter et salubriter suggeruntur, si sint vera et legitima, ipsa potius nostra ducamus.... Non enim vincimur quando offeruntur nobis meliora, sed instruimur, maxime in his quæ ad ecclesiæ unitatem pertinent et spei ac fidei nostræ veritatem; ut nos sacerdotes Dei et ecclesiæ ejus de ipsius dignatione præpositi sciamus remissam peccatorum non nisi in ecclesia dari posse, nec posse adversarios Christi quidquam sibi circa ejus gratiam vindicare. Quod quidem et Agrippinus bonæ memoriæ vir cum ceteris coepiscopis suis qui illo in tempore in provincia Africa et Numidia ecclesiam Dei gubernabant statuit et librato consilii communis examine firmavit. Quorum sententiam et religiosam et legitimam et salutarem, fidei et ecclesiæ catholicæ congruentem, nos etiam secuti sumus. Et quales super hac re litteras fecerimus ut scires, exemplum earum ad notitiam tam tuam quam coepiscoporum nostrorum qui illic sunt, pro communi dilectione transmisimus. Opto te, frater carissime, semper bene valere. » (1)

3. CYPRIANI Epistola 72. Ad Stephanum Papam, de Concilio.

1. « Cyprianus et ceteri Stephano fratri salutem. Ad quædam disponenda et consilii communis examinatione limanda necesse habuimus, frater carissime, convenientibus in unum pluribus sacerdotibus cogere et celebrare concilium, in quo multa quidem prolata atque transacta sunt. Sed de eo vel maxime tibi scribendum et cum tua gravitate ac sapientia conferendum fuit quod magis pertineat et ad sacerdotalem auctoritatem et ad ecclesiæ catholicæ unitatem pariter ac dignitatem de divinæ dispositionis ordinatione venientem, eos qui sint foris extra ecclesiam tincti et apud hæreticos et schismaticos profanæ aquæ labe maculati, quando ad nos atque ad ecclesiam, quæ una est, venerint, baptizari oportere, eo quod parum sit eis manum imponere ad accipiendum Spiritum Sanctum, nisi accipiant et ecclesiæ baptismum. Tunc enim demum plene sanctificari et esse filii Dei possunt, si sacramento utroque nascantur, cum scriptum sit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei. Invenimus enim etiam in Actis apostolorum hoc esse ab apostolis custoditum et salutaris fidei veritate servatum, ut cum in domo Cornelii centurionis super ethnicos qui illic aderant fidei calore ferventes

(1) P. L. t. IV. p. 408.

et in Dominum toto corde credentes descendisset Spiritus Sanctus, quo adimpleti variis linguis Deum benedicerent, nihilominus tamen beatum apostolum Petrum divini præcepti atque evangelii memorem præcepisse ut baptizarentur iidem illi qui jam fuerant Spiritu Sancto pleni, ut nihil prætermissum videretur quominus per omnia divini præcepti atque evangelii legem apostolica magisteria servarent. Baptismum autem non esse quo hæretici utuntur, nec quemquam apud eos qui Christo adversantur per gratiam Christi posse proficere, diligenter nuper expressum est in epistola quæ ad Quintum collegam nostrum in Mauritania constitutum super ea re scripta est, item in litteris quas collegæ nostri ad coepiscopos in Numidia præsidentes ante fecerunt; cujus utriusque epistolæ exempla subdimus hic.

2. » Addimus plane et adjungimus, frater carissime, consensu et auctoritate communi, ut etiam si qui presbyteri aut diaconi, qui vel in ecclesia catholica prius ordinati fuerint et postmodum perfidi ac rebelles contra ecclesiam steterint, vel apud hæreticos a pseudoepiscopis et antichristis contra Christi dispositionem profana ordinatione promoti sint et contra altare unum atque divinum sacrificia foris falsa ac sacrilega offerre conati sint, eos quoque hac conditione suscipi cum revertuntur, ut communicent laici, et satis habeant quod admittuntur ad pacem qui hostes pacis exstiterint, nec debere eos revertentes ea apud nos ordinationis et honoris arma retinere quibus contra nos rebellaverint.....

3. » Hæc ad conscientiam tuam, frater carissime, et pro honore communi et pro simplici dilectione pertulimus, credentes etiam tibi pro religionis tuæ et fidei veritate placere quæ et religiosa pariter et vera sunt. Ceterum scimus quosdam quod semel imbiberint nolle deponere nec propositum suum facile mutare, sed salvo inter collegas pacis et concordiæ vinculo quædam propria quæ apud se semel sint usurpata retinere. Qua in re nec nos vim cuiquam facimus aut legem damus, quando habeat in ecclesiæ administratione voluntatis suæ arbitrium liberum unusquisque præpositus, rationem actus sui Domino redditurus. Optamus te, frater carissime, semper bene valere. » (1)

4. CYPRIANI Epistola 73. Ad Jubaianum, de hæreticis baptizandis.

1. « Cyprianus Jubaiano fratri salutem. Scripsisti mihi, frater carissime, desiderans significari tibi motum animi nostri quid nobis videa-

(1) P. L. t. III. p. 1046.

tur de hæreticorum baptismo, qui foris positi et extra ecclesiam constituti vindicant sibi rem nec juris sui nec potestatis. Quod nos nec ratum possumus nec legitimum computare, quando hoc apud eos esse constet illicitum. Et quoniam jam super hac re quid sentiremus litteris nostris expressimus, ut compendium facerem, exemplum earumdem litterarum tibi misi, quid in Concilio, cum complures adessemus, decreverimus, quid item postea Quinto collegæ nostro de eadem re quærenti rescripserim. Et nunc quoque cum in unum convenissemus tam provinciæ Africæ quam Numidiæ episcopi numero septuaginta et unus, hoc idem denuo sententia nostra firmavimus, statuentes unum baptisma esse quod sit in ecclesia catholica constitutum, ac per hoc non rebaptizari sed baptizari a nobis quicumque ab adultera et profana aqua veniunt abluendi et sanctificandi salutaris aquæ veritate.

. . . .

3. » Apud nos autem non nova aut repentina res est ut baptizandos censeamus eos qui ab hæreticis ad ecclesiam veniunt, quando multi jam anni sint et longa ætas ex quo sub Agrippino bonæ memoriæ viro convenientes in unum episcopi plurimi hoc statuerint, atque exinde in hodiernum tot millia hæreticorum in provinciis nostris ad ecclesiam conversi non aspernati sint neque cunctati, immo et rationabiliter et libenter amplexi sint ut lavacri vitalis et salutaris baptismi gratiam consequerentur. Neque enim difficile est doctori vera et legitima insinuare ei qui hæretica pravitate damnata, et ecclesiastica veritate comperta, ad hoc venit ut discat, ad hoc discit ut vivat. Nos non debemus stuporem hæreticis patrocinio consensus nostri augere cum libenter ac prompte obtemperant veritati.

4. » Plane quoniam inveni in epistola cujus exemplum ad me transmisisti scriptum esse quod quærendum non sit quis baptizaverit, quando is qui baptizatus sit accipere remissam peccatorum potuerit secundum quod credidit, prætereundum hunc locum non putavi, maxime cum in eadem epistola animadverterim etiam Marcionis fieri mentionem, ut nec ab ipso venientes dicat baptizari oportere, quod jam in nomine Jesu Christi baptizati esse videantur. Considerare itaque debemus fidem eorum qui foris credunt, an secundum eamdem fidem possint aliquid gratiæ consequi. Nam si fides una est nobis et hæreticis, potest esse et gratia una. Si eumdem Patrem, eumdem Filium, eumdem Spiritum Sanctum, eamdem ecclesiam confitentur nobiscum Patripassiani, Anthropiani, Valentiniani, Appelletiani, Ophitæ, Mar-

cionitæ et ceteræ hæreticorum pestes et gladii ac venena subvertendæ veritatis, potest illic et baptisma unum esse, si est et fides una.

5. » Ac ne longum sit per hæreses universas decurrere et singularum vel ineptias vel insanias recensere, quia nec delectat id dicere quod aut horret aut pudet nosse, de Marcione interim solo, cujus mentio in epistola a te ad nos transmissa facta est, examinemus an possit baptismatis ejus ratio constare. Dominus enim post resurrectionem discipulos suos mittens, quemadmodum baptizare deberent instruxit et docuit dicens : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Ite ergo et docete gentes omnes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Insinuat Trinitatem, cujus sacramento gentes baptizarentur. Numquid hanc Trinitatem Marcion tenet? Numquid eumdem asserit quem et nos Patrem creatorem? Numquid eumdem novit Filium Christum de Maria virgine natum, qui Sermo caro factus sit, qui peccata nostra portaverit, qui mortem moriendo vicerit, qui resurrectionem carnis per semetipsum primus initiaverit, et discipulis suis quod in eadem carne resurrexisset ostenderit? Longe alia est apud Marcionem sed et apud ceteros hæreticos fides. Immo nihil est apud illos nisi perfidia et blasphemia et contentio sanctitatis et veritatis inimica. Quomodo ergo potest videri qui apud illos baptizatur consecutus esse peccatorum remissam et divinæ indulgentiæ gratiam per suam fidem qui ipsius fidei non habuerit veritatem? Si enim, sicut quibusdam videtur, secundum fidem suam quis accipere aliquid foris extra ecclesiam potuit, utique id accepit quod credidit. Falsum autem credens verum accipere non potuit, sec potius adultera et profana, secundum quod credebat, accepit.

6. » . . . . Quod si secundum pravam fidem baptizari aliquis foris et remissam peccatorum consequi potuit, secundum eamdem fidem consequi et Spiritum Sanctum potuit, et non est necesse ei venienti manum imponi ut Spiritum Sanctum consequatur et signetur. Aut utrumque enim fide sua foris consequi potuit, aut neutrum eorum qui foris fuerat accepit.

7. » Manifestum est autem ubi et per quos remissa peccatorum dari possit, quæ in baptismo scilicet datur. Nam Petro primum Dominus, super quem ædificavit ecclesiam, et unde unitatis originem instituit et ostendit, potestatem istam dedit ut id solveretur in cœlis quod ille solvisset in terris. Et post resurrectionem quoque ad Apostolos loquitur dicens : Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hoc

cum dixisset inspiravit, et ait illis : Accipite Spiritum Sanctum. Si cujus remiseritis peccata, remittentur illi; si cujus tenueritis, tenebuntur. Unde intelligimus nonnisi in ecclesia præpositis et in evangelica lege ac dominica ordinatione fundatis licere baptizare et remissam peccatorum dare, foris autem nec ligari aliquid posse nec solvi, ubi non sit qui aut ligare possit aliquid aut solvere.

. . . .

13. » Proinde frustra quidam qui ratione vincuntur consuetudinem nobis opponunt; quasi consuetudo major sit veritate, aut non id sit in spiritalibus sequendum quod in melius fuerit a Sancto Spiritu revelatum. Ignosci enim potest simpliciter erranti, sicut de se ipso dicit beatus apostolus Paulus : Qui primo, inquit, fui blasphemus et persecutor et injuriosus; sed misericordiam merui, quia ignorans feci. Post inspirationem vero et revelationem factam, qui in eo quod erraverat perseverat prudens et sciens, sine venia ignorantiæ peccat. Præsumptione enim atque obstinatione quadam nititur, cum ratione superetur. Nec quisquam dicat, quod accepimus ab apostolis hoc sequimur, quando apostoli non nisi unam ecclesiam tradiderint et baptisma unum, quod non nisi in eadem ecclesia sit constitutum, et neminem inveniamus ab apostolis, cum apud hæreticos baptizatus esset, in eodem baptismo admissum esse et communicasse, ut videantur apostoli baptisma hæreticorum probasse.

. . . .

15. » Si autem quid Apostoli de hæreticis senserint considerem us, inveniemus eos in omnibus epistolis suis execrari et detestari hæreticorum sacrilegam pravitatem.... Quare si rejectis humanæ contentionis erroribus ad evangelicam auctoritatem atque ad apostolicam traditionem sincera et religiosa fide revertamur, intelligemus nihil eis ad gratiam ecclesiasticam et salutarem licere qui spargentes atque impugnantes ecclesiam Christi, a Christo ipso adversarii, ab apostolis vero ejus antichristi nominantur.

16. » Non est autem quod aliquis ad circumveniendam christianam veritatem Christi nomen opponat ut dicat : in nomine Jesu Christi ubicumque et quomodocumque baptizati gratiam baptismi sunt consecuti; quando ipse Christus loquatur et dicat, Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, et iterum præmoneat atque instruat ne quis a pseudoprophetis et pseudochristis in nomine suo facile fallatur. Multi, inquit, venient

in nomine meo dicentes, Ego sum Christus, et multos fallent, et postea addidit dicens : Vos autem cavete. Ecce prædixi vobis omnia. Unde apparet non ea statim suscipienda et assumenda quæ jactantur in nomine Christi, sed quæ geruntur in Christi veritate.

17. » Quod enim in evangeliis et in apostolorum epistolis Jesu Christi nomen insinuatur ad remissionem peccatorum non ita est quasi aut sine Patre aut contra Patrem prodesse cuiquam solus Filius possit, sed ut Judæis, qui jactitabant se Patrem habere, ostenderetur quod nihil eis Pater profuturus esset, nisi in Filium crederent, quem ille misisset.... Alia enim fuit Judæorum sub apostolis ratio, alia est gentilium conditio. Illi, quia jam legis et Moysi antiquissimum baptisma fuerant adepti, in nomine quoque Jesu Christi erant baptizandi....

18. » Denique ubi post resurrectionem a Domino apostoli ad gentes mittuntur, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti baptizare gentiles jubentur. Quomodo ergo quidam dicunt foris extra ecclesiam, immo et contra ecclesiam, modo in nomine Jesu Christi, ubicumque et quomodocumque gentilem baptizatum remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus gentes baptizari jubeat in plena et adunata Trinitate? Nisi si qui Christum negat negatur a Christo, qui Patrem ejus negat, quem ipse Christus confessus sit, non negatur, et qui in eum blasphemat quem Christus Dominum et Deum suum dixerit, remuneratus a Christo remissionem peccatorum et baptismi sanctificationem consequitur. Qua autem potestate consequi in baptismo remissionem peccatorum potest negans Deum creatorem Patrem Christi, quando ipsam potestatem qua baptizamur et sanctificamur ab eodem Patre Christus acceperit....

21. » . . . . . Quare baptisma nobis et hæreticis commune esse non potest, cum quibus nec Pater Deus, nec Filius Christus, nec Spiritus Sanctus, nec fides, nec ecclesia ipsa communis est. Et ideo baptizari eos oportet qui de hæresi ad ecclesiam veniunt; ut qui legitimo et vero atque unico sanctæ ecclesiæ baptismo ad regnum Dei regeneratione divina præparantur, sacramento utroque nascantur, quia scriptum est : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest intrare in regnum Dei.

. . . .

23. » Sed dicit aliquis : Quid ergo fiet de his qui in præteritum de hæresi ad ecclesiam venientes sine baptismo admissi sunt? Potens est

Dominus misericordia sua indulgentiam dare et eos qui ad ecclesiam simpliciter admissi in ecclesia dormierunt ab ecclesiæ suæ muneribus non separare. Non tamen quia aliquando erratum est, ideo semper errandum est, cum magis sapientibus et Deum timentibus congruat patefactæ et perspectæ veritati libenter atque incunctanter obsequi quam pertinaciter atque obstinate contra fratres et consacerdotes pro hæreticis reluctari.

. . . .

26. » Hæc tibi breviter pro nostra mediocritate rescripsimus, frater carissime, nemini præscribentes aut præjudicantes quominus unusquisque episcoporum quod putat faciat, habens arbitrii sui liberam potestatem Nos, quantum in nobis est, propter hæreticos cum collegis et coepiscopis nostris non contendimus, cum quibus divinam concordiam et dominicam pacem tenemus; maxime cum et apostolus dicat: Si quis autem putatur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque ecclesia Dei. Servatur a nobis patienter et leniter caritas animi, collegii honor, vinculum fidei et concordia sacerdotii. Propter hoc etiam libellum nunc de bono patientiæ, quantum valuit nostra mediocritas, permittente Domino et inspirante conscripsimus, quem ad te pro mutua dilectione transmisimus. Opto te, frater carissime, semper bene valere. » (1)

5. CYPRIANI Epistola 74. Ad Pompeium, contra epistolam Stephani, de hæreticis baptizandis.

1. « Cyprianus Pompeio fratri salutem. Quamquam plene ea quæ de hæreticis baptizandis dicenda sunt, complexi sumus in epistolis quarum ad te exempla transmisimus, frater carissime, tamen quia desiderasti in notitiam tuam perferri quid mihi ad litteras nostras Stephanus frater noster rescripserit, misi tibi rescripti ejus exemplum : quo lecto, magis ac magis ejus errorem denotabis, qui hæreticorum causam contra Christianos et contra ecclesiam Dei asserere conatur. Nam inter cetera vel superba vel ad rem non pertinentia, vel sibi ipsi contraria quæ imperite atque improvide scripsit, etiam illud adjunxit ut diceret : Si quis ergo a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam, cum ipsi hæretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum.

(1) P. L. t. III. p. 1109 sqq.

2. » A quacumque hæresi venientem baptizari in ecclesia vetuit, id est, omnium hæreticorum baptismata justa esse et legitima judicavit. Et cum singulæ hæreses singula baptismata et diversa peccata habeant, hic cum omnium baptismo communicans universorum delicta in sinum suum coacervata congessit. Et præcepit nihil aliud innovari nisi quod traditum est; quasi is innovet qui unitatem tenens, unum baptisma uni ecclesiæ vindicat et non ille utique qui unitatis oblitus mendacia et contagia profanæ tinctionis usurpat. Nihil innovetur, inquit, nisi quod traditum est. Unde est ista traditio? Utrumne de dominica et evangelica auctoritate descendens, an de apostolorum mandatis atque epistolis veniens? Ea enim facienda esse quæ scripta sunt Deus testatur et præmonet ad Jesum Nave dicens : Non recedet liber legis hujus ex ore tuo, sed meditaberis in eo die ac nocte, ut observes facere omnia quæ scripta sunt in eo. Item Dominus apostolos suos mittens mandat baptizari gentes et doceri ut observent omnia quæcumque ille præcepit. Si ergo aut in evangelio præcipitur aut in apostolorum epistolis vel actibus continetur ut a quacumque hæresi venientes non baptizentur, sed tantum manus illis imponatur in pœnitentiam, observetur divina hæc et sancta traditio. Si vero ubique hæretici nihil aliud quam adversarii et antichristi nominantur, si vitandi et perversi et a semetipsis damnati pronuntiantur, quale est ut videantur damnandi a nobis non esse quos constat apostolica contestatione a semetipsis damnatos esse? Ut nemo infamare apostolos debeat, quasi illi hæreticorum baptismata probraverint, aut eis sine ecclesiæ baptismo communicaverint, quando talia de hæreticis apostoli scripserint, et hoc cum nondum hæreticæ pestes acriores prorupissent, necdum quoque Marcion Ponticus de Ponto emersisset, cujus magister Cerdon sub Hygino tunc episcopo qui in Urbe nonus fuit, Romam venit; quem Marcion secutus, additis ad crimen augmentis, impudentius ceteris et abruptius in Deum Patrem creatorem blasphemare instituit, et hæreticum furorem sacrilegis armis contra ecclesiam rebellantem sceleratius et gravius armaverit.

3. » Quod si hæreses constat postmodum plures ac pejores exstitisse, et si retro nusquam omnino præceptum est neque conscriptum ut hæretico tantum manus in pœnitentiam imponatur et sic ei communicetur, et si baptisma non nisi unum est, quod apud nos est, et intus est, et soli ecclesiæ de divina dignatione concessum est, quæ ista obstinatio est, quæve præsumptio, humanam traditionem divinæ dispositioni anteponere, nec animadvertere indignari et irasci Deum quoties divina præcepta solvit et præterit humana traditio, sicut per

Esaiam prophetam clamat et dicit : Populus iste labiis honorificat me, cor vero eorum longe separatum est a me. Sine causa autem colunt me, mandata et doctrinas hominum docentes. Item Dominus in evangelio increpans similiter et objurgans ponit et dicit : Rejicitis mandatum Dei ut traditionem vestram statuatis. Cujus præcepti memor beatus apostolus commonet ipse quoque et instruit dicens : Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis verbis Domini Jesu Christi et doctrinæ ejus, stupore elatus est, nihil sciens, discede ab hujusmodi.

4. » Præclara sane et legitima traditio Stephano fratre nostro docente proponitur, quæ auctoritatem nobis idoneam præbeat. Nam in eodem loco epistolæ suæ addidit et adjecit : Cum ipsi hæretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum. Ad hoc enim malorum devoluta est ecclesia Dei et sponsa Christi ut hæreticorum exempla sectetur, ut ad celebranda sacramenta cœlestia disciplinam lux de tenebris mutuetur, et id faciant christiani quod antichristi faciunt. Quæ vero est animi cæcitas, quæ pravitas, fidei unitatem de Deo Patre et de Jesu Christi Domini et Dei nostri traditione venientem nolle cognoscere? Nam si iccirco apud hæreticos ecclesia non est, quia una est et dividi non potest, et si ideo illic Spiritus Sanctus non est, quia unus est, et esse apud profanos et extraneos non potest, utique et baptisma, quod in eadem unitate consistit, esse apud hæreticos non potest, quia separari neque ab ecclesia neque a Spiritu Sancto potest.

5. » Aut si effectum baptismi majestati nominis tribuunt, ut qui in nomine Jesu Christi ubicumque et quomodocumque baptizantur, innovati et sanctificati judicentur, cur non in ejusdem Christi nomine illic et manus baptizato imponetur ad accipiendum Spiritum Sanctum, cur eadem majestas nominis non prævalet in manus impositione quam valuisse contendunt in baptismi sanctificatione? Nam si potest quis extra ecclesiam natus templum Dei fieri, cur non possit super templum et Spiritus Sanctus infundi? Qui enim peccatis in baptismo expositis sanctificatus est et in novum hominem spiritualiter reformatus, ad accipiendum Spiritum Sanctum idoneus factus est, quando apostolus dicat, Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis, qui potest apud hæreticos Christum induere, multo magis potest Spiritum Sanctum, quem Christus misit, accipere. Ceterum major erit mittente qui missus est, ut incipiat foris baptizatus Christum quidem induisse, sed Spiritum Sanctum non potuisse percipere,

quasi possit aut sine Spiritu Christus indui, aut a Christo Spiritus separari. Illud quoque quam ineptum est, ut cum nativitas secunda spiritualis sit, qua in Christo per lavacrum regenerationis nascimur, dicant quod possit quis apud hæreticos spiritaliter nasci, ubi Spiritum negant esse. Peccata enim purgare et hominem sanctificare aqua sola non potest, nisi habeat et Spiritum Sanctum. Quare aut Spiritum Sanctum necesse est concedant esse illic ubi baptisma esse dicunt, aut nec baptisma est ubi Spiritus Sanctus non est, quia baptisma esse sine Spiritu Sancto non potest.

6. » Quale est autem asserere et contendere quod esse possint filii Dei qui non sint in ecclesia nati? Baptisma enim esse in quo homo vetus moritur et novus nascitur manifestat et probat beatus apostolus dicens : Servavit nos per lavacrum regenerationis. Si autem in lavacro, id est in baptismo, est regeneratio, quomodo generare filios Deo hæresis per Christum potest, quæ Christi sponsa non est? Ecclesia est enim sola quæ Christo conjuncta et adunata spiritualiter filios generat, eodem apostolo rursus dicente : Christus dilexit ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea ut eam sanctificaret, purgans eam lavacro aquæ. Si igitur hæc est dilecta et sponsa quæ sola a Christo sanctificatur et lavacro ejus sola purgatur, manifestum est hæresim, quæ sponsa Christi non sit, nec purgari nec sanctificari lavacro ejus possit, filios Deo generare non posse.

7. » Porro autem non per manus impositionem quis nascitur quando accipit Spiritum Sanctum, sed in ecclesiæ baptismo, ut Spiritum Sanctum jam natus accipiat, sicut in primo homine Adam factum est. Ante enim Deus eum plasmavit, et tunc insufflavit in faciem ejus flatum vitæ. Nec enim potest accipi Spiritus, nisi prius fuerit qui accipiat. Cum autem novitas Christianorum in baptismo sit, baptismi autem generatio et sanctificatio apud solam sponsam Christi sit, quæ parere spiritualiter et generare filios Deo possit, ubi et ex qua et cui natus est qui filius ecclesiæ non est, ut habere quis possit Deum patrem ante ecclesiam matrem? Cum vero nulla omnino hæresis, sed neque aliquod schisma habere salutaris baptismi sanctificationem foris possit, cur in tantum Stephani fratris nostri obstinatio dura prorupit ut etiam de Marcionis baptismo, item Valentini et Apelletis, et ceterorum blasphemantium in Deum Patrem contendat filios Deo nasci, et illic in nomine Jesu Christi dicat remissionem peccatorum dari ubi blasphematur in Deum Patrem et in Dominum Deum Christum?

8. » Quo in loco considerandum est, frater carissime, pro fide et religione loci sacerdotalis, quo fungimur, an constare sacerdoti Dei ratio in die judicii possit asserenti et probanti et in acceptum referenti blasphemantium baptismata, cum Dominus comminetur et dicat : Et nunc præceptum hoc ad vos est, o sacerdotes, si non audieritis, et si non posueritis in corde vestro ut detis honorem nomini meo, dicit Dominus omnipotens, immittam in vos maledictionem, et maledicam benedictionem vestram. Dat honorem Deo qui Marcionis baptismo communicat? Dat honorem Deo qui apud eos qui in Deum blasphemant remissionem peccatorum dari judicat? Dat honorem Deo qui foris de adultera et fornicaria nasci Deo filios asseverat? Dat honorem Deo qui unitatem et veritatem de divina lege venientem non tenens hæreses contra ecclesiam vindicat? Dat honorem Deo qui hæreticorum amicus et inimicus christianorum sacerdotes Dei veritatem Christi et ecclesiæ unitatem tuentes abstinendos putat? Si sic honor Deo datur, si sic a cultoribus et sacerdotibus ejus Dei timor et disciplina servatur, abjiciamus arma, manus demus in captivitatem, tradamus diabolo ordinationem evangelii, dispositionem Christi, majestatem Dei, divinæ militiæ sacramenta solvantur, castrorum cœlestium signa prodantur, succumbat et cedat ecclesia hæreticis, lux tenebris, fides perfidiæ, spes desperationi,' ratio errori, immortalitas morti, caritas odio, veritas mendacio, Christus antichristo. Merito et sic in dies singulos schismata et hæreses surgunt, crebrius atque uberius excrescunt, et serpentinis crinibus pullulantes adversus ecclesiam Dei majoribus viribus venenorum suorum virus expromunt, dum illis advocatione quorumdam et auctoritas præstatur et firmitas, dum baptisma eorum defenditur, dum fides, dum veritas proditur, dum id quod contra ecclesiam foris geritur intus in ipsa ecclesia vindicatur.

9. ». Quod si est apud nos, frater dilectissime, Dei timor, si tenor prævalet fidei, si custodimus Christi præcepta, si incorruptam atque inviolatam sponsæ ejus sanctitatem tuemur, si hærent sensibus et cordibus nostris verba Domini dicentis, Putas cum venerit filius hominis, inveniet fidem in terra? quia fideles Dei milites, qui Deo fide et religione sincera militamus, commissa nobis divinitus castra fideli virtute servemus. Nec consuetudo quæ apud quosdam obrepserat impedire debet quominus veritas prævaleat et vincat. Nam consuetudo sine veritate vetustas erroris est. Propter quod relicto errore sequamur veritatem, scientes quia et apud Esdram veritas

vincit, sicut scriptum est : Veritas manet et invalescit in æternum et vivit et obtinet in sæcula sæculorum. Nec est apud eam accipere personam nec differentias, sed quæ sunt justa facit, nec est in judicio ejus iniquum, sed fortitudo, et regnum, et majestas, et potestas omnium sæculorum. Benedictus Dominus Deus veritatis. Quam veritatem nobis Christus ostendens in evangelio suo dicit : Ego sum veritas. Propter quod si in Christo sumus et Christum in nobis habemus, si manemus in veritate, et veritas in nobis manet, ea quæ sunt vera et recta teneamus.

10. » Fit autem studio præsumptionis et contumaciæ ut quis magis sua prava et falsa defendat quam ad alterius recta et vera consentiat. Cui rei prospiciens beatus apostolus Paulus ad Timotheum scribit et monet episcopum non litigiosum nec contentiosum, sed mitem et docibilem esse debere. Docibilis autem ille est qui est ad discendi patientiam lenis et mitis. Oportet enim episcopum non tantum docere, sed et discere, quia et ille melius docet qui quotidie crescit et proficit discendo meliora. Quod ipsum quoque idem apostolus Paulus docet præmonens ut si alii sedenti melius revelatum fuerit, prior taceat. In compendio est autem apud religiosas et simplices mentes et errorem deponere et invenire atque eruere veritatem. Nam si ad divinæ traditionis caput et originem revertamur, cessat error humanus, et sacramentorum cœlestium ratione perspecta, quidquid sub caligine ac nube tenebrarum obscurum latebat in lucem veritatis aperitur. Si canalis aquam ducens, qui copiose prius et largiter profluebat, subito deficiat, nonne ad fontem pergitur, ut illic defectionis ratio noscatur, utrumne arescentibus venis in capite unda siccaverit, an vero integra inde et plena procurrens in medio itinere destiterit; ut si vitio interrupti aut bibuli canalis effectum est quominus aqua continua perseveranter ac jugiter flueret, refecto ac confirmato canali ad usum atque ad potum civitatis aqua collecta eadem ubertate atque integritate repræsentetur qua de fonte proficiscitur? Quod et nunc facere oportet Dei sacerdotes præcepta divina servantes, ut si in aliquo nutaverit et vacillaverit veritas, ad originem dominicam et ad evangelicam atque apostolicam traditionem revertamur, et inde surgat actus nostri ratio unde et ordo et origo surrexit.

11. » Traditum est enim nobis quod sit unus Deus, et Christus unus, et una spes, et fides una, et una ecclesia, et baptisma unum nonnisi in una ecclesia constitutum; a qua unitate quisquis discesserit, cum

hæreticis necesse est inveniatur; quos dum contra ecclesiam vindicat, sacramentum divinæ traditionis impugnat. Cujus unitatis sacramentum expressum videmus etiam in Cantico Canticorum ex persona Christi dicentis : Hortus conclusus, sŏror mea, sponsa, fons signatus, puteus aquæ vivæ, paradisus cum fructu pomorum. Si autem ecclesia ejus hortus conclusus est et fons signatus, quomodo in eumdem hortum introire aut bibere de fonte ejus potest qui in ecclesia non est? Item Petrus ipse quoque demonstrans et vindicans unitatem mandavit et monuit nisi per unum solum baptisma unius ecclesiæ salvari nos non posse. In arca, inquit, Noe pauci, id est, octo animæ hominum salvæ factæ sunt per aquam, quod et vos similiter salvos faciet baptisma. Quam brevi et spiritali compendio unitatis sacramentum manifestavit? Nam ut in illo mundi baptismo, quo iniquitas antiqua purgata est, qui in arca Noe non fuit non potuit per aquam salvatus fieri, ita nec nunc potest per baptismum salvatus videri qui baptizatus in ecclesia non est, quæ ad arcæ unius sacramentum dominica unitate fundata est.

12. » Observatur itaque a nobis et tenetur, frater carissime, explorata et perspecta veritate ut omnes qui ex quacumque hæresi ad ecclesiam convertuntur, ecclesiæ unico et legitimo baptismo baptizentur, exceptis his qui baptizati in ecclesia prius fuerant, et sic ad hæreticos transierant. Illos enim oportet, cum redeunt, acta pœnitentia per manus impositionem solam recipi et in ovile, unde erraverant, a pastore restitui. Opto te, frater carissime, semper bene valere. » (1)

6. Firmiliani *Episcopi Cæsareæ Cappadociæ* Epistola ad Cyprianum contra epistolam Stephani. (*Inter Cypriani Epist.* 75).

1. « Firmilianus Cypriano fratri in Domino salutem. Accepimus per Rogatianum carissimum nostrum diaconum a vobis missum litteras quas ad nos fecisti, frater dilectissime; et gratias propter hoc Domino maximas egimus quod contigerit ut qui corpore ab invicem separamur, sic spiritu adunemur quasi non unam tantum regionem tenentes, sed in ipsa atque in eadem domo habitantes.....

2. » ..... Gratiam referre Stephano in isto possumus quod per illius inhumanitatem nunc effectum sit ut fidei et sapientiæ vestræ experimentum caperemus. Sed non enim si nos propter Stephanum

(1) P. L. t. III. p. 1127.

hanc beneficii gratiam cepimus, statim Stephanus beneficio et gratia digna commisit. Neque enim et Judas perfidia sua et proditione, qua scelerate circa Salvatorem operatus est, dignus videri potest quasi causam bonorum tantorum ipse præstiterit ut per illum mundus et gentium populus passione Domini liberaretur.

3. » Sed hæc interim quæ ab Stephano gesta sunt prætereantur; ne dum audaciæ et insolentiæ ejus meminimus, de rebus ab eo improbe gestis longiorem mæstitiam nobis inferamus. De vobis autem cognoscentes quod secundum regulam veritatis et sapientiam Christi hoc de quo nunc quæritur disposueritis, cum magna lætitia exsultavimus et Deo gratias egimus, quia invenimus in fratribus tam longe positis tantam nobiscum fidei et veritatis unanimitatem.....

. . . .

6. » Eos autem qui Romæ sunt non ea in omnibus observare quæ sint ab origine tradita et frustra apostolorum auctoritatem prætendere scire quis etiam inde potest quod circa celebrandos dies Paschæ et circa multa alia divinæ rei sacramenta videat esse apud illos aliquas diversitates, nec observari illic omnia æqualiter quæ Hierosolymis observantur, secundum quod in ceteris quoque plurimis provinciis multa pro locorum et nominum diversitate variantur, nec tamen propter hoc ab ecclesiæ catholicæ pace atque unitate aliquando discessum est. Quod nunc Stephanus ausus est facere, rumpens adversum vos pacem, quam semper antecessores ejus vobiscum amore et honore mutuo custodierunt, adhuc etiam infamans Petrum et Paulum beatos apostolos, quasi hoc ipsi tradiderint, qui in epistolis suis hæreticos execrati sunt et ut eos evitemus monuerunt. Unde apparet traditionem hanc humanam esse quæ hæreticos asserit et baptisma, quod non nisi solius ecclesiæ est, eos habere defendit.

7. » Sed et ad illam partem bene a vobis responsum est ubi Stephanus in epistola sua dixit hæreticos quoque ipsos in baptismo convenire, et quod alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum, quasi et nos hoc facere debeamus.... Hæretici, si se ab ecclesia Dei sciderint, nihil habere potestatis aut gratiæ possunt, quando omnis potestas et gratia in ecclesia constituta sit, ubi præsident majores natu, qui et baptizandi et manum imponendi et ordinandi possident potestatem. Hæretico enim sicut ordinare non licet nec manum imponere, ita nec baptizare, nec quidquam sancte nec spiritualiter gerere, quando alienus sit a spirituali et deifica sanctitate. Quod totum nos jampridem in Iconio, qui Phrygiæ locus est, collecti in unum, conve-

nientibus ex Galatia et Cilicia et ceteris proximis regionibus, confirmavimus tenendum contra hæreticos firmiter et vindicandum, cum a quibusdam de ista re dubitaretur.

. . . .

9. » Illud quoque ipsum absurdum quod non putant quærendum esse quis sit ille qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus sit gratiam consequi poterit invocata trinitate nominum Patris et Filii et Spiritus Sancti. Deinde hæc erit sapientia quam scribit Paulus esse in his qui perfecti sunt. At quis est in ecclesia perfectus et sapiens qui hoc aut defendat aut credat quod invocatio hæc nominum nuda sufficiat ad remissionem peccatorum et baptismi sanctificationem, cum hæc tunc utique proficiant quando et qui baptizat habet Spiritum Sanctum et baptisma quoque ipsum non sit sine Spiritu constitutum? Sed dicunt eum qui quomodocumque foris baptizatur, mente et fide sua baptismi gratiam consequi posse. Quod et ipsum sine dubio ridiculum est, quasi de cœlo adducere ad se possit aut mens prava justorum sanctificationem aut fides falsa credentium veritatem....

10. » Volo autem vobis et de historia quæ apud nos facta est exponere ad hoc ipsum pertinente. Ante viginti enim et duos fere annos, temporibus post Alexandrum Imperatorem.... emersit istic subito quædam mulier, quæ in ecstasin constituta propheten se præferret, et quasi Sancto Spiritu plena sic ageret. Ita autem principalium dæmoniorum impetu ferebatur ut per longum tempus sollicitaret et deciperet fraternitatem, admirabilia quædam et portentosa perficiens.... [donec] unus de exorcistis.... inspiratus Dei gratia fortiter restitit, et esse illum nequissimum spiritum qui prius sanctus putabatur ostendit. Atque illa mulier, quæ prius per præstigias et fallacias dæmonis multa ad deceptionem fidelium moliebatur, inter cetera quibus plurimos deceperat, etiam hoc frequenter ausa est ut et invocatione non contemptibili sanctificare se panem et eucharistiam facere simularet, et sacrificium Domino sine sacramento solitæ prædicationis offerret, baptizaret quoque multos usitata et legitima verba interrogationis usurpans, ut nil discrepare ab ecclesiastica regula videretur.

11. » Quid igitur de hujus baptismo dicemus, quo nequissimus dæmon per mulierem baptizavit? Numquid et hoc Stephanus et qui illi consentiunt comprobant, maxime cui nec symbolum Trinitatis nec interrogatio legitima et ecclesiastica defuit? Potest credi aut remissio peccatorum data aut lavacri salutaris regeneratio rite perfecta ubi omnia, quamvis ad imaginem veritatis, tamen per dæmonem gesta

sunt? Nisi si et dæmonem in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti gratiam baptismi dedisse contendunt qui hæreticorum baptisma defendunt; apud quos sine dubio idem error est, dæmonum fallacia ipsa est, quando apud illos omnino Spiritus Sanctus non est.

12. » Illud etiam quale est quod vult Stephanus, his qui apud hæreticos baptizantur adesse præsentiam et sanctimoniam Christi? Nam si non mentitur apostolus dicens, Quotquot in Christo tincti estis, Christum induistis, utique qui illic in Christo baptizatus est induit Christum. Si autem induit Christum, accipere potuit et Spiritum Sanctum, qui a Christo missus est, et frustra illi venienti ad accipiendum Spiritum manus imponitur; nisi si a Christo Spiritum induit ut apud hæreticos sit quidem Christus, non sit autem illic Spiritus Sanctus.

. . . .

14. » Quod si baptisma hæreticorum habere potest regenerationem secundæ nativitatis, non hæretici sed filii Dei computandi sunt qui apud illos baptizantur. Secunda enim nativitas quæ est in baptismo filios Dei generat. Si autem sponsa Christi una est, quæ est ecclesia catholica, ipsa est quæ sola generat Dei filios..... Non est autem una nobiscum hæreticorum synagoga, quia nec sponsa est adultera et fornicaria. Unde nec potest filios Dei parere. Nisi si, secundum quod Stephano videtur, hæresis quidem parit et exponit, expositos autem ecclesia suscipit, et quos non ipsa pepererit pro suis nutrit, cum filiorum alienorum mater esse non possit.....

. . . .

17. » Atque ego in hac parte juste indignor ad hanc tam apertam et manifestam Stephani stultitiam, quod qui sic de episcopatus sui loco gloriatur et se successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta ecclesiæ collocata sunt, multas alias petras inducat et ecclesiarum multarum nova ædificia constituat, dum esse illic baptisma sua auctoritate defendit. Nam qui baptizantur complent sine dubio ecclesiæ numerum. Qui autem baptisma eorum probat, de baptizatis et ecclesiam illic esse confirmat. Nec intelligit obfuscari a se et quodam modo aboleri christianæ petræ veritatem qui sic prodit et deserit unitatem. Judæos tamen quamvis ignorantia cæcos et gravissimo facinore constrictos, zelum Dei apostolus habere profitetur. Stephanus, qui per successionem cathedram Petri habere se prædicat, nullo adversus hæreticos zelo excitatur, concedens illis non modicam sed maximam gratiæ potestatem, ut dicat eos et asseveret per baptismi

sacramentum sordes veteris hominis abluere, antiqua mortis peccata donare, regeneratione cœlesti filios Dei facere, ad æternam vitam divini lavacri sanctificatione reparare. Qui sic magna et cœlestia munera hæreticis concedit et tribuit, quid aliud agit quam communicat eis quibus tantum gratiæ defendit ac vindicat? Et frustra jam dubitat in ceteris quoque consentire eis et particeps esse, ut et simul cum eis conveniat, et orationes pariter cum eisdem misceat, et altare ac sacrificium commune constituat.

18. » Sed in multum, inquit, proficit nomen Christi ad fidem et baptismi sanctificationem, ut quicumque et ubicumque in nomine Christi baptizatus fuerit, consequatur statim gratiam Christi, quando huic loco breviter occurri possit et dici quoniam si in nomine Christi valuit foris baptisma ad hominem purgandum, in ejusdem Christi nomine valere illic potuit et manus impositio ad accipiendum Spiritum Sanctum. Et incipient cetera quoque quæ apud hæreticos aguntur justa et legitima videri, quando in nomine Christi gerantur, secundum quod vos in epistola vestra exsecuti estis non nisi in ecclesia sola valere posse nomen Christi, cui uni concesserit Christus cœlestis gratiæ potestatem.

19. » Quod autem pertinet ad consuetudinem refutandam, quam videntur opponere veritati, quis tam vanus sit ut veritati consuetudinem præferat, aut qui perspecta luce tenebras non derelinquat? Nisi si et Judæos Christo adventante, id est, veritate, adjuvat in aliquo antiquissima consuetudo, quod relicta nova veritatis via in vetustate permanserint. Quod quidem adversus Stephanum vos dicere Afri potestis, cognita veritate errorem vos consuetudinis reliquisse. Ceterum nos veritati et consuetudinem jungimus, et consuetudini Romanorum consuetudinem, sed veritatis, opponimus, ab initio hoc tenentes quod a Christo et ab apostolis traditum est. Nec meminimus hoc apud nos aliquando cœpisse, cum semper istic observatum sit ut nonnisi unam Dei ecclesiam nossemus et sanctum baptisma nonnisi sanctæ ecclesiæ computaremus. Plane quoniam quidam de eorum baptismo dubitabant qui etsi non ut nos prophetas recipiunt, eosdem tamen Patrem et Filium nosse nobiscum videntur, plurimi simul convenientes in Iconio diligentissime tractavimus et confirmavimus repudiandum esse omne baptisma quod sit extra ecclesiam constitutum.

. . . .

21. » Quid ergo, inquiunt, fiet de his qui ab hæreticis venientes sine ecclesiæ baptismo admissi sunt? Si de sæculo excesserunt, in eorum

numero habentur qui apud nos catechizati quidem sunt, sed prius quam baptizarentur obierunt, non modo dicunt [non modicum?] emolumentum veritatis et fidei, ad quam relicto errore pervenerant, etsi consummationem gratiæ consecuti non sunt morte præventi. Qui autem adhuc in sæculo permanent, baptizentur ecclesiæ baptismo, ut remissionem peccatorum consequi possint, ne per alienam præsumptionem in pristino errore manentes sine gratiæ consummatione moriantur.....

22. » .... Et non pudet Stephanum hoc asserere, ut per eos qui cum ipsi in omnibus peccatis sint constituti dicat posse remissionem peccatorum dari, quasi possit esse in domo mortis lavacrum salutis.

23. » Ubi ergo erit quod scriptum est, Ab aqua aliena abstine te et a fonte alieno ne biberis, si relicto ecclesiæ fonte signato, alienam aquam pro tua suscipis et profanis fontibus ecclesiam polluis? Quando enim baptismo hæreticorum communicas, quid aliud quam de voragine et cœno illorum bibis, et ipse ecclesiæ sanctificatione purgatus alienarum sordium contactibus inquinaris? Nec metuis judicium Dei hæreticis testimonium contra ecclesiam perhibens, cum scriptum sit : Falsus testis non erit impunitus? Quin immo tu hæreticis omnibus pejor es. Nam cum inde multi cognito errore suo ad te veniant ut ecclesiæ verum lumen accipiant, tu venientium errores adjuvas, et obscurato lumine ecclesiasticæ veritatis, tenebras hæreticæ noctis accumulas. Cumque se illi in peccatis esse et nihil gratiæ habere se ac propterea ad ecclesiam venire fateantur, tu eis remissionem peccatorum subtrahis quæ in baptismo datur, dum dicis eos jam baptizatos et extra ecclesiam ecclesiæ gratiam consecutos. Nec intelligis animas eorum de manu tua exquiri cum judicii dies venerit, qui sitientibus ecclesiæ potum negasti, et volentibus vivere causa mortis fuisti. Et insuper indignaris.

24. » Vide qua imperitia reprehendere audeas eos qui contra mendacium pro veritate nituntur. Quis enim justius indignari contra alterum debuit? Utrumne qui hostes Dei asserit, an vero qui adversus eum qui hostes Dei asserit pro ecclesiæ veritate consentit? Nisi quod imperitos etiam animosos atque iracundos esse manifestum est, dum per inopiam consilii et sermonis ad iracundiam facile vertuntur, ut de nullo alio magis quam de te dicat scriptura divina : Homo animosus parat lites, et vir iracundus exaggerat peccata. Lites enim et dissensiones quantas parasti per ecclesias totius mundi? Peccatum vero quam magnum tibi exaggerasti, quando te a tot gregibus scidisti?

Exscidisti te ipsum. Noli te fallere. Si quidem ille est vere schismaticus qui se a communione ecclesiasticæ veritatis apostatam fecerit. Dum enim putas omnes a te abstineri posse, solum te ab omnibus abstinuisti. Nec te informare ad regulam veritatis et pacis vel apostoli præcepta potuerunt monentis et dicentis : Obsecro ergo vos ego vinctus in Domino digne ambulare vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate sensus et lenitate, cum patientia sustinentes invicem in dilectione, satis habentes servare unitatem spiritus in conjunctione pacis, unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et pater omnium, qui super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis.

25. » Hæc apostoli mandata et monita salutaria quam diligenter Stephanus implevit, humilitatem sensus et lenitatem primo in loco servans. Quid enim humilius aut lenius cum tot episcopis per totum mundum dissensisse, pacem cum singulis vario discordiæ genere rumpentem, modo cum orientalibus, quod nec vos latere confidimus, modo vobiscum, qui in meridie estis, a quibus legatos episcopos patienter satis et leniter suscepit, ut eos nec ad sermonem saltem colloquii communis admitteret, adhuc insuper dilectionis et caritatis memor præciperet fraternitati universæ ne quis eos in domum suam reciperet, ut venientibus non solum pax et communio, sed et tectum et hospitium negaretur? Hoc est servasse unitatem spiritus in conjunctione pacis, abscindere a caritatis unitate, et alienum se per omnia fratribus facere, et contra sacramentum et fidem contumacis furore discordiæ rebellare? Apud talem potest esse unum corpus et unus spiritus, apud quem fortasse ipsa anima una non est, sic lubrica et mobilis et incerta? Sed quantum ad illum pertinet, relinquamus. Excutiamus potius id de quo maxima quæstio est. Qui contendunt ab hæreticis baptizatos sic recipi oportere tamquam legitimi baptismi gratiam consecutos, unum nobis atque illis baptisma dicunt esse et in nullo discrepare. Sed quid ait apostolus Paulus? Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus. Si unum atque idem est cum nostro baptisma hæreticorum, sine dubio et fides una est. Si autem fides una est, utique et Dominus unus est. Si Dominus unus est, consequens est dicere quia Deus unus est. Si autem hæc unitas, quæ separari omnino et dividi non potest, etiam apud hæreticos ipsa est, quid ultra contendimus, ut quid illos hæreticos et non christianos vocamus? Porro cum nobis et hæreticis nec Deus unus sit, nec Domi-

nus unus, nec una ecclesia, nec fides una, sed nec unus spiritus, aut corpus unum, manifestum est nec baptisma nobis et hæreticis commune esse posse, quibus nihil est omnino commune. Et tamen non pudet Stephanum talibus adversus ecclesiam patrocinium præstare et propter hæreticos asserendos fraternitatem scindere, insuper et Cyprianum pseudochristum et pseudoapostolum et dolosum operarium dicere. Qui omnia in se esse conscius prævenit ut alteri ea per mendacium objiceret quæ ipse ex merito audire deberet. Bene te valere omnibus nobis cum universis qui in Africa sunt episcopis et cunctis clericis et omni fraternitate universi optamus, ut perpetuo unanimes et unum sentientes habeamus nobiscum etiam de longinquo adunatos. » (1)

7. Sententiæ episcoporum 87 *seu* Acta Concilii Carthaginensis de hæreticis baptizandis.

» Cum in unum Carthagini convenissent kalendis Septembris episcopi plurimi ex provincia Africa, Numidia, Mauritania, cum presbyteris et diaconibus, præsente etiam plebis maxima parte, et lectæ essent litteræ Jubaiani ad Cyprianum factæ, item Cypriani ad Jubaianum rescriptæ, quidque postmodum Cypriano Jubaianus idem rescripserit, Cyprianus dixit : Audistis, collegæ dilectissimi, quid mihi Jubaianus coepiscopus noster scripserit consulens mediocritatem nostram de illicito et profano hæreticorum baptismo, et quid ei rescripserim, censens scilicet quod semel atque iterum et sæpe censuimus, hæreticos ad ecclesiam venientes ecclesiæ baptismo baptizari et sanctificari oportere. Item lectæ sunt vobis et aliæ Jubaiani litteræ, quibus pro sua sincera et religiosa devotione ad epistolam nostram rescribens, non tantum consensit sed etiam instructum se esse confessus gratias egit. Superest ut de hac ipsa re singuli quid sentiamus proferamus, neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes. Neque enim quisquam nostrum episcopum se esse episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit, quando habeat omnis episcopus pro licentia libertatis et potestatis suæ arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non possit quam nec ipse potest alterum judicare. Sed exspectemus universi judicium Domini nostri Jesu Christi, qui unus et solus habet potestatem et præponendi nos in ecclesiæ suæ gubernatione et de actu nostro judicandi.

(1) P. L. t. III. p. 1153 sqq.

Cæcilius a Bilta dixit : Ego unum baptisma in ecclesia solum scio, et extra ecclesiam nullum. Hic erit unum ubi spes vera est et fides certa. Sic enim scriptum est : Una fides, una spes, unum baptisma, non apud hæreticos, ubi spes nulla est et fides falsa.....

Primus a Misgirpa dixit : Censeo omnem hominem ab hæresi venientem baptizandum. Frustra enim illic putat se esse baptizatum, cum non sit baptisma nisi in ecclesia unum et verum : quia et Deus unus, et fides una, et ecclesia una est, in qua stat unum baptisma et sanctitas et cetera. Nam quæ foris exercentur nullum habent salutis effectum.

. . . .

Novatus a Thamugade dixit : .... Secundum testimonium Scripturarum et secundum decretum collegarum nostrorum sanctissimæ memoriæ virorum omnes schismaticos et hæreticos qui ad ecclesiam conversi sunt baptizari [debere], sed et eos qui ordinati videbantur, inter laicos recipi.

Nemesianus a Thubunis dixit : Baptisma quod dant hæretici et schismatici non esse verum ubique in Scripturis sanctis declaratum est.... [*Joan.* III]. Neque enim Spiritus sine aqua operari potest, neque aqua sine Spiritu. Male ergo sibi quidam interpretantur ut dicant quod per manus impositionem Spiritum Sanctum accipiant et sic recipiantur, cum manifestum sit utroque sacramento debere eos renasci in ecclesia catholica..... [*Gal.* v. 19-21] Condemnat itaque apostolus cum omnibus malis et eos qui divisionem faciunt, hoc est schismaticos et hæreticos. Nisi ergo acceperint baptisma salutare in ecclesia catholica, quæ una est, salvi esse non possunt, sed cum carnalibus in judicio Domini Christi damnabuntur.

Januarius a Lambese dixit : Secundum Scripturarum sanctarum auctoritatem decerno hæreticos omnes baptizandos, et sic in ecclesiam sanctam admittendos.

. . . .

Crescens a Cirta dixit : In tanto cœtu sanctissimorum consacerdotum lectis litteris Cypriani dilectissimi nostri ad Jubaianum, itemque ad Stephanum, quæ tantum in se sanctorum testimoniorum descendentium ex Scripturis deificis continent ut merito omnes per Dei gratiam adunati consentire debeamus, censeo omnes hæreticos et schismaticos qui ad catholicam ecclesiam voluerint venire non ante ingredi nisi exorcizati et baptizati prius fuerint, exceptis his sane qui in ecclesia catholica fuerint ante baptizati, ita tamen ut per manus impositionem in pœnitentiam ecclesiæ reconcilientur.

Nicomedes a Segermis dixit : Mea sententia hæc est, ut hæretici ad ecclesiam venientes baptizentur, eo quod nullam foris apud peccatores remissionem peccatorum consequantur.

. . . .

Successus ab Abbir Germaniciana dixit : Hæreticis aut nihil licet aut totum licet. Si possunt baptizare, possunt dare et Spiritum Sanctum. Si autem Spiritum Sanctum dare non possunt, quia non habent Spiritum Sanctum, nec baptizare spiritaliter possunt......

Fortunatus a Tuchabori dixit : Jesus Christus.... super petram ædificavit ecclesiam suam, non super hæresim, et potestatem baptizandi episcopis dedit, non hæreticis.......

. . . .

Privatianus a Sefetula dixit..... Si [hæresis] a Deo non est, quomodo gratiam Dei aut habere aut conferre alicui potest?

. . . .

Quietus a Baruch dixit : Qui fide vivimus, obsequi iis quæ instruendis nobis ante prædicta sunt credula observatione debemus. Nam scriptum est apud Salomonem : *Qui baptizatur a mortuo, quid proficit lavatio ejus?* Quod utique de his qui ab hæreticis tinguntur et de tingentibus loquitur. Si enim qui apud illos baptizantur per remissionem peccatorum vitam æternam consequuntur, cur ad ecclesiam veniunt?....

Castus a Sicca dixit : Qui contempta veritate præsumit consuetudinem sequi, aut circa fratres invidus est et malignus, quibus veritas revelatur, aut circa Deum ingratus est, cujus inspiratione ecclesia ejus instruitur.

Eucratius a Thenis dixit : Fidem nostram et baptismatis gratiam et legis ecclesiasticæ regulam Deus et Dominus noster Jesus Christus suo ore apostolos docens perimplevit dicens : *Ite, et docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Falsum ergo hæreticorum baptisma et iniquum a nobis pellendum est et omni detestatione refutandum, de quorum ore virus non vita, nec gratia cœlestis, sed blasphemia Trinitatis exprimitur....

Libosus a Vaga dixit : In evangelio Dominus, *Ego sum*, inquit, *veritas*. Non dixit, *Ego sum consuetudo*. Itaque veritate manifestata cedat consuetudo veritati, ut etsi in præteritum quis in ecclesia hæreticos non baptizabat, nunc baptizare incipiat.

. . . .

Item alius Felix ab Amaccora dixit : Et ego ipse secutus divinarum Scripturarum auctoritatem baptizandos hæreticos esse censeo, sed et eos qui apud schismaticos baptizatos se esse contendunt....

. . . .

Pomponius a Dionysiana dixit : Manifestum est hæreticos non posse baptizare et remissionem peccatorum dare, qui potestatem non habent ut aut solvere aut ligare aliquid in terris possint.

. . . .

Irenæus ab Ululis dixit : Si ideo ecclesia hæreticum non baptizat quod dicatur jam baptizatus esse, hæresis maior est.

. . . .

Zosimus a Tharassa dixit : Revelatione facta veritatis, cedat error veritati; quia et Petrus, qui prius circumcidebat, cessit Paulo veritatem prædicanti.

. . . .

Faustus a Timida regia dixit : Non sibi blandiantur qui hæreticis patrocinantur. Qui pro hæreticis ecclesiastico baptismati intercedit, illos christianos et nos hæreticos facit.

. . . .

Therapius a Bulla dixit : Qui hæreticis ecclesiæ baptisma concedit et prodit, quid aliud quam Judas sponsæ Christi exsistit?

. . . .

Item alius Felix a Bussacenis dixit : In hæreticis sine ecclesiæ baptismo admittendis nemo consuetudinem rationi et veritati præponat, quia consuetudinem ratio et veritas semper excludit.

. . . .

Verulus a Rusiccade dixit : Homo hæreticus dare non potest quod non habet; multo magis schismaticus, qui quod habuit amisit.

. . . .

Honoratus a Thucca dixit : Cum Christus veritas sit, magis veritatem quam consuetudinem sequi debemus, ut hæreticos.... ecclesiæ baptismo sanctificemus.

. . . .

Julius a Neapoli dixit : Ab eo quod semel censuimus non recedo, ut hæreticos venientes ad ecclesiam baptizemus.

Cyprianus a Carthagine dixit : Meam sententiam plenissime exprimit epistola quæ ad Jubaianum collegam nostrum scripta est, hæreticos secundum evangelicam et apostolicam contestationem et

adversarios Christi et antichristos appellatos, quando ad ecclesiam venerint, unico ecclesiæ baptismo baptizandos esse, ut possint fieri de adversariis amici et de antichristis christiani. » (1)

8. - Eusebius Cæsariensis Hist. Eccl. *lib.* *VII.*

Cap. II. « Interea Romæ cum Cornelius tribus circiter annis episcopatum tenuisset, Lucius in ejus locum substituitur. Qui vix octo mensium spatio perfunctus eo munere moriens episcopale officium Stephano dereliquit. Ad hunc Stephanum Dionysius [Alexandrinus episcopus] primam earum quæ de baptismo conscriptæ sunt epistolam exaravit, cum per id tempus non mediocris controversia exorta esset, utrum eos, qui ex qualibet hæresi convertuntur, baptismo purgari oporteret. Quippe antiqua consuetudo invaluerat, ut in ejusmodi hominibus sola manuum impositio cum precationibus adhiberetur.

Cap. III. » Primus omnium Cyprianus, qui tunc temporis Carthaginensem regebat ecclesiam, nonnisi per baptismum ab errore prius mundatos, admittendos esse censuit. Verum Stephanus nihil adversus traditionem, quæ jam inde ab ultimis temporibus obtinuerat, innovandum ratus, gravissime id tulit.

Cap. IV. » Ad hunc igitur, ut dixi, multa de hoc argumento Dionysius per litteras scripsit....

Cap. V. » .... Ceterum cum Stephanus ecclesiam biennio administrasset, Xystus in ejus locum successit. Ad hunc Dionysius secundam de baptismo scripsit epistolam : in qua Stephani simul ac reliquorum episcoporum sententiam ac judicium exponit, de Stephano ita scribens : Antea quidem litteras scripserat de Heleno, et de Firmiliano, de omnibus denique sacerdotibus per Ciliciam, Cappadociam cunctasque finitimas provincias constitutis; sese ob eam causam ab illorum communione discessurum, quod hæreticos rebaptizarent. Ac vide, quæso, gravitatem negotii. Revera enim in maximis, ut audio, episcoporum conciliis decretum est, ut qui ab hæreticis ad catholicam ecclesiam accedunt, primum catechumeni fierent, ac deinde veteris et impuri fermenti sordibus per baptismum purgarentur. De his omnibus ego ad illum epistolam misi, rogans atque obtestans. Et aliquanto post : Sed et carissimis, inquit, fratribus et compresbyteris nostris Dionysio ac Philemoni, qui prius idem cum Stephano senserant deque iisdem

(1) P. L. t. III. p. 1051 sqq.

rebus ad me scripserant, antea quidem breviter, nunc vero pluribus verbis scripsi.....

Cap. VII. » In tertia autem epistola ad Philemonem ecclesiæ Romanæ presbyterum de baptismo scripta, idem Dionysius.... Pauca deinde de universis hæreticis interlocutus, hæc subdit : Hanc ego regulam et formam a beatissimo Papa nostro Heracla accepi. Eos enim qui ab hæreticis veniebant, tametsi defecissent, seu potius non defecissent illi quidem, sed in speciem cum fratribus communicantes, clam perversæ doctrinæ magistros adire delati essent, ab ecclesia ejectos post multas tandem preces non prius admisit quam quæcumque ab adversariis audierant, palam exposuissent, ac tunc demum ad communionem eos admittebat, nequaquam existimans iterato baptismate eis opus esse. Quippe jam antea Spiritum Sanctum ab ipsa acceperant. Rursus hac quæstione abunde ventilata, concludit in hunc modum : Illud, inquit, præterea didici, non ab Afris solis hunc morem nunc primum invectum fuisse; sed et multo antea, superiorum episcoporum temporibus, in ecclesiis populosissimis, et in conciliis fratrum apud Iconium et Synnada, et apud alios plurimos idem sancitum fuisse. Quorum sententias et statuta subvertere eosque ad jurgia et contentiones excitare equidem nolim. Scriptum est enim : Non commutabis terminos proximi tui, quos parentes tui constituerunt. Quarta ejus de baptismo epistola ad Dionysium scripta est, tunc quidem Romanæ urbis presbyterum, sed qui aliquanto post tempore ejusdem urbis episcopus est constitutus....

Cap. IX. » Exstat et quinta ejusdem epistola ad Xystum Romanæ urbis episcopum scripta. In qua postquam adversus hæreticos multa disseruit, hujusmodi quiddam sua ætate contigisse narrat. Nam profecto, inquit, opus habeo, frater, consilio tuo, et sententiam tuam expeto, ne forte ipse halluciner, tali ad me negotio delato. Quidam ex fratribus qui ad ecclesiam conveniunt, jampridem pro fideli habitus, et qui ante meam ordinationem ac, ni fallor, ante ipsius quoque Heraclæ episcopatum, cœtus fidelium particeps fuerat, cum interfuisset baptismo eorum qui nuper baptizabantur et interrogationes responsaque illorum audiisset, ad me accessit flens et vicem suam ingemiscens; pedibusque meis advolutus confiteri atque dejerare cœpit baptismum, quo apud hæreticos initiatus fuerat, non hujusmodi esse, nec cum hoc nostro quidquam commune habere : quippe illum plenum esse blasphemiæ, et impietatis. Aiebatque animum suum acerbissimo doloris sensu compungi, ac ne oculos quidem ad Deum

attollere se audere : quippe qui scelestis illis verbis, ac cæremoniis initiatus fuisset. Proinde orabat, ut hoc purissimo lavacro verissimaque adoptione et gratia donaretur. Quod equidem facere non sum ausus : sed diuturnam illi communionem ad id sufficere dixi. Nam qui gratiarum actionem frequenter audierit, et qui cum ceteris responderit Amen, qui ad sacram mensam astiterit et manus ad suscipiendum sacrum cibum porrexerit; qui illum exceperit, et corporis ac sanguinis Domini Nostri Jesu Christi particeps fuerit diutissime, eum ego de integro renovare non ausim. Porro ut bono animo esset et cum firma fide bonæ spei plenus ad Dominici corporis participationem accederet, jussi. Verum ille nullum lugendi finem facit, et ad mensam accedere penitus exhorrescit; vixque rogatus interesse orationibus sustinet. Præter supradictas est etiam alia ejusdem epistola de baptismo, ipsius et ecclesiæ quam regebat nomine ad Xystum et ecclesiam urbis Romæ directa, in qua de proposita quæstione prolixam admodum disputationem instituit. » (1)

9. Hieronymus Dialog. adversus Luciferianos (*extr*).

23. « Conatus est beatus Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena : et idcirco hæreticorum baptisma reprobans, ad Stephanum tunc Romanæ urbis episcopum, qui a beato Petro vicesimus secundus fuit, super hac re Africanam Synodum direxit, sed conatus ejus frustra fuit. Denique illi ipsi episcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti, novum emisere decretum. Quid facimus? Ita et nobis majores nostri, et illis sui tradidere majores. Sed quid de posterioribus loquar? Apostolis adhuc apud Judæam Christi sanguine recenti, phantasma Domini corpus asserebatur; Galatas ad observationem legis traductos apostolus iterum parturit; Corinthios resurrectionem carnis non credentes pluribus argumentis ad verum iter trahere conatur. Tunc Simon magus, et Menander discipulus ejus, Dei se asseruere virtutes.... Ad eos venio hæreticos, qui evangelia laniaverunt, Saturninum quemdam, et Ophitas, et Cainæos, et Setthoïtas, et Carpocratem, et Cerinthum et ejus successorem Ebionem, et ceteras pestes, quorum plurimi vivente adhuc Joanne Apostolo eruperunt, et tamen nullum eorum legimus rebaptizatum.

25. » Verum si voluerint hi qui ab Hilario instituti sunt, et oves sine

(1) P. G. t. XX. p. 635 sqq.

pastore esse cœperunt, de Scripturis ea proferre quæ beatus Cyprianus ob hæreticos rebaptizandos in epistolis suis reliquit, sciant illum hæc non cum anathemate eorum qui se sequi noluerant, edidisse : siquidem in communione eorum permansit qui sententiæ suæ contraierant; sed hortatum potius fuisse propter Novatum, et alias tunc hæreses multas enascentes, ne quisquam ab eo sine damnatione erroris sui reciperetur. Sermonem denique suum quem super hac re ad Stephanum Romanum Pontificem habuit, tali fine complevit : « Hæc » ad conscientiam tuam, frater carissime, et pro honore communi et » simplici dilectione protulimus, credentes etiam tibi pro religionis » tuæ et fidei veritate placere, quæ et religiosa pariter et vera sunt. » Ceterum scimus quosdam quod semel imbiberunt nolle deponere, » nec propositum suum facile mutare; sed salvo inter collegas pacis » et concordiæ vinculo, quædam propria, quæ apud se semel sint » usurpata, retinere. Qua in re non vim cuiquam facimus aut legem » damus, quin habeat in ecclesiæ administratione voluntatis suæ ar- » bitrium liberum unusquisque sit præpositus, rationem actus sui » Domino redditurus. » Ad Jubaianum quoque de hæreticis rebaptizandis scribens, in fine libelli sic loquutus est : « Hæc tibi breviter pro » nostra mediocritate scripsimus, frater carissime, nemini præscri- » bentes aut præjudicantes, quominus unusquisque episcoporum quod » putat faciat, habens arbitrii liberam potestatem. Nos, quantum in » nobis est, propter hæreticos cum collegis et coepiscopis nostris non » contendimus, cum quibus divinam concordiam et dominicam pacem » tenemus, maxime cum apostolus dicat : Si quis autem putave- » rit se contentiosum esse, nos talem consuetudinem non » habemus, nec ecclesia Dei. Servatur a nobis patienter et » leniter caritas animi, collegii honor, vinculum fidei, concordia » sacerdotii. » (1)

(1) P. L. t. XXIII. p. 177 sqq.

APPENDIX I.

DE DEFINITIONE CONCILII ANTIOCHENI AN. 269.

1. ATHANASIUS De Synodis Arimini et Seleuciæ celebratis *n.* 43. « Quoniam autem, ut ipsi dicunt (nam epistola penes me non fuit), qui Samosatensem damnarunt episcopi scripto tradidere Filium Dei non esse Patri consubstantialem, ac demum ipsi, pietatis honorisque causa erga viros qui hæc dixerunt, sic pro ea voce sunt affecti, operæ pretium fuerit pie cum ipsis ea de re disserere. Non decet quippe illos cum his committere : omnes enim Patres sunt, neque sanctum esset definire hos [Patres Nicænos] probe, illos male locutos esse; omnes quippe in Christo obdormierunt. Disceptandum porro non est, neque numerus conferendus virorum qui coacti sunt, ne videantur trecenti illi pauciores obscurare, neque tempora metienda sunt, ne qui præcessere subsequentes exauctorare putentur... [*n.* 45] Neutros fas est culpare : omnes quippe res Christi curabant, omnes studia sua convertebant adversus hæreticos, et alii Samosatensem, alii Arianam damnarunt hæresin. Recte autem ac probe utrique scripsere, atque congruenter ad propositum argumentum... Qui enim Samosatensem deposuere, vocem consubstantialis corporali accepere modo, cum Paulus argutari vellet ac dicere : Si Christus non ex homine Deus factus est, ergo consubstantialis est Patri atque hinc necesse est tres esse substantias, unam priorem, duas vero ex illa procedentes. Ideoque illud Pauli sophisma jure caventes, dixere Christum non esse consubstantialem : neque enim Filius ita se habet respectu Patris qualiter ille cogitabat.... Cum Samosatensis Filium sentiret non esse ante Mariam, sed ab illa initium existendi accepisse, idcirco episcopi tunc congregati illum deposuerunt, et hæreticum declararunt. De Filii autem divinitate cum simplicius scriberent, ad accuratam consubstantialis interpretationem non devenerunt, sed, ut conceperant, de consubstantiali locuti sunt. Tota enim eorum cura in eo posita erat ut quod Samosatensis commentus fuerat everterent, et

6

ante omnia Filium esse declararent, eumque nequaquam ex homine Deum factum esse, sed Deus cum esset, formam servi induisse, et cum Verbum esset, factum carnem. » (1)

2. HILARIUS De Synodis, *n.* 81. « Secundo quoque id addidistis, quod Patres nostri, cum Paulus Samosateus hæreticus pronuntiatus est, etiam homousion repudiaverint : quia per hanc unius essentiæ nuncupationem solitarium atque unicum sibi esse Patrem et Filium prædicabat. Et hoc sane nunc quoque profanissimum ecclesia recognoscit, Patrem et Filium in his nominum professionibus ad unionis ac singularis solitudinem, negata personarum proprietate revocare... [*n.* 86] Male intelligitur homousion : quid ad me bene intelligentem? Male homousion Samosatenus confessus est; sed numquid melius Arii negarunt? Octoginta episcopi olim respuerunt; sed trecenti et decem octo nuper receperunt.... Illi contra hæreticum improbaverunt : numquid et isti non adversum hæreticum probaverunt? Gravis auctoritas est veterum : numquid et horum levis sanctitas est? Si contraria invicem senserunt, debemus quasi judices probare meliora; si vero et probando et improbando unum utrumque [*al.* utrique] statuerunt, quid bene constituta convellimus? » (2)

3. BASILIUS M. Epist. 52 [*al.* 300]. *n.* 1. « Vocem consubstantialis male a nonnullis acceptam, sunt qui nondum receperint : quos quis et jure reprehenderit, ac rursus venia dignos judicarit. Nam Patrum vestigiis non insistere, nec sua sententia vocem illorum potiorem ducere, res est reprehensione digna, ut plena arrogantiæ. Rursus autem vituperatam ab aliis vocem, suspectam habere, videtur id quodam modo mediocrem illis excusationis veniam conciliare. Nam revera qui in Pauli Samosatensis causa convenerant, vocem hanc quasi male sonantem culparunt. Dixerunt enim consubstantialis voce exhiberi notionem substantiæ et eorum quæ ex substantia, adeo ut divisa substantia appellationem consubstantialis conciliet iis in quæ divisa est. Quæ quidem cogitatio locum aliquem habet in ære et in conflatis ex eo numismatibus : at in Deo Patre et in Deo Filio substantia non est antiquior, neque utrique superposita intelligitur. » (3)

(1) P. G. t. XXVI. pp. 767, 771.
(2) P. L. t. X. p. 534.
(3) P. G. t. XXXII. p. 391.

APPENDIX K.

ANTIQUI CATALOGI ROMANORUM PONTIFICUM.

1. IRENÆUS Adv. Hær. III. 3. 3. « Fundantes igitur et instruentes beati apostoli [Petrus et Paulus] ecclesiam, Lino episcopatum administrandæ ecclesiæ tradiderunt.... Succedit autem ei Anencletus. Post eum tertio loco ab apostolis episcopatum sortitur Clemens.... Huic autem Clementi succedit Evaristus, et Evaristo Alexander, ac deinceps sextus ab apostolis constitutus est Sixtus, et ab hoc Telesphorus, qui etiam gloriosissime martyrium fecit : ac deinceps Hyginus, post Pius, post quem Anicetus. Cum autem successisset Aniceto Soter, nunc duodecimo loco episcopatum ab apostolis habet Eleutherius. » (1)

2. *Ex* EUSEBII Chronico (2).

Anno	Caii III	sedit	Petrus	annos	20.
—	Neronis XII	—	Linus	—	14.
—	Titi I	—	[Anencletus]	—	8.
—	Domitiani VII	—	Clemens	—	9.
—	Domitiani XV	—	Evaristus	—	8.
—	Trajani VI	—	Alexander	—	10.
—	Trajani XVII	—	Xystus	—	11.
—	Adriani VIII	—	Telesphorus	—	11.
—	Adriani XVIII	—	Hyginus	—	4.
—	Antonini I.	—	Pius	—	15.
—	Antonini XV	—	Nicetas	—	11.
—	Marci IV	—	Soter	—	8.
—	Marci XIII	—	Eleutherius	—	15.
—	Commodi VII	—	Victor	—	12.

(1) P. G. t. VII. p. 849.

(2) Secundum versionem armeniacam ed. Mediolani.

Anno	Severi VII	sedit	Zephyrinus	annos	12.
—	Caracallæ II	—	Callistratus	—	9.
—	[Elagabali.] I	—	Urbanus		
—	Alexandri VII	—	Pontianus	—	9.
—	Maximini III	—	Anteros	mens.	1.
—	—	—	Fabianus	annos	13.
—	Philippi II	—	Cornelius	—	3.
—	Philippi VII	—	Lucius	mens.	2.
—	—	—	Stephanus	annos	2.
—	Galli II	—	Xystus	—	11.
—	Gallieni VIII	—	Dionysius	—	12.
—	Aureliani I	—	Felix	—	19.
—	Probi II	—	[Eutychianus]	mens.	2.
—	—	—	Caius	annos	15.

3. *Ex* EUSEBII Historia Ecclesiastica :

1. « Post Pauli Petrique martyrium primus ecclesiæ Romanæ episcopatum suscepit Linus. » III. 2. (1)

2. « Cujus [Titi] secundo imperii anno Linus ecclesiæ Romanæ episcopus, cum eam duodecim annis administrasset, Anencleto deinde regendam tradidit. » III. 13. (2)

3. « Anno autem ejusdem Imperatoris duodecimo Anencletus, exactis in episcopatu annis duodecim, successorem reliquit Clementem. » III. 15. (3)

4. « Clemens anno [Trajani] Imperatoris tertio abiit e vita, Evaresto sacerdotium relinquens, cum novem totos annos prædicationem verbi divini procurasset. » III. 34. (4)

5. « Circa duodecimum annum imperii Trajani... cum Evarestus annos octo in pontificatu exegisset, Romæ episcopatum suscepit Alexander, quintum a Petro et Paulo successionis obtinens locum. » IV. 1. (5)

6. « Anno principatus Hadriani tertio Alexander Romanæ urbis episcopus fato functus est, cum decem annos administrationis explesset. Cui successit Xystus. » IV. 4. (6)

7. « Annum imperii sui duodecimum agente Hadriano, cum Xystus

(1) P. G. t. XX. p. 215.
(2) Ibid. p. 247.
(3) Ibid. p. 249.
(4) Ibid. p. 286.
(5) Ibid. p. 304.
(6) Ibid. p. 307.

episcopatum urbis Romæ decem annis obtinuisset, septimus ab apostolis Telesphorus in ejus locum successit. » IV. 5. (1)

8. « Hujus [Antonini Pii] anno primo, cum Telesphorus migrasset e vita anno sui episcopatus undecimo, pontificatum Romanæ urbis sortitus est Hyginus. » IV. 10. (2)

9. « Hygino post quartum episcopatus annum mortuo, Romanæ ecclesiæ sacerdotium suscepit Pius. » IV. 11. (3)

10. « Romæ cum Pius anno episcopatus sui quinto decimo vitam cum morte commutasset, Anicetus ecclesiæ illius antistes factus est. » Ibid.

11. « [Marco Aurelio] Imperatore jam octavum principatus annum agente, cum Anicetus ecclesiæ Romanæ episcopatum undecim totis annis obtinuisset, Soter in ejus locum successit. » IV. 19. (4)

12. « Sotere Romanæ urbis episcopo post octavum episcopatus annum vita functo, duodecimus ab apostolis Eleutherus in ejus locum successit. Annus tunc agebatur septimus decimus imperii Antonini Veri. » V. procem. (5)

13. « Commodo decimum annum imperii agente, cum Eleutherus tredecim annis episcopatum administrasset, Victor in ejus locum successit. » V. 22. (6)

14. « Qui [Victor] cum decem annis sacerdotium administrasset, Zephyrinus ei successor substitutus est, anno principatus Severi circiter nono. » V. 26. (7)

15. « [Antonini Heliogabali] primo imperii anno Zephyrinus Romanæ urbis episcopus abiit e vita, cum per totos annos octodecim sacerdotium obtinuisset. Post quem Callistus episcopatum suscepit. » VI. 21. (8)

16. « Qui cum quinquennio superstes vixisset, Urbano ecclesiam regendam dereliquit. » Ibid.

17. « Urbanum ecclesiæ Romanæ pontificatu octennio perfunctum excepit Pontianus. » VI. 23. (9)

18. « Cum Gordianus in Maximini locum successisset, mortuo Pontiano, qui sex annis episcopatum tenuerat, ecclesiæ Romanæ administrationem suscepit Anteros. » VI. 29. (10)

19. « Hic intra unius mensis spatium sacerdotio perfunctus, Fabianum successorem reliquit. » Ibid.

(1) Ibid. p. 310.
(2) Ibid. p. 327.
(3) Ibid. p. 330.
(4) Ibid. p. 378.
(5) Ibid. p. 406.
(6) Ibid. p. 490.
(7) Ibid. p. 514.
(8) Ibid. p. 574.
(9) Ibid. p. 575.
(10) Ibid. p. 587.

20. « In [Decii] persecutione cum Fabianus Romæ martyrium pertulisset, in ejus locum Cornelius subrogatus est episcopus. » VI. 39. (1)

21. « Romæ cum Cornelius tribus circiter annis episcopatum tenuisset, Lucius in ejus locum substituitur. » VII. 2. (2)

22. « Qui vix octo mensium spatio perfunctus eo munere moriens episcopale officium Stephano dereliquit. » Ibid.

23. « Cum Stephanus ecclesiam biennio administrasset, Xystus in ejus locum successit. » VII. 5. (3)

24. « Cum Xystus undecim annis ecclesiæ Romanæ præfuisset, in ejus locum successit Dionysius. » VII. 27. (4)

25. « Mortuo Dionysio, qui novem annis Romanæ urbis episcopatum administrarat, Felix in ejus locum substitutus est. » VII. 30. (5)

26. « Cum Felix quinque annis Romanam gubernasset ecclesiam, Eutychianus in ejus locum successit. Qui non integris decem mensibus in episcopatu transactis, Caio, qui nostra ætate vixit, sedem suam reliquit. Hic cum annis circiter quindecim ecclesiæ præfuisset, successorem habuit Marcellinum. » VII. 32. (6)

4. EPIPHANIUS Hær. 27. n. 6. « Romæ primi omnium Petrus et Paulus apostoli pariter atque episcopi fuerunt. Inde Linus, tum Cletus. Post hunc Clemens, Petri et Pauli temporum æqualis, de quo Paulus meminit ad Romanos [Philippenses] scribens, Neque vero miretur aliquis, quod ante ipsum in pontificiam dignitatem alii apostolis successerint, cum Petri ac Pauli esset æqualis : iisdem enim ille temporibus vixit. Utrum illis adhuc superstitibus impositis manibus episcopus a Petro consecratus eaque detrectata provincia ab omni administratione vacaverit (ita enim in quadam epistola scripsit : Recedo, exeo, instet populus Dei, nonnullis videlicet hoc modo consulens; nam in quibusdam commentariis ita scriptum reperimus), an potius secundum apostolos ab episcopo Cleto sit constitutus, liquido non constat. Quamquam vel hac quidem ratione poterant viventibus adhuc apostolis, Petro scilicet ac Paulo, episcopi alii subrogari, quod iidem illi prædicandi evangelii gratia in alias urbes regionesque profectionem susciperent, carere autem episcopo Roma non posset : siquidem Paulus in Hispaniam pervenit, Petrus vero Pontum ac Bithyniam sæpenumero peragravit. Ac fieri sane potuit ut primum Clemente

(1) Ibid. p. 599.
(2) Ibid. p. 639.
(3) Ibid. p. 643.
(4) Ibid. p. 706.
(5) Ibid. p. 719.
(6) Ibid. p. 722.

constituto, cum is defugeret (si ita tamen contigit, quod ego opinando potius quam asseverando dixerim), postea Lino Cletoque mortuis, qui XII annorum spatio singulatim episcopatum obtinuerunt, post apostolorum Petri Paulique necem, quæ in annum Neronis XII incurrit, tum demum pontificatum capessere sit coactus. Sed utcumque sese res habuerit, Romanorum pontificum ista successio est : Petrus et Paulus, Linus ac Cletus, Clemens, Evaristus, Alexander, Xystus, Telesphorus, Evaristus [*sic*], Hyginus, Pius, Anicetus. » (1)

5. *Ex* Georgii Syncelli Chronographia (2).

1. Petrus			16. Callistus	an.	8.	
2. Linus	an.	18 (*l.* 12).	17. Urbanus	—	7.	
3. Anencletus	—	2.	18. Anterus	mens.	1.	
4. Clemens	—	9.	19. Pontianus	an.	3.	
5. Evaristus	—	9.	20. Fabianus	—	13.	
6. Alexander	—	12.	21. Cornelius	—	3.	(3)
7. Xystus	—	9.	22. Cornelius (*sic*)	—	3.	(4)
8. Telesphorus	—	10.	23. Lucius	—	2.	
9. Hyginus	—	4.	24. Stephanus	—	2.	
10. Pius	—	15.	25. Xystus	—	9.	
11. Anicetus	—	11.	26. Dionysius	—	8.	
12. Soterichus	—	9.	27. Felix	—	5.	
13. Eleutherius	—	5.	28. Eutychianus	mens.	8.	
14. Victor	—	12.	29. Caius	an.	15.	
15. Zephyrinus	—	19.				

6. Nicephorus CPanus *in* Chronographia (5).

1. Petrus	an.	2.	9. Hyginus	an.	4.
2. Linus	—	12.	10. Pius	—	15.
3. Anencletus	—	2.	11. Anicetus	—	11.
4. Clemens	—	9.	12 Soterichus	—	9.
5. Evaristus	—	9.	13. Eleutherius	—	15.
6. Alexander	—	12.	14. Victor	—	12.
7. Xystus	—	9.	15. Zephyrinus	—	19.
8. Telesphorus	—	10.	16. Callistus	—	8.

(1) P. G. t. XLI. p. 372.

(2) *Script. Hist. Byzant.* (Ed. Bonn.) t. XIV. p. 627-725.

(3) Tom. cit. p. 683.

(4) Ibid. p. 705.

(5) Ibid. p. 768. — Cfr. P. G. t. C. p. 1039.

17. Urbanus	an.	7.	24. Xystus	an.	2.
18. Pontianus	—	3.	25. Dionysius	—	8.
19. Anterus	mens.	1.	26. Felix	—	5.
20. Flavianus	an.	15.	27. Eutychianus	mens.	8.
21. Cornelius	—	3.	28. Caius	an.	15.
22. Lucianus	—	2.	29. Marcellianus	—	2.
23. Stephanus	—	9.	30. Eusebius	—	4.

7. *Ex* Chronographia Syntomo an. 853 (1).

Petrus	an.	22.	Zephyrinus	an.	19.
Linus	—	12.	Callistus	—	8.
Anencletus	—	12.	Urbanus	—	7.
Clemens	—	9.	Pontianus	—	7.
Evaristus	—	10.	Anterus	mens.	1.
Alexander	—	10.	Fabianus	an.	12.
Xystus	—	10.	Cornelius	—	3.
Telesphorus	—	11.	Lucius	—	8.
Hyginus	—	14.	Stephanus	—	2.
Pius	—	15.	Xystus	—	11.
Anicetus	—	11.	Dionysius	—	9.
Soterichus	—	8.	Felix	—	5.
Eleutherius	—	13.	Eutychianus	m.	10.
Victor	—	10.	Caius	—	15.

8. *Ex* Chronico Syriaco an. 636 *vel* 724 (2).

Petrus	an.	25.	Anicetus	an.	11.
Linus	—	12.	Soter	—	8.
Clemens	an.	9.	Victor	an.	10.
Evaristus	—	8.	Zephyrinus.	—	18.
			Callistus	—	5.
Xystus	an.	3.	Urbanus	—	9.
Telesphorus	—	20.	Pontianus	—	15.
Hyginus	—	4.	Anterus	mens.	1.
Pius	—	15.	Fabianus	an.	12.

(1) Ex Mai *Script. Vet.* tom. I (Edit. I) part. II. p. 1. cit. ap. Lipsius, *Chronologie der Röm. Bisch.* p. 30.

(2) Ap. Lipsius, ibid.

Cornelius	an.	2.	Felix	an.	5.
Lucius			Eutychianus	m.	8.
Stephanus	an.	3.	Caius	an.	15.
			Marcellinus		

9. EUTYCHIUS *Patriarcha Alexandrinus* (*an.* 937) *in catalogo suo RR. PP.* (1) *usque ad Agathonem* († *an.* 683) *producto, nomina Pontificum usque ad Zephyrinum, sicut et durationem singulorum pontificatuum, eadem indicat quæ reperiuntur apud Eusebium in Historia Ecclesiastica, nisi quod Petro* 22 *et Anencleto* (*qui perperam scribitur* Dacletius) 2 *annos tribuit. Post Zephyrinum autem sequuntur apud Eutychium :*

Callistus	an.	5.	Estatius	an.	6.
Aurianus	—	4.	Xystus	—	9.
Bitianus	—	5.	Dionysius	—	8.
Anterus	—	12.	Philetus	—	5.
Flavianus	—	13.	Eutychius	—	8.
Cornelius	—	2.	Gabius	—	12.
Lucius	mens.	8.			

10. *Ex* ELIÆ NISIBENSIS Chronico *syriaco et arabico, sec. XI scripto* (2).

Petrus	an.	28.	Eleutherus	an.	15.
Linus	—	12.	Victor	—	10.
Cletus	—	8.	Zephyrinus	—	18.
Clemens	—	9.	Callistus	—	5.
Evaristus	—	10 [an. 8].	Urbanus	—	8.
Alexander	—	10.	Pontianus	—	5.
Xystus	—	10.	Anterus	mens.	1.
Telesphorus	—	11.	Fabianus	an.	13.
Hyginus	—	4.	Cornelius	—	2.
Pius	—	15.	Lucius	mens.	8 [an. 8].
Anicetus	—	11.	Stephanus	an.	2.
Soter	—	8.	Xystus	—	11.

(1) Ap. LIPSIUS, p. 35.

(2) Ap. LIPSIUS, p. 36. et ap. LAMY et ABBELOOS, *Bar-Hebræi Chron.* t. I. p. 37, unde variantes lectiones indicavimus uncinis inclusas.

Dionysius	—	9.	Caius	—	12.
Felix	—	5.	Marcellinus	m.	10 [an. 10].
Eutychianus	—	8.	Miltiades	an.	8 [an. 18].

11. *Ex* Bar-Hebræi Chronico (1).

Petrus	an. 25.	Anacletus	an. 12.
Linus	an. 11.	Clemens.	

12. Catalogus Liberianus (2).

« Imperante Tiberio Cæsare passus est Dominus noster Jesus Christus duobus Geminis cons. [*p. Chr.* 29] VIII kl. Apr. et post ascensum ejus beatissimus Petrus episcopatum suscepit. Ex quo tempore per successionem dispositum, quis episcopus quot annis prefuit vel quo imperante.

Petrus ann. XXV mens. uno d. IX. Fuit temporibus Tiberii Cæsaris et Gai et Tiberi Claudi et Neronis, a cons. Minuci [*al.* Vinicii] et Longini [*p. Chr.* 30] usque Nerine et Vero (3) [55]. Passus autem cum Paulo die III kl. Julias cons. ss. imperante Nerone.

Linus ann. XII m. IIII d. XII. Fuit temporibus Neronis, a consulatu Saturnini et Scipionis [56] usque Capitone et Rufo [67].

Clemens ann. IX m. XI dies XII. Fuit temporibus Galbe et Vespasiani, a cons. Tracali et Italici [68] usque Vespasiano VI et Tito [76].

Cletus ann. VI m. duo dies X. Fuit temporibus Vespasiani et Titi et initio Domitiani, a cons. Vespasiano VIII et Domitiano V [77] usque Domitiano IX et Rufo [83].

Anaclitus ann. XII m. X d. III. Fuit temporibus Domitiani, a cons. Domitiano X et Sabino [84] usque Domitiano XVII et Clemente [95].

Aristus annos XIII m. VII d. duos. Fuit temporibus novissimis Domitiani et Nervæ et Trajani, a cons. Valentis et Veri [96] usque Gallo et Bradua [108].

Alexander ann. VII m. II d. uno. Fuit temporibus Trajani a cons. Palmæ et Tulli [109] usque Veliano [Aeliano] et Vetere [116].

(1) Ed. Lamy et Abbeloos, t. I. pp. 32, 36.

(2) Ex editione Mommsen, *Ueber den Chronographen vom Jahre* 354, p. 634. — Cfr. P. L. t. XIII. p. 447.

(3) Omnino legendum esse Nerone et Vetere, qui scilicet consules fuerunt an. 55, constat ex eo quod a) exordio Pontificatus constituto sub consulatu Vinicii et Longini, annus abhinc vigesimus quintus incidit in consulatum Neronis et Veteris; b) in fastis consularibus qui inter documenta Filocaliana præmittuntur huic catalogo, ad consulatum Neronis et Veteris indicantur « his cons. passi Petrus et Paulus III kal. Julii. »

Sixtus ann. X m. III d. XXI. Fuit temporibus Adriani a cons. Nigri et Aproniani [117] usque Vero III et Ambibulo [126].

Telesforus annos XI m. III d. III. Fuit temporibus Antonini Macrini a cons. Titiani et Gallicani [127] usque Cæsare et Albino [137].

Higinus ann. XII m. III d. VI. Fuit temporibus Veri [*et Marci a cons. Magni et Camerini* (138) *usque Orfito et Prisco* (149).

Anicitus ann..... Fuit temporibus Severi et Marci (1)] a cons. Gallicani et Veteris [150] usque Presente et Rufino [153].

Pius ann. XX m. IIII d. XXI. Fuit temporibus Antonini Pii, a cons. Clari et Severi [145] usque duobus Augustis [161]. Sub hujus episcopatu frater ejus Ermes librum scripsit, in quo mandatum continetur, quod ei precepit angelus, cum venit ad illum in habitu pastoris.

Soter ann. IX [*m. VI d. XXI. Fuit temporibus Severi, a cons. Rustici et Aquilini* (162) *usque Cethego et Claro* (170).

Eleuther an. XV] m. III d. II. Fuit temporibus Antonini et Commodi, a cons. Veri et Hereniani [171] usque Paterno et Bradua [185].

Victor ann. IX m. II d. X. Fuit temporibus [*Cæsaris a cons. Commodi II et Glabrionis* (186) *usque Laterano et Rufino* (197).

Zypherinus a... m... d... Fuit temporibus Severi et] Antonini, a cons. Saturnini et Galli [198] usque Presente et Extricato [217].

Calixtus ann. V m. II d. X. Fuit temporibus Macrini et Eliogabali, a cons. Antonini et Adventi [218] usque Antonino III et Alexandro [222].

Urbanus ann. VIII mens. XI d. XII. Fuit temporibus Alexandri a cons. Maximi et Eliani [223] usque Agricola et Clementino [230].

Pontianus ann. V m. II d. VII. Fuit temporibus Alexandri, a cons. Pompeiani et Peligniani [231]. Eo tempore Pontianus episcopus et Yppolitus presbyter exoles sunt deportati in Sardinia in insula nociva Severo et Quintino cons. [235]. In eadem insula discinctus est IIII kl. Octobr. et loco ejus ordinatus est Antheros XI kl. Dec. cons. s̄s. [235].

Antheros m. uno dies X. Dormit III non. Jan. Maximo et Africano cons. [236].

Fabius ann. XIIII m. I d. X. Fuit temporibus Maximi et Cordiani et Filippi, a cons. Maximiani et Africani [236] usque Decio II et Grato [250]. Passus XII kl. Feb. Hic regiones divisit diaconibus et multas fabricas per cimiteria fleri jussit. Post passionem ejus Moyses et Maximus

(1) Hæc lacuna suppleta est ex Catalogo Feliciano seu sec. VI, atque ita supplendum esse manifeste ostenditur ex indicatione consulum hic servata. Similiter infra in Sotere, Victore, Lucio et Sixto II.

presbyteri et Nicostratus diaconus comprehensi sunt et in carcerem sunt missi. Eo tempore supervenit Novatus ex Africa et separavit de ecclesia Novatianum et quosdam confessores, postquam Moyses in carcere defunctus est, qui fuit ibi m. XI d. XI.

Cornelius ann. II m. III d. X a consul. Decio IIII [III] et Decio II [251] usque Gallo et Volusiano [252]. Sub episcopatu ejus Novatus extra ecclesiam ordinavit Novatianum in urbe Roma et Nicostratum in Africa. Hoc facto confessores, qui se separaverunt a Cornelio, cum Maximo presbytero, qui cum Moyse fuit, ad ecclesiam sunt reversi. Post hoc Centumcelis expulsi. Ibi cum gloria dormicionem accepit.

Lucius ann. III m. VIII d. X. Fuit temporibus Galli et Volusiani usque Valeriano III et Gallieno II [255]. Hic exul fuit et postea nutu dei incolumis ad ecclesiam reversus est. [*Dormit*] III non. Mar. cons. s̄s.

Steffanus ann. IIII m. II d. XXI. Fuit temporibus Valeriani et Gallieni, a cons. Volusiani et Maximi [253] usque Valeriano III et Gallieno II [255].

Sixtus ann. II m. XI d. VI. Cœpit a cons. Maximi et Glabrionis [256] usque Tusco et Basso [258] et passus est VIII id. Aug. [*et presbyteri præfuerunt*] a cons. Tusci et Bassi [258] usque in diem XII kl. Aug. Æmiliano et Basso cons. [259].

Dionisius ann. VIII m. II d. IIII. Fuit temporibus Gallieni, ex die XI kl. Aug. Æmiliano et Basso cons. [259] usque in diem VII kl. Jan. cons. Claudi et Paterni [269].

Felix ann. V m. XI d. XXV. Fuit temporibus Claudi et Aureliani, a cons. Claudi et Paterni [269] usque ad consulatum Aureliano II et Capitolino [274].

Eutychianus ann. VIII m. XI d. III. Fuit temporibus Aureliani, a cons. Aureliano III. et Marcellino [275] usque in diem IIII idus Dec. Caro II et Carino cons. [283].

Gaius ann. XII m. IIII d. VII. Fuit temporibus Cari et Carini, ex die XVI kal. Jan. cons. Carino [Caro] II et Carino [283] usque in X kl. Mai. Diocletiano VI et Constantio II [296].

Marcellinus ann. VIII m. III d. XXV. Fuit temporibus Diocletiani et Maximiani ex die prid. kl. Julias a cons. Diocletiano VI et Constantio II [296] usque in cons. Diocletiano VIIII et Maximiano VIII [304.] Quo tempore fuit persecutio et cessavit episcopatum ann. VII m. VI d. XXV.

Marcellus annum unum m. VI d. XX. Fuit temporibus Maxenti, a cons. X et Maximiano [308] usque post consulatum X et septimum [309].

Eusebius m. IIII d. XVI, a XIIII kl. Maias usque in diem XVI kl. Sept.

Miltiades ann. III m. VI d. VIII..... »

13. *Auctor* Carminis adversus Marcionem III. 9.

« Hac cathedra, Petrus qua sederat ipse, locatum
Maxima Roma Linum primum considere jussit.
Post quem Cletus et ipse gregem suscepit ovilis.
Hujus Anacletus successor sorte locatus :
Quem sequitur Clemens; is apostolicis bene notus.
Evaristus ab hoc rexit sine crimine legem.
Sextus Alexander Sixto commendat ovile :
Post expleta sui qui lustri tempora tradit
Telesphoro; excellens hic erat, martyrque fidelis....
Jamque loco nono cathedram suscepit Hyginus.
Post hunc deinde Pius, Hermas cui germine frater
Angelicus pastor, quia tradita verba locutus :
Atque pio suscepit Anicetus ordine sortem. » (1)

14. Optatus Milevitanus De schismate Donatistarum II. 3. « Ergo cathedram unicam, quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus : cui successit Linus. Lino successit Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Evaristus, Evaristo (2) Sixtus, Sixto Telesphorus, Telesphoro Iginus, Igino Anicetus, Aniceto Pius, Pio Soter, Soteri Alexander, Alexandro Victor, Victori Zephirinus, Zephirino Calixtus, Calixto Urbanus, Urbano Pontianus, Pontiano Anterus, Antero Fabianus, Fabiano Cornelius, Cornelio Lucius, Lucio Stephanus, Stephano Sixtus, Sixto Dionysius, Dionysio Felix, Felici (3) Marcellinus, Marcellino (4) Eusebius, Eusebio Miltiades. » (5)

15. Augustinus Epist. 53, ad Generosum « Petro enim successit Linus; Lino Clemens; Clementi Anacletus, Anacleto Evaristus; Evaristo Alexander; Alexandro Sixtus; Sixto Telesphorus; Telesphoro Iginus; Igino Anicetus; Aniceto Pius; Pio Soter; Soteri Eleutherius; Eleutherio Victor; Victori Zephirinus; Zephirino Calixtus; Calixto Urbanus; Urbano Pontianus; Pontiano Antherus; Anthero Fabianus; Fabiano Cornelius; Cornelio Lucius; Lucio Stephanus; Stephano Xystus; Xysto Dionysius; Dionysio Felix; Felici Eutychia-

(1) P. L. t. II. p. 1077.

(2) Omissum est hoc loco in codd. mss. nomen Alexandri et paulo inferius intrusum loco Eleutherii.

(3) Prætermittuntur hic Eutychianus et Caius.

(4) Prætermittitur Marcellus.

(5) P. L. t. XI. p. 947.

nus; Eutychiano Gaius; Gaio Marcellinus; Marcellino Marcellus; Marcello Eusebius; Eusebio Miltiades. » (1)

16. *Ex* Hieronymi Chronico (2).

An. Dom.	44.	Petrus	sedit annos	25.
—	70.	I. Linus	—	11.
—	82.	II. Cletus	—	12.
—	94.	III. Clemens	—	9.
—	102.	IV. Evaristus	—	9.
—	110.	V. Alexander	—	10.
—	120.	VI. Sixtus	—	10.
—	130.	VII. Telesphorus	—	11.
—	141.	VIII. Hyginus	—	4.
—	144.	IX. Pius	—	15.
—	160.	X. Anicetus	—	10.
—	170.	XI. Soter	—	8.
—	178.	XII. Eleutherius	—	15.
—	194.	XIII. Victor	—	10.
—	203.	XIV. Zephyrinus	—	17.
—	222.	XV. Callistus	—	5.
—	227.	XVI. Urbanus	—	9.
—	236.	XVII. Pontianus	—	5.
—	241.	XVIII. Anteros	mens.	1.
—	—	XIX. Fabianus	annos	13.
—	255.	XX. Cornelius	—	2.
—	256.	XXI. Lucius	mens.	8.
—	—	XXII. Stephanus	annos	3.
—	258.	XXIII. Xystus	—	8.
—	267.	XXIV. Dionisius	—	12.
—	280.	XXV. Felix	—	5.
—	284.	XXVI, Eutychianus	mens.	8.
—	—	XXVII. Gaius	annos	15.
—	299.	XXVIII. Marcellinus	—	6.
—	308.	XXIX. Eusebius	mens.	7.
—	—	XXX. Miltiades	annos	6.

17. Rufinus *Aquileiensis in Præfatione ad suam versionem*

(1) P. L. t. XXXIII. p. 196. (2) P. L. t. XXVII. p. 578 sqq.

latinam librorum Recognitionum Clementi Romano attributorum : « Quidam requirunt quomodo, cum Linus et Cletus in urbe Roma ante Clementem hunc fuerint episcopi, ipse Clemens ad Jacobum scribens sibi dicat a Petro docendi cathedram traditam. Cujus rei hanc accepimus esse rationem, quod Linus et Cletus fuerunt quidem ante Clementem episcopi in urbe Roma, sed superstite Petro, videlicet ut illi episcopatus curam gererent, ipse vero apostolatus impleret officium... Et hoc modo utrumque verum videbitur, ut et illi ante Clementem numerentur Episcopi, Clemens tamen post obitum Petri docendi susceperit sedem. » (1)

18. *Series* Inscriptionum *veterum in* Basilica S. Pauli *via Ostiensi* (2).

Petrus	sed. an. 25	m. 2	d. 7.	Urbanus	sed. an.	8	m. 11	d. 12.
Linus	—	11 —	3 — 12.	Pontianus	—			
Cletus				Anterus	—			
Clemens	—	9 —	2 — 10.	Fabianus	—	13 —	1 —	10.
Anacletus	—	12 —	10 — 7.	Cornelius	—	1 —	3 —	10.
Evaristus	—	13 —	7 — 2.	Lucius	—	3 —	3 —	3.
Alexander	—	10 —	2 — 3.	Stephanus	—	4 —	2 —	15.
Xystus	—	10 —	3 — 21.	Sixtus	—	2 —	11 —	6.
Telesphorus	—	11 —	3 — 21.	Dionysius	—	8 —	3 —	7.
Hyginus	—	3 —	3 — 8.	Felix	—	4 —	10 —	25.
Pius	—	8 —	3 — 3.	Eutychianus	—	8 —	10 —	11.
Anicetus	—	11 —	4 — 3.	Caius	—	11 —	4 —	9.
Soter				Marcellinus	—	8 —	2 —	25.
Eleuther	—	15 —	4 — 5.	Marcellus	—	5 —	8 —	21.
Victor	—	10 —	2 — 10.	Eusebius	—	2 —	1 —	25.
Zephyrinus	—	17 —	2 — 10.	Miltiades	—	3 —	7 —	7.
Callistus	—	5 —	2 — 10.					

19. *Ex* catalogo Hormisdæ (3).

Petrus	sed. an. 20	m. 2	d. 3.	Clemens	sed. an.	9 m.	10	d. 1.
Linus	—	11 —	3 — 12.	Evaristus	—	8 —	10 —	2.
Clytus	—	12 —	1 — 2.	Alexander	—	12 —	7 —	2.

(1) P. G. t. I. p. 1207.

(2) P. L. t. CXXVII. p. 282 sqq. — Circa Cleti autem, Soteris, Pontiani et Anteri imagines nimis deletæ sunt antiquæ inscriptiones ut legi possint.

(3) Ed. F. X. Kraus in *Theolog. Quartalschrift* (Tübing.), 1871. p. 283.

Xistus	sed. an.	10	m.	2	d.	1.	Favianus	sed. an.	14	m.	2	d.	10:
Thelispher	—	11	—	1	—	21.	Cornilius	—	2	—	3	—	
Egenus	—	4	—	3	—	1.	Lucius	—	4	—	8	—	
Osus	—	18	—		—	1.	Stefanus	—	6	—	1	—	
Anicitus	—	11	—	4	—	2.	Sistus	—	1	—	1	—	?
Socher	—	9	—	2	—	21.	Dionethius	—	8	—	5	—	
Eleutherius	—	15	—	3	—	2.	Felix	—	4	—	1	—	10?
Victor	—	15	—	3	—	10.	Euthetianus	—	1	—	1	—	1?
Cepherinus	—	18	—	7	—	10.	Gaius	—	11	—	4	—	
Calistus	—	5	—	10	—	10.	Marcellus	—	1	—	4	—	?
Urbanus	—	9	—	1	—	2.	Eusebius	—		—		—	2?
Pontianus	—	7	—	10	—	22.	Melsiadis	—	4	—		—	
Anthyrus	—		—	1	—	11.							

INDEX CAPITUM.